






Printed and Sold by James Bland and Son, Stationers, Strand, London.

[Handwritten mark]



John Carter Brown.



W
CATULLVS

CVM. COMMENTARIO

ACHILLIS . STATII

LVSITANI

Cum Priuilegio Senatus Veneti

JOHN CARTER BROWN



VENETIIS. ∞ DLXVI

In Aedibus Manutianis

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

LARQ

Faint text at the bottom of the page, including a small number '3' and a '0'.

ACHILLES. STATIVS
HIERONYMO. RVSTICVCCIO
P I I . V . P O N T . M A X
S E C R E T A R I O
S A L

E G O uero de Catulli com-
mentario edendo non magis
profecto cogitabam, quam
de Tibulli, Vergilij, Horatij,
Lucretiiq. commentarijs, quos partim
institutos, partim uero confectos iam,
atq. absolutos habeo. casus uero miri-
ficus interuenit, quasi testis industriae
diligentiaeque in lectitando meae. Nam-
que aliud agenti & spectanti mihi lon-
ge aliud euenit. Equidem inuitus, quia
nondum maturum iudicabam, sed ta-
men necessario consilij mei rationes ex-
ponam. Versatur in animo meo cogita-
tio iampridem suscepta de Sacrorum li-
brorum poësi, Latinis uersib. expimen-
da. quae cum uaria, multiplexq. sit, nec
enim generis unius sunt, quae David
A 2 Rex,

Rex, quae Iob, quae alij deniq. sanctissimi uiri modulatissimis uersibus cecinerunt, non unum quoq. Latini carminis esse adhibendum genus intelligebã. quo uel numerorum similitudinem, uel illorum uarietatem, si nihil aliud, ipsa demũ uarietate repraesentarem. Itaq. ad id opus antequam adgrederer, quo paratior hoc ipsum politis, ornatisq. uersibus praestarem, summos in suo quemq. genere, Latinos poëtas diligenter euolui. Inter legẽdum autem, quod adsolet, ita multa notaram, ut iustũ prope uolumen effectura uiderentur. ea mei studiosis hominib. cum placita essent, contenderunt a me scilicet etiam atq. etiam, ne ceteros celarem, neue publico inuiderem. Ergo, uictus, a Catullo initium duxi. quem superior aetas omnis tãti fecit, ut elegantia illum poëtis omnibus facile praestare cẽsuerit. certe Diuus Hieronymus dignum putauit, cuius nomẽ Eusebii, quae conuertebat in Latinum, Chronicis intereret. Nam, quod idem lasciuus, ac mollius

lius scripsit, id uero temporum illorum
sive mos, sive licentia potius, ac uitium
fuit. quamquam de se ipse tamquã sup-
pudens dicit, Nam castum esse decet
pium Poëtam Ipsum, uersiculos nihil
necesse est. Ut & ille alter, Musa io-
cofa mihi est, uita pudica tamën. Cum
autem operis huius editio in idem tem-
pus incidisset, quo me Pius. V. Pont.
Max. in suis esse uoluisset, atq. ego tum,
Hieronyme Rusticucci, in amicitiam, at-
que adeo in familiaritatem tuam uenif-
sem, quasi quodam fato, quidquid hoc
est libelli, deberi tibi sum arbitratus. Ac-
cedebat eo singularis humanitas tua,
qua me complexus, non modo tuendum
tibi, sed etiam augendum, ornandumq.
suscepisti. Sed me quidem hoc ipso no-
mine tibi iam deuinctum, atq. obligatũ,
praeterea commouebat ingenii tui prae-
stantia, naturae bonitas, morum facili-
tas, ac suauitas tanta, quantã in ullo, qui
istuc aetatis nunc sit, aut umquam alias
fuerit, meminisse non possum. Quamob-

rem Pius. V. Pont. Max. uir ut auctoritate, sic iudicio plane diuino, te, cuius opera fidelissima, integerrimaq. usus fuisset, industriam cognouisset, eundem etiam nunc in suis principem locum tenere, curarum, & consiliorum sibi esse conscium, ac participem uoluit, unum deniq. te merito suorum omnium carissimum semper habuit. Sed de te satis apud te, uerissimas tuas laudes modeste nimis auersantem. De Catullo ipso, laudatissimo poëta, nihil amplius dicam, illius commendandi caussa. De lucubratione hac mea, uere uideor posse dicere, eo consilio, & conatu institutam, quod me tamen adsecutum non profiteor, quem multa fugerint, plura fortasse fefellerint hominē uix mediocri praeditum ingenio, ut optimum poëtam, negligentia temporum ualde corruptum, si non omnino restituerem, at paullo quidem certe meliorem redderem. Vale. Romae. Kal. Mart.

ACHILLIS . STATII

LVSITANI

Commentarius Catulli .

DE CATULLO plura dixissem , nisi
hoc Crinitum munere praeclare functum
uiderem . sed tamen quod ille mihi reliqui
fecit , id in principio mearum in optimum Poetam
commentationum esse ponendum duxi . ac mihi qui-
dem Criniti ipsius scripta legenti ualde probatur ,
quod praenomen CAI Catullo praeposuerit , au-
torem opinor Appuleium , atq. Hieronymum Euse-
bij interpretem , quod tamen non exprimit , secutus ,
illum in Apologia . I. Antonius Augustinus , Her-
dae Episcopus , praestante uir ingenio , pariq. pro-
bitate , nummum mihi Romae ostendit aereum ,
cuius in altera parte uidere erat expressam incu-
dem , tum haec in orbem ducta , atq. exstantia uer-
ba , III. VIR . A . A . A . F . F . in altera item in
orbem , L . VALERIVS CATVLLVS . intra
quae , litterae singulares erant , S . C . quae nisi
omnia patere iam , ac nota omnibus esse putarem ,
interpretarer scilicet . Octaviae Catullae nomine
in hortis Rodulfi Pij Card. amplissimi , hodieq. ex-
stat inscriptum monumentum .

DIS . MANIB

OCTAVIAE . P . F . CATVLLAE

GELADI . DIVAE . AVGVST . L

VXORI

A

4

Gra=

Grauiſſimum ſane teſtimonium ſummo huius ingenio Poëtae tribuit Cornelius Nepos in T. Pomponi
 » Attici uita, L. inquit, Iulium Calidium, quem
 » poſt Lucreti, Catulliq. mortem multo elegantiffi-
 » mum Poëtam noſtram tuliffe aetatem uere uideor
 » poſſe contendere. & quae ſequuntur. Hunc ego ipſe
 » Valerium eſſe puto, quem Cicero in. vii. epist. ad
 » Trebatium nominat, Deniq. inquit, ſi cito te ret-
 » tuleris, ſermo nullus erit. Si diutius fruſtra aſueris,
 » non modo Laberium, ſed etiam ſodalem noſtrum
 » Valerium pertimeſco. mira enim perſona induci
 » poteſt Britannici Iureconſulti. &c. Nam quod La-
 » berium mimorum ſcriptorem nominat, eumq. di-
 » cacem, hoc probabilius etiam fit, Valerium quem
 » addit, eſſe Catullum, acré in dicendo hominem, atq.
 » in eodem genere acerbitatis prope ſingularem. In
 » hoc enim, & Bibaculo, & Horatio iambi acerbita-
 » tem fuiſſe ſcribit in x. Quintilianus. Sodalem ue-
 » ro uocat ob uſum, credo, domeſticum, ſummamq. fa-
 » miliaritatem. qui pro illo etiam dixerit. Nam Q.
 » Catullum intelligere nullo modo poſſumus, qui an-
 » tiquior fuerit. auctor Gellius in. xix. cap. ix. Ca-
 » tullum idem Gellius in. vii. cap. xx. poëtarum dicit
 » elegantiffimum. Sed accidit tamen, ut pro antiquo-
 » re illo hunc noſtrum, ac pro noſtro illum fortatte
 » nonnumquam accipiamus. & difficile quidem eſt
 » iudicium, an illius quoq. nomen Catullus per LL du-
 » plex ſcribatur. varie enim legi uideo. apud Gel-
 » lium geminato LL impreſſum lego Q. Catullum an-
 » tiquiorem

antiquiorem illum . at apud Paterculum anceps id
 quoq. horum utrum intelligamus . apud quem vul-
 gatis in libris per L unicum legitur scriptum . Au-
 ctioresq. carminum , inquit , Varronem ac Lucre-
 tium , neq. ullo in suspecti operis sui carmine mino-
 rem Catulum , & quae sequuntur . Hunc ego tamen
 ab eo dici intelligebam , Nepotis , quae supra posui ,
 uerbis adductus . Martialis in . v . propter uarieta-
 tem , credo , carminum , Scaenam Catulli facundi
 poëtae dicit . sic enim ad Varronem . Differ opus ,
 nec te facundi Scaena Catulli Detineat . Neq. enim
 fabulam illum aliquam docuisse legi . At Diomedes
 in iambici carminis illum auctoribus numerat , ut
 & Quintilianus , Iambici , inquit , carminis scri-
 ptores praecipui apud Graecos Archilochus , &
 Hipponax . apud Latinos Lucilius , Catullus , Ho-
 ratius , Bibaculus . Hieronymus Eusebii interpres
 Lyricum uocat , ac xxx . aetatis anno Roma mor-
 tuum scribit . Ouidius non una Catullum Lesbia
 contentum fuisse declarat in . II . Tristium , apud
 quem est , Sic sua lasciuo cantata est saepe Catullo
 Femina , cui falsum Lesbia nomen erat . Nec con-
 tentus ea multos uulgauit amores , In quibus ipse
 suum fassus adulterium est . Lesbiam uero idest Clo-
 diam sororem Clodij fuisse dicit Sidonius Apolli-
 naris . Ille uero uersus apud Nonium Marcellum
 de indiscretis aduerbijs , Animula miserula prope-
 riter abit , uereor ut Catuli siue Catulli sit antiquio-
 ris illius . Ad quem autem Catullum referamus
 etiam

etiam illud, quod adducit Seruius interpretans Ver-
 gily uersum, Purpureae, pretiaeq. Hanc uiam,
 inquit, praecipue Cato laudat in libris, quos scripsit
 ad filium. cōtra Catullus eā uituperat, & dicit nulli
 rei esse aptam, miraturq. cur eam laudauerit Cato.
 Versus ipsi, quibus utitur primoribus, hendecasyllabi,
 ab Sentio Augurino in epigrammate apud Plin-
 nium iuniorem minuti dicuntur. Canto carmina
 uersibus minutis, His olim quibus & meus Catul-
 lus, Et Caluus, ueteresq.

CVI dono lepidum nouum libellum,
 Arido modo pumice expositum
 Corneli, tibi. namq. tu solebas
 Meas esse aliquid putare nugas,
 Iam tum, cum ausus es unus Italarum
 Omne aeuum tribus explicare chartis.
 Doctis, Iuppiter, & laboriosis.
 Quare habe hoc tibi quidquid est libelli.
 Quaecumq. quidem ora per uirorum
 Plus uno maneat perenne saeclo.

CVI dono lepidum nouum libellum } in duobus
 manuscriptis, CVI, ut est etiam impressum. in uno
 QVOI. in Patauino altero QVIN. quae scriptura
 ad eam, quam ueteres in scribenda uoce hac tene-
 bant, consuetudinem propius accedit, si tantum mo-
 do N litteram a fine sustuleris. cuius rei auctor
 Donatus, illud in Andria Terentij interpretans,
 Exorandus.

2) Exorandus. Legitur inquit, et Expurgandus. si Ex-
 2) purgandus, lege C VI, non Q VI. quia Cui per Q
 2) veteres scripsere. Arido modo pumice expoli-
 tum Corneli] praue ante, Arida. quod cum est ip-
 sum contra manuscriptorum librorum fidē, tum ve-
 terum omnium auctoritatem. eodem enim modo Plau-
 tus in Aulul. Pumex non aequae est aridus, atq.
 hic est senex. Seruius tamen Arida Catullum scri-
 psisse testatur, qui uerba interpretās poetae in. XII.
 Aeneid. illa, Inclusas ut cum latebroso Pumice pa-
 2) stor Vestigauit apes. Pumicem, inquit, iste in gene-
 2) re masculino posuit, & hunc sequimur. licet Catul-
 2) lus dixerit in genere feminino. sed & Atilius For-
 tunatianus, & Victorinus celebres grammatici,
 Arido legunt hoc ipso in loco. Eam lectionem Pli-
 nius uidetur agnoscere, cuius in. XXXVI. Nat. Hist.
 2) uerba sunt haec, Sed & y pumices, qui sunt in usu
 2) corporum leuigandorum feminis, iam quidem &
 2) uiris, atq. ut ait Catullus, libris, & quae sequun-
 2) tur. Et Martialis in. VIII. Nondum murice cul-
 2) tus asperoq. Morsu pumicis aridi expolitus. Hunc
 ipsum pumicis usum in leuigandis, & tondendis li-
 bris idem Catullus post significat, Et pumice omnia
 aequata. & Tibullus in. I. Pumicet & canas
 tondeat ante comas. siue aliter, Pumex & canas
 tondeat ante comas. summam uero ariditatem qui
 significant, pumicem adhibent. ut auctor obsceni
 2) carminis, Quae suco caret, ut putrisq. pumex,
 2) Nemo uiderit hanc ut exspuentem. sed quod expoli-

tum dicit, elegantem nitidumq. significat, cuius
 contrarium, Impolitum. Quod Gellius in. IV.
 » cap. XII. quid sit, docet. Item si quis eques Roma-
 » nus equum habere gracilentum, aut parum niti-
 » dum usus erat, impolitiae notabatur. id verbum
 » significat, quasi tu dicas, Incuriae. Cornelium vero
 hunc alij Gallum, alij Nepotem putant. hunc au-
 tem Chronicon libros scripsisse, declarat Gellius in
 XVII. Noct. Att. cap. XXI. Et Lactantius Fir-
 mian. in. I. Nepotis historiam commemorans. Et
 Iulius Solinus cap. II. Macrobius in. I. Satur.
 Cornelium Labeonem nominat, qui eius generis
 aliquid uidetur scripsisse. Ego eundem Cornelium
 » esse existimo, ad quem etiam post, Si quidquam taci-
 » to, &c. Iornandis quoq. in libro rerum Geticarum
 » de Britannia, In extrema, inquit, eius parte Mem-
 » ma, quam Cornelius etiam, Annalium scriptor, nar-
 » rat, metallis plurimis copiosam. &c. Figura uero
 » orationis eadem, quae post, Cui fauceam potius Caeli,
 » tibi. Et apud Hom. in a. Iliad. τις ἄρ' ὀφθαλμοῦ θεῶν ἐπι-
 » διξωίνης μάχεται; Ἄντ' ἔς γε διὸς ὑδὸς. Meas esse
 aliquid putare nugas] per ταπεινότητι Nugas. ut
 » & Horat. & Martialis. Iam uero, cur duriusculum
 conterraneum suum Plinius dicat, equidem non di-
 » spicio. in prooemio enim operis scribit. Namq. tu
 » solebas meas esse aliquid putare nugas, ut obiter
 » emolliam Catullum conterraneum meum. agnoscis
 » & hoc castrense uerbum. ille enim, ut scis. permu-
 » tatis prioribus syllabis duriusculum se fecit, quam
 uolebat

volebat existimari a Veraniolis suis, & Fabullis.
 Haec ille. Quod si uertit, quod principes uer-
 suum huius generis pedes non semper spondaeos, sed
 & trochaeos, & iambos ponit, in idem crimen opti-
 mum quemq. uocet Graecorum poëtarum, quorum
 hic non dubitauit exemplum sequi. De quo Atilius
 Fortunatianus de metris haec scribit: Nam et Hé-
 decasyllabus, quē Phalaecium uocamus, apud anti-
 quos auctores eodem modo solebat incipere, alias a
 spondaeo, alias ab iambico, alias a trochaeo, ut apud
 Catullum, Arido modo pumice expositum: ab iam-
 bo, Meas esse aliquid putare nugas. quae omnia
 genera hendecasyllabi Catullus, et Sappho, et Ana-
 creonta, & alios auctores secutus, non tamquam ui-
 tiosa uitauit, sed tamquam legitima inseruit. Haec
 Fortunatianus. Mihi quidem haec scribenti uenie-
 bat in mentem uersus Alphaei Mytylenaei, ab iam-
 bo incipiens. τὸ μὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν μὲ τέπει. Cur
 autem Catullum Plinius duriusculum existimarit
 pedes syllabasq. priores permutantem in prima se-
 de, causa erat nimirum suis illis temporibus eius
 rei, ut ita dicam, insolentia. Nec enim fere aliter
 Martialis, aut Statius, aut illorum aequalis tem-
 porum aliquis poëta fecit; nisi solus, ut opinor, Mar-
 tialis, idq. semel in. II. Iter iungere quaeris ad ca-
 maenas. Quamobrem etiā Plinius maioris nepos,
 praeter cetera, duriusculos Catulli, & Calui uersus
 fuisse significat in. I. ad Erucium. De Saturnino
 enim Pompeio haec, Praeterea, inquit, facit uersus,
 qualis

qualis Catullus, aut Caluus. quantum illis dulcedinis, amaritudinis, amoris inserit. Sane, sed data opera mollius, leuiusq. duriusculos quosdam, & hoc quasi Catullus, aut Caluus. Probus in Institutis artium huius generis phalæcium, hendecasyllabū Sapphicum dicit, credo quod eo frequenter Sappho sit usa. Iam tum, cum ausus es unus Italarū]

Notatio temporum, ad Corneli laudem omnino pertinet. Nam quod more aliorum fecisset, si Consulatus usus nominibus fuisset, maluit historiam Corneli adhiberi, itaq. tum tempus scriptionis quoque suae significare, atq. illum summis laudibus adficere. Omne aeuum] Res omnis aevi. omnem rerum memoriam. sic Cic. in Bruto de Attico, An mihi potuit unquam esse aut gratior ulla saluatio, aut ad hoc tempus aptior, quam illius liber, quo me hic adfatus quasi iacentem excitauit. Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breuiter, & ut mihi uisum est, per diligentius complexus est. Ac post idem Cicero, Ille uero & noua, inquam, mihi quidem multa, & eam utilitatem, quam requirebam, ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia uiderem. Ego haec Ciceroni de Attici dici Annalibus puto, quos citat Peditianus in commentatione in Orationem contra Pisonem. Tradunt, inquit, & Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam, inter quos Atticus in Annalibus. Et Corneli quidem huius Annales fuisse existimo. Valerius Max. in proe-

21 mio totius operis, omnis aevi gesta dixit. Quis enim,
 22 inquit, omnis aevi gesta modico uolumine numero
 23 comprehenderit. Tribus explicare chartis]
 24 Eodem prope modo Martialis, Versibus explici-
 25 tum est omne duobus opus. Et Cicero, Explicatis or-
 26 dinibus temporum. Tribus autem quod dicit, pau-
 27 citatem eo numero sic alibi significat, Si tria ama-
 28 torum basia reppererit. Et tribus uerbis, cum pau-
 29 cissimis, etiam dicimus. Doctis, Iuppiter, & la-
 30 boriosus] similiter Cato senex, Vita deum im-
 31 mortalium. quam Statilius Maximus, ut scribit
 32 in. II. Carisius, ἐκφώνησιν ἀρχαϊκὴν, ὡς ὃ πρόποιε
 33 dicebat. Sic Terentius in Eunucho, Iuppiter ma-
 34 gne, o scelestum, atq. audacem hominem. Idem Ca-
 35 tullus, aliq. similiter dicunt, Di magni. Et idem
 36 Catullus alibi, Iuppiter ut tristi lumina saepe ma-
 37 nu. Liuius, ut opinor, Andronicus apud Festum in
 38 uerbo, Quande, Iuppiter ut muro fretus magis. &
 39 quae sequuntur. similiter Aristophanes, Ὡς ὃ
 40 τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν. Quaecumq. quidem
 ora per uirorum] in manuscriptis omnibus erat,
 Quaecumq. quod patrona uirgo. Alij, quo uersus
 stare, fecerunt, Quaecumq. quidem patrona uir-
 go. Alij etiam non Patrona, sed Patroa legendum
 censent. idq. fortasse propter πατρώας θεάς, in quibus
 est Minerva. quorum Deorum & Pausanias, &
 Macrobius in. III. Saturn. meminere. quibusdam
 etiam uenit in mentem hoc loco Chartae Virginis,
 cuius & Martialis, & ut opinor, etiam Plinius
 mentionem

mentionem fecerunt. Ego uero, quid scriptum uiderim, testari uolui. legebam tamen, Quaecumque quod est, patrona uirgo. sed ante hunc uersum desit fortasse quippiam. aut si nihil deest, ea sententia sit, quod quaecumque est, id tu Minerva diu uiuere, ac peruenire ad posteros uelis. Patronam enim Minervam dicit, cuius in clientela, tutelaque sint ingenia. Eam uero ut hic Patronam, Ennius & Dominam, & Heram dixit. & eandem virginem dici, Delphica illa tabula, de qua Plinius in. VII. Nat. hist. indicio est, cuius uerba sunt, Veteres Graecas, fuisse easdem paene, quae nunc Latinae, indicio erit Delphica Tabula antiqui aeris, quae est hodie in Pa- latio dono principum Minervae dicata in bibliotheca, cum inscriptione tali. ΝΑΥΣΙΚΡΑΤΗΣ ΤΙΣΑΜΕΝΟΥ. ΑΘΗΝΑΙΟΣ. ΚΟΡΑΙ ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙ ΑΝΕΘΗΚΕΝ. Sic enim est nonnullis in libris. Κόρα uero etiam Virginem significat. Romae quoque in Aedib. Melinorum eandem Deam virginemque significare uidetur monumentum uetus,

ΘΕΑΝ. ΚΟΡΗΝ
 ΣΑΡΔΙΑΝΟΙΣ
 Α. ΑΤΡ. ΣΑΤΤΡΟΣ
 ΑΠΕΛ. ΣΕΒΑΣ
 ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Perenne] Metaphora nota, non ut torrens aliquis, qui, cum imbre creuerit, fertur, idem mox defecit, sed ut maiora flumina sempiterno cursu feruntur,

ciae, *Delicium*. sed illo modo scriptum fuisse, uide-
 tur indicare *Martialis* in . VII. de sua puella, il-
 lis uersibus. *Accidit infandum nostrae scelus Au-*
 le puellae, *Amisit lusus deliciasq. suas*. Non qua-
 les teneri plorauit amica *Catulli*, *Lesbia*, nequitys
 passeris orba sui. Hoc autem blandimento ute-
 bantur in reb. carissimis appellandis. Idem post,
Amabo mea dulcis Ipsithilla, Meae deliciae, mei le-
 pores. In ueterib. monumētis, quae Romae uiderim,
 mariti cōiuges suas, et matres filias blande uocant.
 DELICIO. & DELICIO. SVO. & DELICIO
 SVO. CARISSIMO. Ego uero post hunc uersum le-
 gerem libenter illum, Et solaciolum sui doloris. mi-
 nus enim molestiae legentib. adferet horum senten-
 tia, atq. ordo uersuum. nec erit, cur, Et, in, Ut, mu-
 temus, cum sit illo modo scriptum in libris omnibus.
 saepe uero factum id animaduertimus in hoc prae-
 sertim poeta, ut suis locis moti uersus alienissimis
 legantur. Qui cū ludere, quem in sinu tene-
 re] similis saepe apud optimos auctores frequenta-
 tio. Cic. Cui in manu sit, quem esse dementem
 uelit, quem sapere, quem insanire, quem in mor-
 bum inigi, quem contra amari, quem accersiri, quē
 expeti. Qui cū ludere] *Ingenuorum lusus hic*
puerorum olim fuit. *Plaut. in Capt.* Nam, ubi illo
 adueni, quasi patricijs pueris aut monedulae, aut
 anates, aut coturnices dantur, quiscum lusitent.
 Et *Ouid. in. x. Metam. de Pygmaleone*, & virgi-
 nis statua, quam ille amabat, *Munera fert illi con-*
 chas,

20 chas, teretesq. lapillos, Et paruas uolucres, & flo-
 20 res mille colorum. Cui primum digitum dare
 adpetenti] Uno in manuscripto veterum more
 Qui, pro Cui scriptum legebatur. Primum uero di-
 20 gitum dicit, quod Chrysostomus, τὸ ἄκρον τοῦ δακ-
 20 τύλου. & Hippocrates in Aphorismo. XII. τὰ ἄκρα
 τῶν δακτύλων. Et acris solet incitare morsus]
 20 Acris morsus etiam dicit Cic. in. II. de Offic. Acro-
 20 res autem morsus, inquit, sunt amissae libertatis,
 quam retentae. Cum desiderio meo nitenti]
 20 idest puellae meae. sic Cic. ad Terentiam, opinor,
 20 Meum desiderium, mea lux. Sic Phanocles de Or-
 20 rheo, Πολλάκι δὲ σκιεροῖς εἰν ἄλσεσιν ἔξετ' αἰδῶν Ου-
 20 πόθον. οὐδ' ἦν οἱ θυμὸς ἐν ἡσυχίῃ. Et Bion in Bucolis
 20 cis, Θνατῶν ἀθανάτων τε πόθους. Et in veteribus
 monumentis Romae nomen puellae legitur, inde de-
 ductum, POTHVSAE. Carum nescio quid lu-
 bet iocari.] In Maffei libro erat Rarum. quod fa-
 ctum opinor ex eo quod erat Karum. sic enim id
 uerbum veteres scripsisse nonnumquam, multa ue-
 tustatis monumenta declarant. Carum autem id
 exprimit hoc loco, quod etiam Graecis est φίλον τι.
 Credo, ut cum grauis acquiescet ardor] le-
 gendum censeo, ut & Aldus olim impressit, Credo
 20 ut tum grauis acquiescat ardor. Similiter Tibul-
 20 lus in. I. Infelix dū requiescit amor. Tecum lu-
 dere, sicut ipsa, possem] sic quoq. erat in manu-
 scriptis omnibus. Aldus olim impressit, Secum lu-
 dere, sicut ipse, posse. Et tristes animi leuare cu-

ras] In manuscriptis veterum more, *Tristis*. ut supra *Acris*, non, *Acres*. Tā gratum mihi] In manuscriptis omnibus, *Tam gratum est mihi*. Guarinus signum ἐλαίφως suo in libro fuisse demonstrat. Et uero haec cū superioribus usquequaq. non cohaerent. Quod zonā soluit diu ligatā] Adducit in .1. Priscianus, quo doceat consonantem. v. pro uocali accipi. Ab huiusmodi uero zona Βαδύζωνοι, ἔχ' Χρυσόζωνοι Γυναικες a Graecis dicuntur. Eadē de zona Martialis, *Longa satis nunc sum: dulci sed pondere uenter Si tumeat, fiam tunc tibi zona breuis*. Soluendae zonae morem referunt ad Lycurgum auctorem. Sed, cum fere zonam soluere pleriq. intelligant id esse tantum quod uitare, aut gravidam relinquere, Hyperides etiam parere uidetur interpretari, cuius uerba sunt apud Hermogenis interpretem haec. λέγεται γὰρ τὴν λιπῶν κύουσαν τοὺς παῖδας ἐκ τοῦ ἐλαύνεσθαι ὑπὸ τῆς ἥρας κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν. ἥδη δὲ αὐτὴν βαρῶμένην καὶ ἀπορῆσαι εἰς τὴν γῆν ἐλθεῖν τὴν ἡμετέραν, καὶ λύσαι τὴν ζώνην ἐν τῷ τόπῳ. ὃς νῦν Ζωσήρ καλεῖται. Idem scribit Stephanus περὶ πόλεων in uerbo Ζωσήριον. Interpres quoq. Apollonij templum Athenis fuisse dicit Dianae dicatum λυσιζώνῳ. quod parturientibus scilicet praesse putabatur. quam ob causam etiam auctor Hymni in Dianam, λυσιζώνον eandem uocat. Hanc pelliceam Zonam fuisse dolet Placiades in Glossis. *Incaestum*, inquit, *puto*. A litteram debere retinere: ab eo quod est *Incaestum* uenit.

uenit. *Caestum* dicunt zonam pelliceam *Veneris*,
 quae legitimas nuptias ligat. Siquis ergo alieni le-
 gitimiq. matrimonij iura uiolauerit, *incaestum* di-
 citur admisisse, id est, quasi castitatis uinculum, zo-
 namq. *Veneris* uiolasse.

L V C T V S . P A S S E R I S

L V G E T E, o *Veneres*, *Cupidinesque*,
 Et quantum est hominum uenustiorum .
Passer mortuus est meae puellae,
 Quem plus illa oculis suis amabat .
 Nam mellitus erat, suamq. norat
 Ipsam tam bene, quam puella matrem,
 Nec sese a gremio illius mouebat ;
 Sed circumfiliens modo huc, modo illuc,
 Ad solam dominam usq. pipillabat .
 Qui nunc it per iter tenebricosum,
 Illuc, unde negant redire quemquam .
 At uobis male sit malae tenebrae
 Orci, quae omnia bella deuoratis ;
 Tam bellum mihi passerem abstulistis .
 O factum male, o miselle passer,
 Tua nunc opera meae puellae
 Flendo turgiduli rubent ocelli .

Et quantum est hominum uenustiorum] sic
 Plaut. in Capt. O mihi quantum est Hominum
 optimorum optime. Et Terent. Quatum hominum

- » est in foro. Et alibi, in *Phorm.* ut opinor, O o-
 » minium, quantum est qui uiuant, hominum honora-
 » tissime. Passer mortuus est meae puellae]
 Post hunc uersum in *Aldi* libro sequitur ille, quem
 supra posuit, Passer, deliciae meae puellae. qui ta-
 men in manuscriptis hoc loco non legitur. Quē
 plus illa oculis suis amabat] sic veteres de his,
 » quae sibi essent carissima. *Terent.* in *Adel.* Di me
 » pater omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc
 » amo meos. sic quoq. *Callimachus* in hymno in *Dia-*
 » nam. Καί δέ σέ φασὶ καλὴν Ἀντίκλειαν ἴσον φάσει φι-
 » λῆσαι. Ipsam tā bene] In manuscriptis quibus-
 dam, Ipsa. quod placet etiam. Ad solā dominā
 usq. pipillabat] In *Maffei* libro erat, Piplabat.
 scriptum fuisse opinor, Piplilabat. alij uiderint. ni-
 hil enim adfirmo. Qui nūc it per iter tenebri-
 colum] In manuscriptis omnibus, Tenebrosum.
 sed illud rectius. Per iter tenebricosū, idest sub ter-
 ras, ut ait poeta. similiter *Theocritus* in epigram-
 » mate. Οἶχεται ἀχίμαρος τὸ καλὸν τέκος, οἶχεται εἰς
 » ἄδαν. Illud] In manuscriptis omnibus, Illud. quod
 non displicet. *Seneca* ludo suo de morte *Claudy* *Cae-*
 » saris uersiculum hunc *Catulli* uno uerbo minus in-
 » seruit. Nec mora, inquit, *Cyllenius* illum collo obtor-
 » to trahit ad inferos e caelo, unde negāt redire quem
 » quam. Sic autem significat quam alij dicunt uiam
 » irreducem, οὐκ ἀπορρόν. Quae omnia bella de
 » uoratis] *Metitis*. *Horat.* Si metit *Orcus* *Gran-*
 » dia cū paruis. O factum male, o miselle pas-
 ser

ser.] Aldus olim edidit, O factum male, bellus ille
 passer. In manuscriptis omnibus erat, Bonum fa-
 ctum male, bonus ille passer. Ego uero, Latini ser-
 monis adductus proprietate, legendum puto, quo
 modo supra posui, O factum male, o miselle passer.
 in rebus enim tristibus usurpabant, O factum ma-
 le. Cic. in. xv. Epist. ad Att. O factum male de Ale-
 xione. Contra in secundis rebus, Factū bene. Plant.
 in Mostellaria, Factum optime. Ac post, Male
 hercle factum. Tua nunc opera] sic etiam est o-
 mnibus in manuscriptis. Aldus tamē impressit o-
 lim, Vestra nunc opera. sed illud aptius uidetur. ut
 ad passerem scilicet referamus. est autem Tua ope-
 ra, idem quod Propter te, Tua causa. sic enim vete-
 res loquebātur. quale illud Atti apud Non. Mar.
 Numquam erit tam immanis, cum mea opera ex-
 tinctum sciat, quin frangescat. & Aemili Probi il-
 lud de Lysandro. Hac uictoria Lysander elatus.
 cum antea semper factiosus, audaxq. fuisset, sic sibi
 indulgit, ut eius opera in maximum odium Grae-
 ciae Lacedaemony peruenerint. Flendo turgidu-
 li rubent ocelli] sic melioribus in libris. in alijs,
 pro Rubent, Tument. quod esse superuacaneum ui-
 detur, cum Turgidulos dicat. quo modo etiam Pro-
 pert. in. I. Quid nostro gemitu turgentia lumina
 torques. Martialis hunc Lesbiae fletum comme-
 morans in. XIII. de cauea lusit, Si tibi talis erit,
 qualem dilecta Catullo Lesbia plorabat, hic habi-
 tare potest.

PHASELLI . LAUS . ET . DEDICATIO

PHASELLVS ille, quem uidetis hospites,
 Ait fuisse nauium celerrimus,
 Neq. ullius natantis impetum trabis
 Nequisse praeterire, siue palmulis
 Opus foret uolare, siue linteo.
 Et hoc negat minacis Adriatici
 Negare litus, insulas ue Cycladas,
 Rhodum ue nobilem, horridam ue Thraciam,
 Propontida, trucem ue Ponticum sinum;
 Vbi iste, post phasellus, antea fuit
 Comata silua. nam Cytorio in iugo
 Loquente saepe sibilum edidit coma.
 Amastri Pontica, & Cytore buxifer
 Tibi haec fuisse, & esse cognitissima,
 Ait phasellus: ultima ex origine
 Tuo stetisse dicit in cacumine,
 Tuo imbuisse palmulas in aequore,
 Et inde tot per impotentia freta
 Herum tulisse, leua, siue dextera
 Vocaret aura, siue utrumq. Iuppiter
 Simul secundus incidisset in pedem;
 Nec ulla uota litoralibus dijs
 Sibi esse facta, cum ueniret a mare
 Nouissime hunc ad usq. limpidum lacum.
 Sed haec prius fuere: nunc recondita
 Senet quiete, seq. dedicat tibi
 Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

Phasellus

Phasellus ille] sic omnino scribendum uerbum, Phasellus, auctoris libris duobus antiquissimis Vergily, Vaticano, & illo altero Rodulfi Pij Cardinalis Carpens. in quibus uersus ille in. II II. Georg. scriptus legitur hoc modo, Et circum pictis uehitur sua rura phasellis. Ait fuisse nauium celerrimus] sic omnino legendum uel auctore illo, qui, Catulli abusus uersibus his, Sabino cuidam conuicium fecit. & sane Graeca tota ratio est. Neq. ullius natantis impetum trabis] Impetum dixit nauis ipsius celerem cursum, ut etiam Ennius in. XIII. Annal. ut Macrobius citat. Labitur uncta carina, uolat super impetus undas. Et auctor Hymni in Neptunum, Καὶ νῶν ἑυδρομον ὄρμην. Et idem in Leucotheam, Εὐ σοὶ γὰρ νῶν πελαγοδρομος ἄσματος ὄρμη. Ennius quoq. Trabem pro Naui posuit. apud Varronem in. VI. de lingua Lat. illius uersus est non integer, Vna trabes remis rostrata per altum. Siue palmulis Opus foret uolare, siue linteo] Ouid. in. I. Trist. uidetur imitatus, Est mihi, sitq. precor flauae tutela Mineruae Nauis, & a picta casside nomen habet. Siue opus est uelis, miniam bene currit ad undam, Siue opus est remo, remige carpit iter. Nec comites uolucris contenta est uincere cursu, Occupat egressas quamlibet ante rates. Propontida, trucem ue Ponticum sinum] ultimam syllabam uerbi Propontida producit, propter duas uerbi sequentis consonantes principes litteras. ut post, Per impotentia freta. Et alibi.

- » bi, *Nec deprecor iam si nefaria scripta. Et Ennius*
 » *apud Cic. in. I. Diuin. Conspicit inde sibi data Ro-*
 » *mulus esse priora Auspicio regni stabilita scamna*
 » *solumque. Quod est factum more Graecorum. Tru-*
 » *cem sinum sic dixit, ut Horat. in. I. Carm. Qui fra-*
 » *gilem truci commisit pelago ratem. Vbi iste,*
 » *post phasellus] Post phasellus. τὸ ὕσερον πλοῖον.*
 » *more enim Graeco dixit. Loquente saepe*
 » *sibilum edidit coma] sibilū ψιθύρισμα, ut Theo-*
 » *critus. Vergil. Argutumq. nemus, pinosq. loquen-*
 » *tes. sic etiam apud Athenaeum Bion in Bucolicis.*
 » *Εἴνδα καὶ ἦν πνέειν πολὺς ὄνεμος ἀπίτος ἄδει. Ly-*
 » *cophron Argo nauem κίωσαν λάλητρον, sed alia de*
 » *causa. namq. κίωσαν auem esse dicunt humanae imi-*
 » *tatricem uocis. eoq. sic dictam nauem illam, quod e*
 » *lignis Dodonae, unde reddebantur oracula, facta*
 » *esset. Id quod & Claudianus de bello Getico signifi-*
 » *cat. — licet omnia uates In maius celebrata ferant,*
 » *ipsamq. secādis Argois trabib. iactent sudasse Mi-*
 » *neruam, Nec nemoris tātum iunxisse carentia sen-*
 » *su Robora, sed caeso monitu Iouis augure luco, Ar-*
 » *bore praesaga tabulas animasse loquaces. Et*
 » *Cytore buxifer] Vibius Sequester de montibus.*
 » *Cytorus in Ponto Paphlagoniae buxopotens.*
 » *Ultima ex origine] sic Corn. Nepos in uita Atti-*
 » *ci. Pomponius Atticus ab origine ultima, stirpis Ro-*
 » *manae fuit. Tuo stetit dicit in cacumi-*
 » *ne] Tuo in uertice. Verg. Nos sumus idaeae sa-*
 » *cro de uertice pinus. Stetit] sic Columella*
 » *in.*

in. V. cap. VIII. Vel ubi arbutus, aut ilex stete-
 rant. - siue utrumq. Iuppiter Simul se-
 cundus incidisset in pedem] Iuppiter secundus
 is ab eo dicitur, qui a Pausania in Laconicis Ζεὺς
 Δάμερος. Cuius esse illis in locis templum scribit.
 De eodem Ioue Papinius, Ductorq. secundi Quod
 superest conuexa Iouis. Pedem uero quid in naui di-
 cerent, alij docent. Cic. in. III. de Orat. Nam, si
 res, inquit, suum nomen & proprium uocabulum
 non habet, ut pes in naui. Et Plin. in. II. Nat. hist.
 Isdem autem uentis in contrarium nauigatur pro-
 latis pedibus, ut noctu plerumq. uela concurrant.
 Et Seneca tragicus in Medea. Nūc praealto pede
 transversos captare notos. Euripides in Iphigenia.
 Αἴρι δ' ἰσία, πρότονοι, κατὰ πρῶραν, ὑπερ σόλον Εκ-
 πετάσουσιν πόδα Ναὸς ὠκυπόρου. Lusitani di-
 cunt, Poia. rudentem scilicet, siue funem, quo ue-
 lum trahitur, ac tenetur. pes ipse & quasi ueli ra-
 dix. Incidisset] De uentis etiam Homer.
 ξὺν τ' ἑυρὸς τ' ἔπεσε Ζέφυρός τε νότός τε δασίης. Et
 Apollonius in. I. Argon. totidem prope uerbis, quot
 Catullus eandem efferens sententiam, Εν δὲ λιγὺς
 πέσεν ὄυρος ἐπ' ἰκρίσιν δὲ κάλωας. Sic etiam Cic. in
 Arateis uersibus, Sin grauis inciderit uehementi
 flamine uentus. Et Vergil. Aut ubi nauigijs uiolen-
 tior incidit Euris. Nec ulla uota litorali-
 bus diis] ἀγιαλίοις. Ouid. Di maris, & terrae.
 Hoc de genere uotorum intelligendum illud Poetae.
 Votaq. seruati soluant in litore nautae. Dys autem

Διασυλλά-

,, διοσυλλάβως etiam Lucan. extulit in. II. O utinam
 ,, caeliq. dijs, erebiq. liceret. sic enim est in uetusto,
 ,, optimoq. Fuluij Ursini libro. Cum ueniret a
 ,, mari] In Maffei libro, A mare. in alijs, Amaret.
 ,, itaq. legendum omnino, A mare. quod & Gram-
 ,, matici veteres Priscian. & Caris. in. I. notarunt,
 ,, & Lucreti uersus in. I. posse fieri declarat, E ma-
 ,, re primum homines, e terra posset oriri Squamige-
 ,, rum genus. Et Ouid. in Ibin, Et summam Libyco
 ,, de mare carpat aquam. Nouissime] sic o-
 ,, mnibus in manuscriptis, non, Nouissimo. Hunc
 ,, ad usq. limpida lacum] Idem post de eodem
 ,, lacu. Saluete uosq. Lydiae lacus undae. Sed
 ,, haec prius fuere] prius, Olim. Idem alibi, Otiū
 ,, & Ciues prius & beatas Perdidit urbes. Et Hom.
 ,, Iliad. Σ. Πρὶν μὲν γὰρ πριάμοιο πόλιν μέροτες ἄνδρες ποί
 ,, Πάντες μὲν δέσποντο πολὺ χρυσόν, πολὺ χαλκόν. Simi-
 ,, liter Cic. ad Cornificium, Sed illud & praeterijt, &
 ,, leuius est. Nunc recondita Senet quiete]
 ,, Mirari satis non possum, cur hos uersus contra me-
 ,, tricam rationem aliter Priscianus legerit in. VIII.
 ,, cuius uerba sunt. Et multa praeterea a uetustissi-
 ,, mis similiter sunt prolata participia praeteriti a
 ,, neutralibus uerbis, ut a Seneca, Senectus. Ac dein-
 ,, de exēpli causa subicit, Catullus. Sed haec fuere,
 ,, nūc recondita Senecta quiete. Senesco enim inchoa-
 ,, tiuum est. Sallust. in. IIII. histor. Omnes, quibus se-
 ,, necto corpore animus militaris erat. Qui autem
 ,, uersus in Sabinum fecit, legisse hoc loco uidetur, Se-
 ,, det.

det. quo modo hoc ipso in genere Claudius Rutilius
 in Itinerario loquitur, Tranquilla puppes in statio-
 ne sedent. Tarnetsi Carisius, quo loco de Inchoatiuis
 disputat, & Diomedes Senet agnoscere, ac legere
 uidentur hoc loco. Eodem uerbo Lucretius utitur
 in. v. Nunc etiam senet, & trepido terrore repleta
 est. Vide Nonium Marcell. in uerbo Macore. Sen-
 tentia uero similis Enniana illa apud Cic. Sicut for-
 tis equus, spatio qui saepe supremo Vicit Olympia,
 nunc senio confectus quiescit.

AD. LESBIAM

VIVAMUS, mea Lesbia, atq. amemus,
 Rumoresq. senum seueriorum
 Omnes unius aestimemus assis.
 Soles occidere, & redire possunt:
 Nobis cum semel occidit breuis lux,
 Nox est perpetua una dormienda.
 Da mi basia mille, deinde centum,
 Dein mille altera, dein secunda centum:
 Dein usq. altera mille, deinde centum.
 Dein cum millia multa fecerimus,
 Conturbabimus illa, ne sciamus,
 Aut ne quis malus inuidere possit,
 Cum tantum sciat esse basiorum.

Viuamus, mea Lesbia] Fuluius Ursinus meus Zñv
 sic Graecos quoq. dicere annotauit, quale illud A-
 gathiae, Πνε γέρον, ζñdi Sic quoq. Cic. Quando uē
 uemus.

33 uemus. Et Martial. Postume uine hodie. Et Nonius
 33 Marcellus, Vitulantes veteres gaudentes dixerunt,
 33 sicuti qui nunc est in summa laetitia uiuere eum di-
 33 cimus. Rumoresq. senum seueriorum,
 33 Omnes unius aestimemus aosis] Mimnermus
 33 eodem prope modo, τὴν σωτοῦ φρένα τέρπε δυσηλε-
 33 γέων δὲ πολιτῶν Ἄλλος τίς σε κακῶς, ἄλλος ἄμεινον
 33 ἐρεῖ. Simillimis uerbis & sententia Cato apud Fe-
 33 stum Pompeium in uerbo, Obstinato. Rumorem, fo-
 33 mam floccifecit, captus stupris, obstinatus insigni-
 33 bus flagitijs. Seueriores senes morosos dicit. Horat.
 33 in. 1. Carm. Donec uirenti canicies abest morosa.
 33 Omnes unius aestimemus aosis:] Nihil cure-
 33 mus. Sic obsceni auctor carminis, Matronae pro-
 33 cul hinc abite castae, Turpe uos legere impudica
 33 uerba, Non aosis faciunt, euntq. recta. Et Plaut. in
 33 Capt. Neq. ridiculos iam teruncij faciunt. Augent
 33 huius leporem carminis, ἀντίθετα, Omnes, Vnius.
 33 Soles occidere, & redire possunt] Eiusdem sen-
 33 tentiae totum est illud asma in. IIII. Carm. apud
 33 Flaccum. Diffugere niues, & quae sequuntur.
 33 Nobis cum semel occidit breuis lux] sic omni-
 33 no distinguendum, ut sit, Nobis cum occidit. sic Ho-
 33 mer. in Odysse. Οἱ ζῦραι δὲ οἱ αἰεὶ, Φθίνουσι νύκτες
 33 τε καὶ ἡμέατα δακρυχέουσα. Nox est perpe-
 33 tua una dormienda] Hoc ipso de somno etiam
 33 auctor hymni in Mortem, Τὸν μακρὸν ζωῆσι φέρων
 33 αἰώνιον ὕπνον. Venustissime uero monosyllabum supe-
 33 rioris uersus, Lux, excipit sequentis monosylla-
 33 bum,

bum, Nox. Da mi basia mille, deinde cen-
 tum, Dein mille altera, da secunda centum]
 Posterior versus in manuscriptis legitur, Dein mil-
 le altera, Deinde secunda centum. legendum puto,
 Dein mille altera, dein secunda centum. Dein
 usq. altera.] In manuscriptis, Deinde usq. alte-
 ra. quod retinendum censeo, ne semper, Dein di-
 cat, et δ' ὀνόματι uideatur propter sequentem dictio-
 nem a uocali incipientem. Millia multa]
 sic alibi, Multa millia lusuum. Conturbabi-
 mus illa] Proprie dixit. Namq. rationes contur-
 bari proprie dicuntur. Aut ne quis malus
 inuidere possit] Malus, inuidus. Ut post, Nec
 possit mala fascinare lingua. Et Vergil. Ne noceat
 uati mala lingua futuro. Cum tantum sciat
 esse basiorum] Quam post segetem dicit oscula-
 tionis.

A D . F L A V I V M

FLAVI delicias tuas Catullo,
 Ni sint illepidae, atque inelegantes,
 Velles dicere, nec tacere posses.
 Verum nescio quid febriculosi
 Scorti diligis: hoc pudet fateri.
 Nam, te non uiduas iacere noctes,
 Nequidquam tacitum cubile clamat,
 Sertisq. Assyrio fragrans oliuo,
 Pulvinusq. peraeque & hic, & illic

Attritus,

Attritus, tremuliq. quassa lecti

Argutatio, inambulatioque.

Nam ni praeualet ista, nil taceres

Cur non tam latera exsoluta pandas,

Ne tu quid facias ineptiarum.

Quare quidquid habes boni, malique,

Dic nobis. uolo te, ac tuos amores

Ad caelum lepido uocare uersu.

Flauii delicias tuas Catullo] *An Flavius hic Ca-*
per fuit, Ennii, atq. ut opinor antiquiorum interpres
poetarum. quem saepe citat Carisius: an potius il-
le, cuius meminit Horat. in. I. Serm. sat. VI. quem
ueteres interpretes fuisse calculatorem scribunt: an
Flavius tribunus plebis factus biennio ante Caesa-
rem Consulem primo: an alter ille, cuius in. I. Epist.
ad Q. Fratrem meminit Cic. Nam, te non
uiduas iacere noctes] Sic noctes uiduas uidetur
dicere, ut & alibi, Lectum caelibem. Nequid
quam tacitum cubile clamet] frustra tacitum
cum uestros lusus tam multis rebus alijs prodat. Ni
si si forte legendum sit, Nequaquam tacitum cubile
clamet. sin illo modo malumus, sit, quale Ciceronis
illud in Diuin. Etiam sitacent, satis dicunt. &
quod addit Pedianus, Cum tacent, clamant. Ser-
tisq. Assyrio fragrans oliuo] In manuscriptis,
Sertis Assyrio. legendum omnino, Sertis, ac Syrio.
Assyrij namq. idem postea dicti Syrij. auctor Iusti-
nus in. I. Hoc opinor de genere oliui Martialis in.

„ VIII. *Si sapis Assyrio semper tibi crinis amomo*
 „ *Splendeat. Et Propert. in. II. Leuis odorato cer-*
 „ *uix manabit oliuo. Et ante hos Callimachus in Hy-*
 „ *mno in Apollinem, Αἰ δὲ κόμαι δυόεντα πέδω λείβου*
 „ *σιν ἔλαια. Horat. in. II. Carm. Malobatrū Syrium*
 „ *uocat. Puluinusq. peraeq. & hic, & illic]*
 „ *In manuscriptis omnibus non Illic, sed Ille. subau-*
 „ *diendum, Puluinus. Potest & illo etiam modo sub-*
 „ *audiri, ut sit Illic nomen, non aduerbium. Ouid.*
 „ *in. III. Amor. similiter, Cur pressus prior est, in-*
 „ *teriorq. torus. Puluinus, inquit Placiades in Glos-*
 „ *sis, priuati hominis cervical, uel culcital; pului-*
 „ *nar uero, ac puluinaria principum sunt, uel regum,*
 „ *id est lectisternia. Tremuliq. quassa lecti*
 „ *Argutatio] illa, ut ita dicam, lecti garrulitas.*
 „ *Fest. Pomp. in uerbo, Tacitus, Tacitus inquit, etiā*
 „ *argutus, quia potest aliquādo tacere. Sic alibi idem*
 „ *Catul. argutam soleam dixit crepitationem. nisi qui*
 „ *breuem malit intelligere. Cratinus apud Ephac-*
 „ *stionem hanc dicere uidetur, ἰκρίων φόησις. eius e-*
 „ *nim uersum illum ponit, Εὐδαίμων' ἔτικτε σε μήτηρ*
 „ *ἰκρίων φόησις. Ouid. in. III. Amor. similiter, Spon-*
 „ *daq. lasciuia mobilitate premat. Inambula-*
 „ *tioq.] Verbo Perambulare uti uidetur eodem in*
 „ *genere alibi, Perambulabit omnium cubilia.*

Nam ni praeualet ista, nil taceres, Cur non
 tam latera exfututa pandas, Ne tu quid facias
 ineptiarum] *In manuscriptis omnibus leguntur*
hi uersus hoc modo, Nam in ista praeualet nihil ta

cere, Cur non tam latera & futura panda, Nec tu
 quid facias ineptiarum. Difficilis omnino uerae,
 germanaeq. lectionis inuestigatio. conabar tamen
 ipse a scriptae lectionis uestigys quam poteram mi-
 nime longe discedens, Nam ni est turpe, uolens nihil
 taceres, Cui nunc tam latera exfututa, pandus Ni
 tu quid facias ineptiarum. Res ipsa tota obscaenissi-
 ma. latus autem exhauriri nimia uenere, & consu-
 mi solet. Ouid. in. II. Amor. Et lateri dabit in ui-
 res alimenta uoluptas. & in. III. Inualidum refe-
 rens emeritumq. latus. Facere uero ineptias sic di-
 xit, ut Plautus Stultitiam facere. Indidem, inquit,
 unde oritur, facito ut facias stultitiam insepilibi-
 lem. Quidquid habes boni malique,]Ve-
 nusti, inuenustiq. Belli, non belli. Idem alibi, Ve-
 rum a te metuo, tuoq. penne, Infesto pueris bonis, ma-
 lisq. Habes: Graece, ἔχεις, possides. Vergil. Post-
 quam nos Amaryllis habet. Volo te, ac tuos
 amores Ad caelum lepido uocare uersu] sic
 Cic. in. II. de Legibus, Et ollos, quos in caelum me-
 rita uocauerint. Et pro Deiotaro. Rex enim Deio-
 tarus uestram familiam abiectam & obscuram e
 tenebris in lucem uocauit.

AD . LESBIAM

QVAERIS, quot mihi basiationes
 Tuae Lesbia sint satis, superque.
 Quam magnus numerus Libyssae harenae

Lasfer-

Laserpiceris iacet Cyrenis,
 Oraclum Iouis inter aestuosi,
 Et Batti veteris sacrum sepulcrum s.
 Aut quam sidera multa, cum tacet nox,
 Furtiuos hominum uident amores,
 Tam te basia multa basiare,
 Vesano satis & super Catullo est:
 Quae nec pernumerare curiosi
 Possint, nec mala fascinare lingua.

Quam magnus numerus Libyssae harenae] Eo-
 dem genere cōtentionis utitur Callimachus in Hy-
 mno in Dianam. *Ἐπὶ δὲ στρατὸν ἰππημαλγῶν ἠγαγε*
κιμμερίων ψαμάδω ἴσον. Et idem Catullus alibi, *Illā*
pulueris Eryti, Siderumq. micantium Subducāt
numerum prius. Quod autem modo Harenam, mo-
do Puluerem dicit, utrumq. Ὀμηρικῶς. Ὅσα ψαμάδος
τε κόνιστε. Laserpiceris iacet Cyrenis] La-
 ser herba. cur autem Laserpiceris Cyrenas dicat,
 intelligi potest ex iis, quae scribit Sudas in uerbo
Σίλφιος. Caper Grammat. Laserpiciūm, inquit, flo-
rem, aut caulem aiunt. Sic autem Ouid. in. xv. Me-
tam. Lentisciferum linternum dicit. Et Batti
 ueteris] Battus urbem Cyrenas condidit, de quo
 Callimachus in Hymno in Apollinem, *Φοῖβος καὶ βα-*
δύγειον ἐμὴν πόλιν ἔφρασε βάτῳ. Battum uero uete-
 rem sic dixit, ut & Horat. in. III. Carm. Saturniū
 ueterem. Aut quam sidera multa, cum ta-
 cet nox, Furtiuos hominum uident amores.]

- 3) & silentem, & tacentem noctem dicunt. Tibul. De
 3) uouit tacito tempore noctis anus. Vergil. Aut intem-
 3) pesta silet nox. Et, Sub nocte silenti. Et, Per amica si-
 3) lentia noctis. Et Tibul. Vota nouem Veneri nocte si-
 3) lente tuli. Neq. uero semper mediam, atq. intempe-
 3) stam noctem debemus intelligere, quotiens silentem
 3) audimus. sed non numquam etiam serenam, & ut
 3) Vergil. uocat, puram. Quid quae te pura solum sub
 3) nocte canentem Audieram. Plinius Silens caelum
 3) dicit in. XVIII. cap. XXVIII. Alia sunt illa, quae
 3) silente caelo, serenisque noctibus fiunt. Furti-
 3) uos hominum uident amores] Auctor Hymni
 3) in Apollinem astra ipsa noctis oculos dicit, & silen-
 3) tem noctem, silensq. caelum, & pacatum significat,
 3) Νυκτὸς ἐν ἡσυχίᾳσιν ἐπ' ἀσερόματον ὄρφνην.
 3) Et Iuuenalis in. VIII. de nocturnis adulteris, Noctem
 3) quidem sed Luna uidet, sed sidera testes Intendunt
 3) oculos. De nocte namq. circum uagantur amato-
 3) res. Ex hoc genere est illud Theocriti, Ἀλλὰ σελένα
 3) φαίνει καλόν. Tam te basia multa basiare]
 3) Vel ut Te ipse basia tā multa basier; Vel potius, ut
 3) Tu tam multa basiere basia. dixit enim ante, Da
 3) mi basia mille. Nec possit mala fascinare
 3) lingua] Malā, Inuidā dici, iam monui. sic Vergil.
 3) Ne noceat uati mala lingua futuro. Et auctor in-
 3) certus carminis illius, Effundit mala lingua uirus
 3) atrum. Callimachus in Hymno in Delum, mala lin-
 3) gua feminam dixit, Σὺ δὲ τέκνα κακογλώσσοιο γυναι-
 3) κὸς Ἑλλαχες.

AD . SE I P S V M

MISER Catulle, desinas ineptire,
 Et, quod uides perisse, perditum ducas.
 Fulsero quondam candidi tibi soles,
 Cum uentit abas, quo puella ducebat
 Amata nobis, quantum amabitur nulla.
 Ibi illa multa tum iocosa fiebant,
 Quae tu uolebas, nec puella nolebat,
 Fulsero uere candidi tibi soles.
 Nunc iam illa non uult: tu quoq. impotens esto.
 Nec, quae fugit, sectare: nec miser uiue:
 Sed obstinata mente perfer, obdura.
 Vale puella: iam Catullus obdurat:
 Nec te requiret, nec rogabit inuitam.
 At tu dolebis, cum rogeris nulli.
 Scelestam te ne. quae tibi manet uita.
 Quis nunc te adibit. cui uideberis bella.
 Quem nunc amabis. cuius esse diceris.
 Quem basiabis. cui labella mordebis.

Et, quod uides perisse, perditum ducas] *Proper*
dito habes, ut loquitur Festus in uerbo Vallescit.
 Plautus in *Cistellaria* similiter, *Quod perijt, perijt.*
 Et alibi sic uerbo *Duco* est usus Plautus, *Ego illum*
perisse duco, cui perijt pudor. Fulsero quondam
 candidi tibi soles] *Dies ipsos poetae Soles dicunt.*
 Lucretius in .vi. *Nec tamen omnino temere illis*

- » solibus ulla comparebat auis. Et Vergil. Cantando
 » longos memini me condere soles. Et apud Stobaeū
 » Euphorion. Ηελίουσ ἦλισ σε τρικκοσίουσ ἐφόρησα. Can-
 didum solem felicem diem Catullus appellat, ut Ho-
 » rat. nigrum, infelicem. Huncine solem Tam nigrū
 » surrexe mihi. Lucret. candentem solem, diem cum
 » significaret, etiam dixit, in. vi. Octauoq. fere cāden-
 » ti lumine solis. est enim is lucis color. Sic Ennius a-
 » pud Festum, Prodinunt famuli, tum candida lumi-
 na lucent. Ibi illa multa tum iocosa fie-
 bant] πολλὰ τερπνὰ, quomodo apud Stobaeum Tyr-
 taeus loquitur. Quae tu uolebas, nec puel-
 » la nolebat] similiter Ouid. in. III. Amor. Cupiens
 » pariter cupiente puella. Nunc iam illa non
 uult, tu quoq. impotens esto] In manuscriptis
 & mancus hic uersus, & uarie legitur. In alijs, pro,
 Impotēs, Impote. In alijs, Inepte. atq. in omnibus pes
 deest extremus. Ego coniecturam faciebam hanc,
 Nunc iam illa non uult, tu quoq. impotens noli. sic
 ut Impotens è πιλαικῶσ dictum accipiamus. Vel illo
 modo legamus, Nunc iam illa non uult, tuq. inepte
 » iam nolis. Nec miser uiue] Graecorum mo-
 » re, ut & Horat. Et sine uiuat ineptus. Idem post, Sed
 » tu insulsa male, & molestā uiuis. Perfer, ob-
 » dura.] sic Ouid. in. III. Amor. Perfer & obdura,
 » postmodo mitis erit. At tu dolebis, cum ro-
 » gaberis nulli. Scelesta te ne] In manuscriptis
 alijs, Cum rogaberis nulla Scelesta ne te. In alijs,
 Cum rogaberis nulla scelesta nec te. Legēdum puto,
 Cum

Cum rogaberis nulla scelestâ nocte .

Quae ti

bi manet uita .] Idem paene dixit Arrianus illis

uerbis, Βιότοιο ὅς κ' ἐπιδ' ἄνδ' ἑστρωφᾶται .

A D . V E R A N N I V M

VERANNI, omnibus e meis amicis
Antistas mihi millibus trecentis ,
Venisti ne domum ad tuos penates ,
Fratresq. unanimes, tuamq. matrem .
Venisti . o mihi nuntij beati .
Visam te incolumem, audiamq. Iberum
Narrantem loca, facta, nationes ,
Ut mos est tuus, applicansq. collum
Iucundum os, oculosq. suauabor .
O quantum est hominum beatiorum ,
Quid me laetius est, beatius ue .

Veranni, omnibus e meis amicis Antistas mihi
 millibus trecentis] *In manuscriptis omnibus ,*
Antistes, ut nomen id sit, non uerbum . quasi id di-
cat, Veranni trecentis millibus, ex omnibus meis a-
micis, praeposite, ac praelate . Verbum uero ipsum
translatum a religionibus . Placidus in Glosfis in-
 terpretans, *Antistant, inquit, meliores sunt . Macro-*
bis in . III . Saturn . Veranium quendā citat de uer-
bis Pontificalibus, quem esse eundem puto, cuius uir-
tutis testimonio Festus in uerbo, Oletum . Et, quod
ad hunc ipsum scriberet Catullus, propterea fortas-

se Pontificali uerbo libentius est usus. Venisti
 ne domum ad tuos penates, Fratresq. unani-
 mes, tuamq. matrem] *In manuscriptis alijs, Fra-*
tresq. uno animo, sanamq. matrem. In alijs, Fra-
tresq. uno animo, suamq. matrem. Gabriel Faer-
nus, uir acerrimo iudicio, praestanteq. doctrina, le-
gendum putabat, Fratresq. unanimos, anumq. ma-
trem. quod eo probabilius esse dicebat, quod memi-
nisset Gellium in. III. cap. xv. in Annalibus Roma-
 » nis scriptum commemorare, qua tempestate apud
 » Cannas exercitus Pop. R. caesus est, anum matrem
 » nuntio de morte filij allato luctu atq. maerore adse-
 » etam esse. Legi etiam possit, Fratresq. unanimos,
 » tuamq. matrem. Et, Fratresq. unanimos senemq.
 » matrem. Senem enim feminino etiam genere dice-
 » bant. Varro in. vi. de ling. Lat. uersus ponit Pompo-
 » niy. Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica
 » Casca Philotonis ipsa senex puerum. Unanimos fra-
 » tres & Vergil. in. vii. sic dixit, Tu potes unanimos
 » miscere in proelia fratres. Et in. iiii. Cum sic una-
 » nimem adloquitur male sana sororem. Unanimos
 » autem, pro Unanimes, etiam alibi idem posuit. Una-
 » nimis false sodalibus. Et alibi, Non prius unanimis
 » corpora coniugibus. Visam te incolumem]
 Ευλυχοῦντα καὶ σεσωμένον. ut Menander apud
 Macrobian. in. v. Saturn. loquitur.

DE VARRI SCORTO

VARRVS me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum,
Scortillum ut mihi tum repente visum est,
Non sane illepidum, nec inuenustum.
Huc ut uenimus, incidere nobis
Sermones uarij, in quibus, quid esset
Iam Bithynia, quo modo se haberet,
Et quonam mihi profuisset aere.
Respondi, id quod erat, nihil nec ipsi,
Nec praetoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret,
Praesertim quibus esset inrumator
Praetor, nec faceret pili cohortem.
At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur, aere comparasti
Ad lecticam homines. ego, ut puellae
Unum me facerem beatiorum,
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
Ut, prouincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat neq. hic, neq. illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, ut decuit cinaediorens,
Quaeso, inquit, mihi mi Catulle paulum
Istos commoda. nam uolo ad Serapin

Deferris

Defferri, mane me inquit puellae:
 Istud, quod modo dixeram me habere,
 Fugit me ratio. meus sodalis
 Cinna est Caius: is sibi paravit.
 Verum, utrum illius, an mei, quid ad me.
 Vtor tam bene, quam mihi pararim.
 Sed tu insulsa male, & molesta uiuis,
 Per quam non licet esse negligentem.

VARRVS me meus ad suos amores Visum du-
 xerat] *Aly Varum per unum. R. scribunt, &*
Quinctilium Varum hunc esse adfirmant. In ma-
nuscriptis omnibus erat, Varius. quod quidem ip-
sum uitiosum est, sed ad eam propius scripturam,
quam sequimur. ac nescio an Q. Varrum intelli-
gat, praefectum equitum Domitij, de quo Caesar
in. III. de bello ciuili: an potius, si modo non idem
est, Varrum Cinnae contubernalem De quo L. Cae-
cilius Minutianus de Batto iambico poeta Ouidi
contubernali, in ijs fragmentis, quae scripta extant
 ,, apud paucos, De quo, inquit, Varrus, & Cinna
 ,, contubernales in suis poematis meminere. Seruius
 in illud Vergili in Bucolicis, Tu post carecta late
 bas, Varrum tragoediarum scriptorem appellat.
 ,, Ad eundem, credo, post scribit, illa, Suffenus iste,
 ,, Varre, quem probe nosti. et quae sequuntur. Quod
 autem dicit se a Varro ad suos amores ductum esse
 ,, uisum, simile hoc illius est Plautini in Poenulo, Hem
 ,, amores tuos si uis spectare. Scortillum mi
 hi

hi tum repente uisum est] *In manuscriptis omnibus, Scortillum ut mihi tum repente uisum est. quod est probandum. Ut, autem, pro ubi. sic post, Litus ut longe. Et alibi, Verum totius ut lacus. Huc ut uenimus] Ad eam postquam propius accessimus ad colloquium. sic Horat. ut huc nouus incola uenit. Et Aemil. Probus in uita Pausaniae, Huc ut uenit, ab Ephoris in uincula publica coniectus est. Quomodo se haberet.] In manuscriptis, Quomodo posse haberet. quod factum puto, quod supra uerbum, Modo, scriptum esset Pacto: e quo & sequente uerbo, se coaluit alienum huic loco uerbum Posse. Et quonam mihi profuisset aere.] In manuscriptis omnibus eodem modo. Legendum forte, Ecquonam. Sic post, Ecquidnam in tabulis patet lucelli. Sic Cic. in Part. Orat. Ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent. Respondi, id quod erat, nihil nec ipsi] *In manuscriptis omnibus, Nihil neq. in ipsis. Ego legendum putabam, Mihi nec ipsi. Idq. eo magis, quod & Ciceronem, & Caesarem sic fere loqui animaduerto, Est cur, Non est cur. Cur quisquam caput unctius referret] Vnctum caput, diuitiarum argumentum. Lucil. Hi, quos diuitiae producunt, & caput unguunt. Et Vncti diuites dicuntur. Iuuenal. Vnctamq. Corinthon. Facete Cic. in. IIII. contra Verrem, Ita palestritas, inquit, defendebat, ut ab illis unctior discederet. Itaq. aere dirutos omnes ea in prouincia fuisse dicit, idq.**

idq. praetoris culpa ipsius. Praesertim qui-
 bus esset inrumator Praetor] *Qui praetorem
 haberent libidinosum, ac luxu perditum. Nec
 faceret pili cohortem] sic post, Nec pili facit
 uni.* Quod illic Natum dicitur, aere cō-
 parasti] *In manuscriptis omnibus non Aere, sed
 Esse, idest, quod illic esse natum dicitur. nisi quis Es-
 se, in Asse, mutandum putet. Quod natum, ge-
 nere neutro sic dixit, cum de homine loquatur, ut
 Terent. in Andria, Nam quod peperisset, iussit
 tolli. Item Plautus in Amphitruone, Verum quod
 erit natum, tollito. Cic. in XI. Epist. ad Atti-
 cum. Haec ad te die natali meo scripsi. quo uti-
 nam susceptus non essem, aut nequid ex eadem ma-
 tre postea natum esset. Et Horat. in V. Carm. de
 diis. At o deorum quidquid in caelo regis Terras,
 & humanum genus. Ad lecticam homi-
 nes] *Non lecticarios. hi namq. lecticarum fabri
 sunt. sed qui portant. a quibus ex aphorum, &
 octophorum lecticarum genera a portantium nu-
 mero, qui fere Cappadoces erant. Vnum ut
 me facerem beatiorum] In manuscriptis omni-
 bus, Beatiorum. illud rectius videtur. Sic Cic. pro
 Plancio, Feci me unum ex is, qui ad aquas vene-
 rant. Ut, prouincia quod mala inci-
 disset] sic in Maffei libro. in alijs, Qui mala inci-
 disset. legendum forte, Ut prouincia quum mala
 incidisset. Non possem octo homines pa-
 rare rectos] octophorum significat. Rectos au-
 tem,**

tem, proceros, praestanti corpore. Sic post de *Quin-*
 2) *etia*, *Mihi candida, longa, Recta est. Et Ho-*
 2) *rat. in I. Serm. Candida, rectaq. sit. Parare,*
 2) *pro Emere etiam Horat. Opinor, pretio maiore pa-*
 2) *randi. Et Plinius in . XXXVII. Nat. hist.*
 2) *Sed Nero, ut par erat, uicit omnis. CCC. ses-*
 2) *tertys capidem unam parando. memoranda*
 2) *res, tanti imperatorem, patremq. patriae bibis-*
 2) *se. Fractum qui ueteris pedem grabati]*
Maior esse extenuatio non potest. Vetus autem gra-
 2) *batum sic dicit, ut alibi, Vetus ploxemum. In*
collo sibi collocare posset] Venuste παρωνύμιος,
In collo collocare. Ut decuit cinaediorum]
Impudentiorem, callidiorum. Ut a Cinaedo autem
Cinaediorum Catullus, sic a Patico Paticissimos fe-
 2) *cit Martialis in. XII. ad Rufum, Musaei paticissi-*
 2) *mos libellos. Quaeso, inquit, mihi mi Ca-*
tulle paulum Istos commoda. nam uolo ad
Serapin] sic etiam erat omnibus in manuscriptis,
praeterquam in uno, in quo erat, Paululum. ut ulti-
ma syllaba a sequenti excipiat. Versus autem ip-
se stare, ac procedere non uidetur, impediende extre-
ma syllaba uerbi Commoda. nam, quod ante Aldus
impressit Commodita, id sine consensu scriptorum li-
brorum fecit. Ego sic emendabam, Quaeso, inquit,
mihi mi Catulle paululum Istos. nam uolo commo-
de ad Serapin. ut illud prius ἐλλειπτικῶς dixerit. cu-
ius generis multa sunt exempla. Serapis autem Ro-
mae post Pisonem, & Gabinium Cos. coli coepit. au-
ctor

etor Arnobius. Deferrī, mane me inquit
 puellae] In manuscriptis omnibus, Deferrī, mane
 me inquit puellae. nec dubitandum, quin, Inquit, le-
 gendum sit. Ego uero legendum puto, Deferrī, ma-
 ne inquit puellae. abundare namq. Me, usus ipse
 » antiquorum docet. De quo Caris. in. II. Mane ma-
 » ne, inquit, porro ut audias, cupiditas adfectus est.
 » Sic Plaut. in Casin. Cedo, mane, unum uenit in men-
 » tem modo. Et alibi, Sed mane dum, num ista popul-
 » na fors, aut abiecta est tua. Et in Pseud. Hem ma-
 » ne quāti istuc unū coquinare doces. Et Plin. in. VIII.
 » Epist. ad Motanū, Finem existimas mane dū, et ma-
 » iora accipe. Et eodē modo Sophocles in Oedipo Tyr.
 » Ποῖνισι μείνον. τίς δέ μ' ἐκφύει βροτῶν. Cinna
 est Caius] C. Heluius Cinna. cuius citat epigram-
 mata Nonius in uerbo Clypeat. Vtor tam
 bene, quam mihi pararim] In manuscriptis qui-
 busdam extrema littera uerbi Pararim sic scribit,
 ut a figura. s. elementi parum absit. quomodo ho-
 dieq. nonnumquam. M. scribimus in extremo. le-
 gendum fortasse sit, Vtor tam bene, quam mihi para-
 tis. sic enim nihil desideremus. Sed tu insul-
 sa male] sic legendum uidetur coniuncte, Male in-
 sulsa. ut apud Horat. Male salsus. quo modo, mole-
 stum sibi id esse, cui adderetur uerbum Male, signi-
 ficabant.

AD. FVRIVM. ET. AVRELIVM

FVRI, & Aureli, comites Catulli,
Siue in extremos penetrarit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda,
Siue in Hircanos, Arabasq. mollis,
Seu Sacas, sagittiferosq. Parthos,
Siue qua septemgeminus colorat
Aequora Nilus,
Siue trans altas gradietur Alpes,
Caesaris uisens monumenta magni,
Gallicumq. Rhenum, horribilesq. ulti-
mosq. Britannos.
Omnia haec, quaecumq. feret uoluntas
Caelitum, tentare simul parati,
Pauca nuntiate meae puellae
Non bona dicta.
Cum suis uiuat, ualeatq. moechis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans uere, sed identidem omnium
Ilia rumpens.
Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit, uelut prati
Ultimus flos, praetereunte postquam
Tactus aratro est.

Furi,

Furi, & Aureli, comites Catullij] *Furius opinor, hic est Bibaculus, siue, si modo non idem est, P. Furius, quem accusauit Cato pro direptis Lusitanis. Auctor Ascon. in extrema commentatione in Diuin. Aurelius autem sit ille fortasse, L. Aurelius Cotta praetor, qui legem promulgauit de restituendis iudicijs equestri ordini. Idē Ascon. in. II. contra Verr.*

» *Ad eundem credo post, Aureli, pater esuritionum.*

» *Et, Aureli, ueniam peto pudentem.* Litus

ut longe resonante Eoa, Tunditur unda] sic nō semel loqui Catullum docui. nunc ostendam in a suo

» *Graecos etiam sic uti, Sophocles in Oedipo Tyranno.*

» *no. Σὺ καὶ δέδορκας, κ' οὐ βλέπεις ἴν' εἶ κακοῦ. Euripides in Phoenissis,*

» *Καλλιπότημος ὕδατος ἵνα τε Νο*

» *τις ἐπέρχεται γαίης δίρκας χλοηφόρους καὶ βαθυσπό-*

» *ρους γύας. Et in Bacchis, ἵνα θελξίφρονες νέμονται*

» *Θνατοῖσιν ἔρωτες. Et in Alcesti, Ἴν' ὁ ποντομέδων πορ*

» *φυρέας λύμνης Ναύταις οὐκ ἐδ' ὁδὸν νέμει. Et Hy-*

» *mnii auctor in Parcas, Οὐρανίας, ἵνα λάκκὸν ὕδωρ νυ*

» *χίας ἀπὸ θερμῆς. Et Callimachus in lauacro Pal-*

» *ladis, ἢ πὶ κορωνείας, ἵνα οἱ τεθυομένον ἄλσος.*

Litus ut longe resonante Eoa Tunditur unda.] Boetius, auctor non contemnendus, in. IIII. de

» *Consol. philosophica similiter, Nemo miratur flamma*

» *na Cori litus furenti tundere flatu. Et multo ante*

» *Tibullus in. II. Stare uel insanis cautes obnoxia uē*

» *tis Naufraga quam uasti tunderet unda maris.*

Eodem modo Priscianus, siue quisquis alius inter-

» *pres Dionysi de situ orbis, Post haec Aeoliae tellus*

protenditur

,, protenditur orae, Fluctibus Aegypti primis quae
 ,, tunditur alti. Et legendum forte, Litus ut longe reso-
 ,, nans Eoa Tunditur unda. sic Vergil. in. 1. Georg.
 ,, Aut resonantia longe litora. Arabasq. mol-
 ,, lis] Teneros. Tibul. Quos tener e terra diuite mit-
 ,, tit. Arabs. Seu Sacas, sagittiferosq. Par-
 ,, thos] sic etiam post secunda sede Trochaeum po-
 ,, suit, Pauca nuntiate meae puellae. quod ad Grae-
 ,, corum fecit imitationem. eodem enim modo Sap-
 ,, pho, Ποικιλόδρον' ἀδανάτ' ἀφροδίτα. Et eodem mo-
 ,, do saepe in eodem asmate. Qua septemgemi-
 ,, nus colorat Aequora Nilus] In manuscriptis
 ,, quibusdam, non Qua, sed Qui. In Maffei libro
 ,, Que. legendum puto, Quae. Septemgeminus, ἐπτά-
 ,, πωπος. Caesaris uisens monumenta ma-
 ,, gni] In veteribus monumentis quotquot aut Ro-
 ,, mae, aut alibi mihi uidere contigit, in uerbo Moni-
 ,, mentum, quarta semper est. v. Ut uetustissimo in sa-
 ,, xo ad eam portam, quae sancti Pancratij hodie Ro-
 ,, mae dicitur. Quid autem Monumentum sit, indi-
 ,, cant insignes loci apud Cic. in Oratione pro Mar-
 ,, cello, Obstipescēt posteri certe, imperia, Prouincias,
 ,, Rhenum, Oceanū, Nilum, pugnas innumerabiles,
 ,, incredibiles uictorias, monumenta, munera, trium-
 ,, phos audientes & legentes tuos. Et pro Fonteio, Par-
 ,, tim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo
 ,, bella domiti, modo triumphis, ac monumentis nota
 ,, ti, modo ab Senatu agris urbibusq. multati. Et a-
 ,, pud Ennium Africanus patriam adloquens, Naq.

D tibi

- » tibi monumenta mei peperere labores. Et Propert.
 » in. III. Hannibalis spolia, & uicti monumenta Si-
 » phacis. Et idem in. IIII. Actia Iuleae pelagus mo-
 » numenta carinae. Nicolaus Florentinus Batauus
 gemmam veteris artificij mihi ostendit Romae, Vi-
 ctoriae imagine ac trophæo insignem, & singulari-
 bus notatam litteris, his, H. V. M. Quas interpreta-
 batur, Hispaniae utriusq. monumentum. uel, Hoc
 uictoriae monumentum. uel, Hostium uictorum mo-
 numentum. Callimachus in Hymno in Dianam,
 » Σημεῖα νίκης uidetur dicere. Οὐμιν ἐπὶ κλητοὶ καλυ-
 » δωνίου ἀγρᾶ τῆρες Μέμφονται κάπριοι τὰ γὰρ σημεῖα
 » νίκης Ἀρκαδίην εἰσηλθεῖν, ἔχει δ' ἐτι θηρὸς ὀδόντας.
 Gallicumq. Rhenū, horribilis & ulti mosq.
 Britannos] In manuscriptis omnibus est, Horri-
 bilesq. ulti mosq. Britannos. itaq. legendum censeo,
 ut inoffense concurrāt uocales, E, &, V. Sic enim Ca-
 tullus solet. & sit qui sequitur uersus προκέφαλος.
 quod cum multi non intelligerent, poetae numeros
 corrumpere. Pauca nuntiate meae puellae
 Non bona dicta] Translata omnia ab augurali
 disciplina. e qua sunt, Nuntiare, & Nuntiatum. &
 Bona, & mala uerba. Cum suis uiuat, ua-
 » leatq. moechis] sic veteres, ut Terent. in Adel-
 » ph. An pro huius peccatis ego supplicium sufferam.
 » immo habeat, ualeat, uiuat cum illa. Quos
 simul complexa tenet trecentos] Hoc uteban-
 tur numero, cum nimis multos significabant. Idem
 » alibi, Quare aut hendecasyllabos trecentos expe-
 eta.

» *Et. Horat. in. 1. Sermon. Trecentos ingeris ohe.*
At apud Iulium Capitolinum in probrosis uersibus,
in eandem factis sententiam, centum sic moechi di-
 » *cuntur. Vidimus in somnis ciues, nisi fallor, & istud*
 » *Antoninorum nomen puer ille gerebat, Qui patre*
 » *uenali genitus, sed matre pudica. Centum nam moe*
 » *chos passa est, centumq. rogauit. Ipse etenim Caluus*
 » *moechus fuit, inde maritus. En prius, en Marcus,*
 » *Verus nam non fuit ille. - sed identidem o-*
 » *mnum Iliarumpens] Sic Vergil. Rumpantur*
 » *ut Iliarodro. Et Martial. opinor de quodam, Rum-*
 » *pitur inuidia. Sic autem dicebant de is, quos agi ra-*
 » *bie, & furore significabant. Nec meum spe-*
 » *ctet, uelut ante, amorem] legi omnino debet, ut*
 » *est in manuscriptis omnibus, Nec meum respectet*
 » *ut ante amorem. Qui illius culpa cecidit,*
 » *uelut prati Ultimus flos] In manuscriptis omni-*
 » *bus haud paullo concinnius legitur, Ultimi flos. Ul-*
 » *timum enim pratum eleganter dicit, partem extre-*
 » *mam & quasi oram prati ipsius. Praetereun-*
 » *te postquam Tactus aratro est] Idem alibi de*
 » *Flore, Nulli contusus aratra.*

I N . A S I N I V M

MARRVCINE *Asini, manu sinistra*

Non belle uteris in ioco, atq. uino:

Tollis lintea neglegentiorum.

Hoc falsum esse putas. fugit te inepte.

D 2

Quamuis

Quamuis sordida res, & inuenusta est.
 Non credis mihi. crede Pollioni
 Fratri, qui tua furta uel talento
 Mutari uelit: est enim leporum
 Disertus puer, ac facetiarum.
 Quare aut hendecasyllabos trecentos
 Expecta, aut mihi linteum remitte:
 Quod me non mouet aestimatione,
 Verum est μνημόσυνον mei sodalis.
 Nam sudaria setaba ex Iberis
 Miserunt mihi muneri Fabullus,
 Et Veranius. haec amem, necesse est,
 Ut Veraniolum meum, & Fabullum.

Marrucine Asini, manu sinistra Non belle ute-
 ris in ioco, atq. uino] leua, furto infamis. Plaut.
 „ in Per. Vbi altera est furtifica leua. In io-
 „ co, atq. uino: Idem alibi, Reddens mutua per
 „ iocum, atq. uinum. Furandi morem per iocum re-
 „ fert Sueton. in Nerone Claudio, Vetiti, inquit, qua-
 „ drigariorum lusus, quibus inueterata licentia pas-
 „ sim uagantibus fallere ac furari per iocum ius erat.
 Hoc falsum esse putas.] Eodem modo obsceni au-
 „ ctor carminis, Nimirum tibi salsa res uidetur.
 Quamuis sordida res, & inuenusta est] Eodem
 „ modo loqui Cic. uidetur in orat. VII. in Verr. Expe-
 „ ctate facinus quam uultis improbum. Et Ouid. in.
 „ IIII. Fast. Nulla mora est operi: uestrum dare,
 „ uincere nostrum est. Quam uelit Aeneas ista nega-

ea mihi. Non credis mihi. crede Pollioni
 Fratri] Ex his uerbis intelligitur hic Asinij Pollio
 nis frater fuisse. Et Pollio ipse Marrucinus fuisse.
 qui tum puer esset, aequalis Horatij. Mutari

uclit] sic Horat. Hic mutat merces surgenti ab so
 le. Et Vergil. in. III. Georg. Quamuis Milesia ma
 gno Vellera mutantur. Mutator hoc modo Graecis
 opinor dicitur, Μεταβολεύς. Demosthen. Εἰ δὲ κάπη
 λός ἐστι πονηρίας, καὶ παλιγκάπηλος, καὶ μεταβολός.
 est enim, ut Grammatici tradunt, λέξις ἐμπορικῆ.
 ὅθεν μεταβολεῖς ὀβολῶν, καὶ ἀλφίτων, καὶ τῶν τοιού
 των, οἱ αὐτὰ καταλλάσσοντες.

Quod me non
 mouet aestimatione] Tanti mihi non est.

Verum est μνημόσυον mei sodalis] Monumen
 tum. memoriae causa donum. Sic enim est in uete
 ri monumento Romae in aedibus Angeli Colotij.

I V L I V S . V A L E N T I O
 E T . A N T O N I A . E R M I
 O M E . I V L I A E . V A L E N
 T I N A E . F I L I A E . B E N E
 M E R E N T I . M E M O R I
 A E . C A V S A E . D O N V M
 D E D E R V N T . A N . V . P . M . I I

Erat autem sculptum ibidem Causae, cum Causa es
 se debeat. Hoc amem, necesse est] Rectius
 in manuscriptis omnibus, Haec amem, necesse est.
 Sudaria, scilicet. Ut Veraniolum meum,

& Fabullum] *Nec male isdem in libris, Et Veraniolum meum, & Fabullum.*

AD . FABVLLVM

CENABIS bene, mi Fabulle, apud me
 Paucis, si tibi dij fauent, diebus,
 Si tecum attuleris bonam, atq. magnam
 Cenam, non sine candida puella,
 Et uino, & sale, & omnibus cachinnis.
 Haec si, inquam, attuleris, Fabulle noster,
 Cenabis bene. nam tui Catulli
 Plenus sacculus est aranearum.
 Sed contra accipies meros amores,
 Seu quid suauius, elegantiusue est:
 Nam unguentum dabo, quod meae puellae
 Donarunt ueneres, Cupidinesque:
 Quod tu cum olfacies, deos rogabis,
 Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

Non sine candida puella] *Idem alibi, Quamuis can-*
 dida millies puella Euntem reuocet. Et sale] *Lepore, Facetijs.* Haec si, inquam, attule-
 ris, Fabulle noster] *In manuscriptis omnibus, Venuste noster. quod retinendum censeo. - nam tui Ca-*
 tulli Plenus sacculus est aranearum] *summam*
inopiam sic, & egestatem significabant. Sacculum
uero pro crumena posuit. Placiades enim in Glossis
crumenam sacculum interpretatur. In arca uero

& sacculo reponerant pecunias . Iuuenal. Sat. XI.
 Ignorat quātū ferrata distat ab arca Sacculus . Et
 Horat. Congestis undiq. saccis Indormis inhians .
 Dicit ergo pecuniae sibi tantum non esse , unde ce-
 nam parat . Sed contra accipies meros a-
 mores] *Vt alia ulla de re sermo sit omnino nullus .*
nihil nisi amores audiantur . id enim meros amores
dicit . Sic meros honores Horatius dixit , cum nihil
illi inter se nisi honores & speciosos titulos alter alte
ri tribuentes loquerentur . in . II . Epist. ad Florum .
Vt alter Alterius sermone meros audiret honores .
Possit etiam legi , Meos amores . id est meae quoq. a-
micae copiam tibi faciam . Atq. alibi idem Horat .
Sulcos , & uinet a crepat mera . Et Cic . in . IX . Epist.
ad Attic . Dolabella suis litteris id . Mar . datis me-
rum bellum loquitur . Accipere uero . si illo modo in-
terpretamur , sic dixit , ut & alibi , Nam quasdam
uolo cogitationes Amici accipiat sui , meique .
Nam unguentum dabo] Eadem utitur permu-
tatione Horat . in . IIII . Carm . ad Vergil . Nardi par-
uus onyx eliciet cadum . Totum ut te fa-
ciant , Fabulle , nasum] Sic Martial . Nasutus
sis usq. licet , sis deniq. nasus .

AD. C. LICINIUM. CALVUM

NI te plus oculis meis amarem ,
 Iucundissime Calue , munere isto
 Odissem te odio Vatiniano .

D 4

Nam.

Nam, quid feci ego, quid ue sum locutus,
 Cur me tot male perderes poetis.
 Isti di mala multa dent clienti,
 Qui tantum tibi misit impiorum.
 Quod si, ut suspicor, hoc nouum, ac reperiunt.
 Munus dat tibi Sylla litterator,
 Non est mi male, sed bene, ac beate,
 Quod non disspereunt tui labores.
 Di magni, horribilem, & sacrum libellum,
 Quem tu scilicet ad tuum Catullum
 Misti, continuo ut die periret,
 Saturnalibus, optimo dierum.
 Non, non hoc tibi false sic abibit.
 Nam, si luxerit, ad librariorum
 Curram scrinia, Caesios, Aquinos,
 Suffenum, omnia colligam uenena,
 Ac te his supplicijs remunerabor.
 Vos hinc interea ualete, abite
 Illuc, unde malum pedem attulistis,
 Saeculi incommoda, pessimi poetae.

. munere isto Odissem te odio Vatiniano] Pro-
 » pter id munus. ἐπὶ τῷ δε τῷ δώρῳ. Odisse odio dicit,
 » ut Graeci, ἔχθος ἐχθαίρειν. Sophocles in Philoctete.
 » Πλεῖς δ' ὡς πρὸς οἶκον, ἐκλιπῶν τὸ ναυτικὸν Στράτευμα
 » ἀχαιῶν, ἔχθος ἐχθήρας μέγα. Cur me tot ma-
 le perderes poetis] In manuscriptis omnibus e-
 rat, Malis, pro Male. Sed hoc omnino male.
 Isti di mala multa dent clienti] Malefaciant.
 Quale

Quale illud Metelli Consulis in Naevium poetam,
 21 *apud Ascen. Pedianum, Dabunt malum Metel-*
 22 *li Naevio poetae. Qui tantum tibi misit im-*
piorum] Dirarum. Graeci opinor dicunt, Avó-
cia. Et eodem prope modo Aristophanes in Aui-
bus dixit, Avócia τ' ἐπάδομεν. - nouum,
 23 *ac repertum] sic etiam in manuscriptis. Mi le-*
gendum uidebatur, - hoc nouum, hoc repertum
 24 *Munus. Sic enim solet, ut alibi, In misero hoc no-*
 25 *stro hoc perduto amore fore. Et id uidetur esse con-*
cinnius. Munus autem repertum dicit, in quod il-
 26 *le forte incidisset. - sed bene ac beate] sic*
 27 *saepe Cic. Bene, ac beate uiuere. ut Plato in VII.*
 28 *de legibus, Ζῆν ἔν τε καὶ εὐδαιμόνως. Quod*
non dispereunt tui labores.] Dispereunt, οἰ-
 29 *χονται. Sic Cic. ad Att. Non οἰχεται industria*
 30 *tua. Et apud Gellium Musonius, Ο δὲ πόνος οἰχε*
 31 *ται. Di magni, horribilem, & sacrum li-*
bellum] Di magni. quale apud Graecos, ὁ πόποι.
Sic autem Sacrum dixit, ut et Afranius in Fratri-
 32 *bus, O sacrum scurram, & malum. Quem*
tu scilicet ad tuum Catullum Misti, conti-
nua ut die periret, Saturnalibus, optimo die-
rum.] Ego uero sic dispungo, Quem tu scilicet ad
tuum Catullum Misti continuo; Dein de sequitur,
ut die periret Saturnalibus, scilicet optimo dierū
omnium. Nam Saturnalium diem unum fuisse, de-
 33 *monstrant Porcij Latronis uerba in oratione cōtra*
Catilinam, Quos uero, inquit, tetenderit ibi con-
 iura-

» iurationis laqueos, aut quas catenas scelerum cor
 » flauerit nobis, ac facultatib. nostris, Saturnaliū
 » dies patefactura fuerat. Ac post, Praesto sunt Sa-
 » turnalia nobis otiosis, atq. oscitantibus, quem u-
 » num diem saepenumero nuncupare solitus es euerso
 » rem superbissimi ordinis. Et Macrobius, multo-
 » rum tamen uarias ea de re sententias exponens,
 » declarat, & disertē Festus Pōpeius in verbo, *Quin-*
 » *quatus*, optimum dierum dicit, ut et Plutarch. in
 » rerū Romanarum quaesitis, μεγίστην Πρωμαίωv ἑορ-
 » τήν τῶν κρονίων. Non, non hoc tibi false sic
 » abibit] sic Terent. Mirabar, si sic abiret.

Caesios, Aquinos] Caesii cuiusdā meminit Cic.

» in epist. ad Q. Fratrem. Si quis est, inquit, eorum,
 » qui tibi biennij spatio numquam in suspicionem ue-
 » nerit, ut ego Caesium, & Cherippum, & Labeo-
 » nem audio. Et in. III. contra Ver. Namq. ij prae-
 » tores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos
 » & M. Caesius. Aquini uero idem meminit in V.

Tuscul. - omnia colligam uenena] sic pes-
 » simorum uersus poetarum per contumeliam uoca-
 » bant. Illuc, unde malum pedem attuli-

» tis] Leuum. Ouid. in Ibin, Ominibusq. malis,
 » pedibusq. occurrite leuis. Contra Faustum pedem
 » dixit Horat. in. II. Epist. ad Florum, I pede fau-
 » sto. Malim autem legere, Tulistis, quam, Attu-
 » listis. sic enim Terent. Numquam huc tetulissens
 » pedem. Et Verg. Ferte citi Faunniq. pedem, Drya-
 » desq. puellae. Et Horat. Quam nec ferre pedem

» dedecuit

dedecuit choris. Saeculi incommoda, pessimi poetae] Eodem modo saeculi luxuriam Propertius, opinor, dixit, Nec tamen illa suae reuocatur parcere famae Turpior, & saeculi uiuere luxuria. Qui sequitur uersus, Legistis, male me marē putastis, & reliqui tres, alieno loco ponuntur.

AD . AVRELIVM

COMMENDO tibi me, ac meos amores,
 Aureli. ueniam peto pudentem:
 Ut, si quidquam animo tuo cupisti,
 Quod castum expeteres, & integellum,
 Conserues puerum mihi pudice:
 Non dico, a populo: nihil ueremur
 Istos, qui in platea modo huc, modo illuc
 In re praetereunt sua occupati:
 Verum a te metuo, tuoq. penne,
 Infesto pueris bonis, malisque:
 Quem tu, qua lubet, ut lubet, moueto
 Quantum uis, ubi erit foris paratum.
 Hunc unum excipio, ut puto, pudenter.
 Quod si te mala mens, furorq. uecors
 In tantam impulerit scelestē culpam,
 Ut nostrum insidijs caput laceffas,
 A te tum miseri, maliq. fati,
 Quem, attractis pedibus, patente porta,
 Percurrent raphanique, mugilesque.

AVRELI, ueniam peto pudentem] *id est, ut*
 » Cic. loquitur pro Sex. Roscio Amer. Postulationem
 » hanc adfero sane aequam. significat enim se ab Au-
 » relio rem petere, quam honeste ille negare non pos-
 » sit. Idem paulo post, Hunc unum excipio, ut puto,
 » pudenter. Ut, si quidquam animo tuo cu-
 » pisti] Ennius, Corde cupitus, dixit. Sunt eius il-
 » la, Nec sese dedit in conspectum corde cupitus,
 » Quamquam multa manus ad caeli caerulea tem-
 » pla Tendebam lacrimans, & blanda uoce uoca-
 » bā. Vix aegrorum corde meo me somnus reliquit.
 Extremus uersus sic opinor legendus, Vix aegro
 cū corde meo me somnus reliquit. In re praec-
 tereunt sua occupati] sic Terent. in Eauton-
 » timorum. Tantum ne est otij tibi ab re tua.
 Infesto pueris bonis, malisq.] Bellis, & non
 bellis. uenustis, inuenustisq. Quem tu, qua-
 lubet, ut lubet, moueto] In manuscriptis dee-
 rant illa uerba, Ut lubet. in meo erat, Quem tu
 qualubet ue moueto. Scriptum fortasse fuit, Quem
 tu, qualubet, ut uelis, moueto. Sed illud rectius.
 » Simili concessione Plautus utitur in Amphitruone,
 Ut lubet, quod tibi lubet, fac. - ubi erit fo-
 ris paratum] In quod impetum facias. In Mas-
 sei quidem libro sic erat. In alijs, - tibi erit foris pa-
 ratum. Ut nostrum insidiis caput lacef-
 fas] Nobis carissimum puerum. Pythagoram, o-
 pinor, solitum dicere, scribit Plutarchus, Φίλος ἄλ-
 » λος αὐτός ἴσος ἐμῆ κεφαλῇ. A te tum miseri,
 maliq.

maliq. fati] *A* interiectio sine aspiratione scriben-
 da, ut est uetustissimis in libris. Et si Graeci & suum
 aspirant. Bionis enim adducit illud Stobaeus, Ες πο-
 σὸν ἂ δειλοὶ καμάτων κ' εἰς ἔργα πονεῦμεν. At contra
 sine aspiratione apud Callimachum in Hymno in
 Dianam scriptum lego, ἂ δειλὸς βασιλέων. Sed e-
 rudite, & copiose de toto hoc genere Hysychius, sui
 illius operis principio, & Suidas. - maliq. fa-
 ti] *Malum fatum* dicit etiam Sophocles in Oedi-
 πο Tyranno, Καχάνιν ἔλοιτο μοῖρα. Et Moschus: Τί-
 τυμ' ὦδε κακῆ γονέες τέκον αἴση, Δύσμορος. Contra Bo-
 ni homines fati Ολβιόμοιροι. quo saepe uerbo utitur
 in Hymnis auctor is, qui falso Orpheus creditur. Et
 Callimachus Boni fati mortales Ευμοίρους dicit in
 Hymno in Delum. Simplicius in Epictetum, Bonū
 fatum dicit Ευμοιρίαν. Valer. Max. in. I III. de a-
 more coniugali, ac de Admeto agens ipso, dixit, Di-
 ri fati crimine. *Fatum* melius dixit Iuuen. in Sat.
 XIIII. Longa tibi posthaec fato meliore dabuntur.
 Quem, attractis pedibus] Cic. in. VII. Epist. ad
 Volumn. sed aliud opinor, significās, *Trahatur*, in-
 quit, per me pedibus omnes rei, nō laboro. Idē fortas-
 se significat apud Macrobiū Lucilius, Non ma-
 le sic ille ut dico me extenderat unus. Et obsceni au-
 ctor carminis, *Traiectus* conto sic extendere peda-
 li, Vt culum rugae non habuisse putes. Percur-
 rent raphanique, mugilesque.] Hoc quoq. sup-
 plicij genus declarat ἐν σωμαγωγῆ, Tarrhaeus, &
 Didymus in uerbo ὦ λακιάδη, his uerbis, Ἐπὶ τῶν μοι
 χῶν

- 2) χῶν λέγεται . δῆμος γὰρ τῆς ἀπικῆς οἱ λακιάδαι . ἐν αἷ
 2) ῥαφανίδες πολλαὶ , αἷς ἐχρῶντο κατὰ τῶν λιφθέντων
 2) μοιχῶν ἐνυβρίζοντες . καὶ σελεοῖς δὲ ἐχρῶντο μὴ προῶ
 2) σῶν τούτων ἀναβάσει . Idem fortasse significat Flac
 2) cus in .1. Serm. Ne nummi pereant , aut pyga , aut
 2) deniq. fama .

AD . AVRELIVM . ET . FVRIVM

PAEDICABO ego uos, & inrumabo,
 Aureli patice, & Cinaede Furi,
 Qui me ex uersiculis meis putastis,
 Quod sint molliculi, parum pudicum.
 Nam castum esse decet pium poetam
 Ipsum, uersiculos nihil necesse est:
 Qui tum deniq. habent salem, ac leporem,
 Si sunt molliculi, ac parum pudici,
 Et, quod pruriat, incitare possunt,
 Non dico pueris, sed ijs pilosis,
 Qui duros nequeunt mouere lumbos.
 Vos, qui millia multa basiorum
 Legistis, male me marem putastis.
 Si qui forte mearum ineptiarum
 Lectores eritis, manusq. uestras
 Non horrebitis admouere nobis,
 Paedicabo ego uos, & inrumabo.

Quod sint molliculi] obsceni . Vibius Sequester de
 2) Fontibus . Salmacis, inquit, Cariae . ex quo qui bibit,
 mollescit ,

mollescit, idest obscenus fit. Nam castum esse
debet pium poetam Ipsum] Hos adducit uersus
& Plinius in. IIII. Epist. ad Paternum. & Appu-
leius in. I. Apologia.

Qui tum deniq. ha-
bent salem, ac leporem] *Suauitatem habent.*

Plaut. in *Asin.* *Quasi piscis, itidem est amator lac-*

nae. nequam est, nisi recens. Is habet sucum, is sua-

uitatem, eum quouis pacto condias. Quod uero ad-

didit, Leporem, quid salem dicant, explicat in ean-

dem prope sententiam Plutarchus in Symp. Κω-

διδάουσι γὰρ οἱ ἄλλες τῶν ἄλλων ὄψων ὄψον εἶναι, καὶ

ἡδισμα. διὸ καὶ χάριτας ἐνιοὶ προσαγορεύουσιν αὐ-

τοὺς, ὅτι τῆς τροφῆς τὸ ἀναγκαῖον ἡδὺ ποιοῦσιν.

Et, quod pruriat, incitare possunt] *Eodem*

alibi uerbo est usus, Prurit, & abiectis peruigilat tu-

nicis. Et Martialis in. I. ad Cornelium in eandem

prope sententiam. Lex haec carminibus data est io-

cosis, Ne possint, nisi pruriant, iuuare. Quare deposti-

*ta seueritate *Parcas* lusibus, & iocis, rogamus. Nec*

castrare uelis meos libellos. Gallo turpius est nihil

Priapo. Et in. XII. ad Rufum, Musaei patricissimos

libellos, Qui certant Sybariticis libellis, Et tinctas

sale pruriente Chartas. Qui duros neque-

unt mouere lumbos]. Auctor obsceni carminis,

Nec dein mouere lumbos in crocotula. Atq. alibi,

Crissabit tibi fluctuante lumbo. Sequuntur hūc uer-

sum in manuscriptis omnibus, Vos, qui millia multa

basiorum Legistis, male me marem putastis. Pae-

dicabo ego uos, & inrumabo. Illi uero tres alij, Si

qui

qui forte mearum ineptiarum, & qui sequuntur, ab
sunt. et quidem hic alieno esse uidentur loco.

AD . COLONIAM

O COLONIA, quem cupis ponte laedere longo,
En salire paratum habes. sed uereris inepta
Crura ponticuli, sub his totus inrediuius,
Ne supinus eat, cauaq. in palude recumbat.
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo uel Salisub suli sacra suscipiuntor.
Munus hoc mihi maximi da Colonia risus.
Quendam municipem meum de tuo uolo ponte
Ire praecipitem in lutum, per caputque, pedesque.
Verum totius ut lacus, putidaeq. paludis
Lividissima, maximeq. est profunda uorago.
Insulsiſſimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula putris dormientis in ulna;
Cui cum sit uiridissimo nupta flore puella,
Ut puella, tenellulo delicatior haedo,
Asseruanda nigerrimis diligentius uuis,
Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni,
Nec se subleuat ex sua parte, sed uelut alnus
In fossa Liguris iacet separata securi,
Tantumdem omnia sentiens, quam si nulla sit usquã.
Talis iste meus stupor nil uidet, nihil audit,
Ipse quis sit, utrum sit, an non sit, id quoq. nescit.
Hunc ego uolo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare ueternum.

Et

*Et supinum animum in graui derelinquere coeno .
Ferream ut soleam tenaci in uoragine mula .*

O Colonia , quem cupis ponte laedere longo]
*In manuscriptis omnibus erat , O Colonia , quae
 cupis ponte laedere longo . Legendum forte , Quae
 cupis ponte ludere longo . id est , quae ludos facere ,
 atq. adparare uis . En salire paratum
 habes] In manuscriptis omnibus , Et Salire ,
 & quidem habes iam paratum hominem ad sa-
 liendum . Crura ponticuli , sub his to-
 tus inrediuius] In manuscriptis omnibus , Cru-
 ra ponticuli , ac sulcis tantis inrediuius . Ego
 uero legendum suspicabar , Crura ponticuli assu-
 lis tantus inrediuius Ne supinus eat . Vereris ,
 inquit , ne tantus homo , tamq. uastus ex assu-
 lis , e quibus pons is esset factus , eat inrediuius , id-
 est , eo casu uitam amittat . Salisubfili] In
 manuscriptis , Salisubsili , a Subsiliendo . Sed ; cum
 in manuscriptis hic uersus sic legatur , In quo uel
 Salisubsili sacra suscipiant , legendum puto , In quo
 uel Salisubsilis sacra suscipiantur . Munus
 hoc mihi] Munus , ut in ludis , in quibus munera
 exhibebantur . ferae , gladiatores , & cetera eius ge-
 neris . Ire praecipitem in lutum , per ca-
 putque , pedesque .] Id est nulla ut eius pars ex-
 ter . sed altissimo luto totus obruatur . Sic Horat.
 Aliena negotia centum Per caput , atq. pedes sa-
 liunt . - nec sapit pueri instar] Nihil sape-
 re ,*

» re, dixit Cic. in Diuinatione contra Verr. Nam ista
 » eam profecto, nisi plane nihil sapit, numquam profecto
 » ret. Et in. II. Philipp. Vt tanta mercede nihil sapere
 » re disceres. Cui cum sit uiridissimo nupta
 » flore puella] Viridem Calain sic dixit Phanocles
 » in Elegia, Θαλερόν δερκομένου Κάλαιν. & ante hunc
 » Hom. in. II. Iliad. ἠΐθεον, θαλερόν. Nec se
 » subleuat ex sua parte] Idem alibi, Ex parte reper
 » ta mea. Sic & opinor Plato, Τὸ σὸν μέρος, dicit. Var
 » ro, Pro sua parte. cuius uerba sunt apud Non. Mar
 » cell. haec, Si qui patriam, maiorem parentem, ex
 » tinguit, in ea est culpa, quod facit pro sua parte is,
 » qui se eunuchat. Sed uelut alnus] simile uide
 » tur illud Homericū in. II. Iliad. Ὀδ' ἐν κονίησι χα
 » μαὶ πέσεν αἴγειρος ὡς ἦράτ' ἐν εἰαμενῇ ἔλεος μεγάλοιο
 » πεφύκει Λεῖν ἀτάρτε οἱ ὄζοι ἐπ' ἀκροτάτῃ πεφύκατιν
 » τὴν μένδ' ἀρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδῆρῳ Εξέταμ'
 » ὄφρα ἴτην κάμφῃ περικαλλέει δίφρῳ, ἢ μέντ' ἀξομένη
 » κείται ποταμοῖο παρ' ὄχθας. In fossa Liguris ia
 » cet separata securi] Legendum omnino, Supper
 » nata, ut apparet e uestigijs ijs, quae sunt apud Festū,
 » quem Antonius Augustinus, Episcopus Ilerdensis,
 » nouissime edidit. Nam in uerbo Suppernati haec
 » adhuc leguntur fragmenta. Et Catu... fossa Liga
 » ri in. Nec dubitandum, quin illud, In, fuerit, Ia. prin
 » cipium uerbi Iacet. & Ligari, Liguri Quamobrē
 » miror extitisse, qui Politianum eo nomine reprehen
 » derit, cuius castigatio Festi Pompei uerbis, & au
 » thoritate nitatur. Liguris autem dixit, quod Ligu
 » res,

res, qui ad Apenninum siti sunt, lignariae negotia-
 tioni uel in primis studerent. quod facile intelligitur
 ex Iulij Capitolini uerbis, quae in Pertinace pri-
 ma posuit.

Tantundem omnia sentiens,
 quam si nulla sit usquam.] Legendum suspicor
 non *Quam si*, sed *Quasi*. & stabit enim uersus, &
 eodem modo, quo Ennius apud Varronem in. VI. de
 ling. Lat. dixerit, *Tantundem quasi feta canes si-
 ne dentibus latrat.* apud Varronem tamen praue,
 opinor, legitur, *Tantidem*. Et in uerbo, *Quasi*, ulti-
 ma est anceps.

Talis iste meus stupor] Vi-
 tia ipsa pro uitiosis ponimus, cum insigniter, ac sum-
 me uitiosos significamus. Sic dictus olim a Bibaculo
 Orbilius Litterarum obliuio.

Ipsa quis sit]
 legendum e manuscriptis, *Qui sit*. Hunc e-
 go] legendum omnino ut est in manuscriptis omni-
 bus, *Nunc eum*.

Si potest olidum.] Recte
 Victorius, *Si pote stolidum*. Ex eodem uero genere
 uersuum poema illud Catulli in Priapum fuit, e quo
 uersus tantum quattuor Priapei carminis exempli
 causa Terentianus posuit, *Hunc lucum tibi dedi-
 co, consecroq. Priape. Qua domus tua lampsaci est,
 quoq. Priape. Nam te praecipue in suis urbibus co-
 lit ora Helle&spontia, ceteris ostriosior oris. Sed in se-
 cundo uersu pes unus desideratur.*

AD. AVRELIVM

AVRELI, pater esuritionum,
 Non harum modo, sed quot aut fuerunt,
 Aut sunt, aut alijs erunt in annis,
 Praedicare cupis meos amores,
 Nec clam. nam simul & iocaris una,
 Haerens ad latus omnia experiris,
 Frustra: nam insidias mihi instruentem
 Tangam te prius inrumatione.
 Atqui, si id faceres satur, tacerem:
 Nunc ipsum id doleo, quod esurire
 Ne meus puer, & sitire discet.
 Quare desine, dum licet pudico,
 Ne finem facias, sed inrumatus.

Aureli, pater esuritionum] *Quid Esuritio sit, indicant Martialis uersus illi in. v. ad Torannium.*
 „ Post haec omnia forte si mouebit Bacchus, quam so-
 „ let, esuritionem, Huc current tibi nobiles oliuae, Pi-
 „ ceni modo quas tulere rami. Et feruens cicer, &
 „ tepens lupinus. Sed Catullus alibi pro esurie, posuit
 „ Sole, & frigore, & esuritione. Nec clam.
 „ nam simul & iocaris una, Haerens ad latus o-
 „ mnia experiris] *In manuscriptis omnibus erat,*
Nec clam. nam simul exiocaris una, Haerens ad
latus omnia experibis. Ego uero sic legebam, Nec
clam.

*clam . nam simul , et iocaris una & Haerens ad la-
tus omnia experiris . Omnia experiris : Dis-
pungendum hoc loco . Ut quod sequitur , Frustra , u-
num id uerbum per se legatur . Omnia uero experi-
ri dicebant in rebus us , ad quas efficiendas omnem
operam contulissent . Caesar in . VII . de bello Gall .*

*Omnia experti Galli , quod res nulla successerat , po-
stero die consilium ceperunt oppido fugere . Et Cic . in
in . I . ad Attic . Quod ad me saepe scripsisti de no-
stro amico placando , feci , & expertus sum omnia .
sed mirandum in modum est animo ab alienato .*

*Tangam te prius inrumatione] legendum , ut
est omnibus in manuscriptis , Prior , non , Prius .*

Atqui , si id faceres] In manuscriptis omnibus ,

*Atq . ipsi faceres . legendum uidetur . Atq . id si face-
res .*

*Ne meus puer] In manuscriptis omni-
bus , Me me . legendum forte , Me meus , Ut me absen-
tem esuriat , ac sitiatur . quod eum haud paulo , quam
tu , liberalius tractarem . quod tamen usquequaq . nō
placet . Faernus legendum putabat , Ve meus .*

*Dum licet pudico] Eodem modo Pudicum dixit
Sueton . in Claudio Nerone . Ex nonnullis comperi
persuasissimum habuisse eū , neminem hominem pu-
dicum . aut ulla corporis parte pudicum esse .*

*Ne finem facias , sed inrumatus] Sed , alieno lo-
co positum uidetur . Itaq . legendos hos duos uersus
putabam hoc modo , Quare desine , dum licet , pud-
icus Ne finem facias , sed inrumatus . uel illo modo .
Quare desine , dum licet pudico , Ne finem facias .*

sat inrumatus . Nam pro uarietate lectionis uarie quoq. dispungendum .

A D . V A R R V M

*SUFFENVS iste, Varre, quem probe nosti,
 Homo est uenustus, & dicax, & urbanus,
 Idemq. longe plurimos facit uersus.
 Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
 Perscripta, nec sic, ut fit, in palimpsesto
 Relata, chartae regiae, nouilibri,
 Noui umbilici, lor a rubra, membrana
 Directa plumbo, & pumice omnia aequata.
 Haec cum legas, tum bellus ille, & urbanus
 Suffenus unus, caprimulgus, aut fossor
 Rursus uidetur: tantum abhorret, ac nutat.
 Hoc quid putemus esse. qui modo scurra,
 Aut si quid hac re tristius uidebatur,
 Idem inficeto est inficetior rure,
 Simul poemata attigit: neq. idem umquam
 Aequae est beatus, ac poema cum scribit:
 Tam gaudet in se, tamq. se ipse miratur.
 Nimirum idem omnes fallimur; neque est quisquam,
 Quem non in aliqua re uidere Suffenum
 Possis. suus cuique attributus est error:
 Sed non uidemus, manticae quod in tergo est.*

*Homo est uenustus, & dicax, & urbanus] Tu ue
 ,, ro festiuus, tu elegans, tu solus urbanus. Cic. in Clo-
 dium,*

dium, & Curionem, ut citat Rufinianus in exemplo Ironiae. Puto esse ego illi] sic erat in Masfei libro, & in meo. in alijs, Puto ego. quod minime probandum. Nec scit] In manuscriptis tribus, Nec sit. in uno, Nac scit. itaq. legendum, ut ante Aldus impressit, Nec sic. Noui libri] Ne scio, an per Libros ipsa librorum tegumenta dicat, atq. inuolucra. Noui umbilici] De quibus interpretes Horatij in. v. Carm. in illud, Ad umbilicum adducere. Lora rubra] Quibus stringerentur, & quasi clauderentur. - membrana Directa plumbo] In manuscriptis omnibus, Detecta, non, Directa. Legendum uidetur, Derecta. sic enim veteres, Derigere, & Derectus, quod in meo uetustissimo Commentariorum Caesaris exemplo uidere est, & in veteri inscriptione, quae est Romae in Basilica Sancti Petri, in qua nomen equi, Derector. itaq. ex Derecta, factum Detecta. hodieq. scriptores ad derigendum plumbo utuntur. Et pumice omnia aequata] complanata. sic Plin. Si licem aequatam in. xxxvi. Nat. hist. Graeci, inquit, e lapide duro, ac silice aequato construunt ueluti latericios parietes. Haec cum legas, tum bellus ille] In manuscriptis omnibus, Haec cum legas tu. Suffenus unus] Hoc loco dispendum censeo. Capri mulgus] Eiusdem formae est apud Callimachum in Hymno in Dianam. Ἰππημολγῶν ἠγάγε κιμμερίων. - tantum abhorret, ac nutat] Tam dissimilis suorum

est ipse ornamentorum, aut ipse sui, qui alioqui urbanus esset. Est autem in manuscriptis omnibus Mutat, non Nutat. - tantum abhorret, ac nutat: Id est, a se ipse altero illo in genere differt, ac degenerat. Sic Gell. in. II. Cap. XXIII. Nutare videtur posuisse. Sed enim inquit, postquam in manus Menander uenit, a principio statim, di boni, quantum stupere, ac frigere, quantumq. nutare a Menandro Caecilius uisus est. Verbo ipso Abhorre re, eodem modo Liuius uidetur usus in. V. ab V. C. Tum septem et uiginti uirgines, longam indutae uestem, Carmen in Iunonem reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingenijs, nunc abhorrens, & inconditum, si referatur. Et Q. Curtius in. VI. Turbae quippe captivae feminarum iuebantur suo ritu canere inconditum, & abhorrens peregrinis auribus carmen. Hoc quid putemus esse.] Adeo ne quemquam sibi placere, & ijs ornamentis indignissimos uersus adficere. - qui modo scurra, Aut si quid hac re tristius uidebatur, Idem inficeto est inficetior rure: Simul poemata attigit] Quid hoc putemus esse, quasi id dicat, an non mirandum, eum, qui nuper scurra & ridicula multa diceret, tam inficetos uersus facere. In manuscriptis autem omnibus erat, Tristius, non, Tritius, hoc enim post fecerunt Pontanus, alyque. quod ipsum placet, ut tritum scurrā sic dicat, ut Demosthenes Aeschinem περιρριμῶν τῶν ἀγορᾶς, Callidum scilicet, & uersatum diu in

eo genere. Nisi Tristius, odiosius quis interpretar
 malit. Poemata uero attingere, id est, poetica stu-
 21) dia colere, ac tractare, sic dixit, ut & Cic. Remp.
 22) attingere. Et Sueton. in Caligula, Militiam resq.
 23) bellicas semel attigit. - neq. idem umquam
 Aeque est beatus] cuiusmodi fere sunt omnes μου
 σοπάτακτοι.] Tam gaudet in se] Horat.
 24) in. II. Epist. ad Florum de eodem genere, Gaudent
 25) scribentes, & se uenerantur, amantq. - idem
 omnes fallimur] Accusatiui figura, idq. more
 Graecorum. uel sit ἑλλειψις τοῦ κατὰ.

A D. F V R I V M

FVRI, cui neq. seruus est, neq. arca,
 Nec cimex, nec araneus, nec ignis,
 Verum est & pater, & nouerca, quorum
 Dentes uel silicem comesse possunt,
 Et pulchre tibi cum tuo parente,
 Et cum coniuge lignea parentis.
 Nec mirum. bene nam ualetis omnes.
 Pulchre concoquitis : nihil timetis.
 Non incendia, non graues ruinas,
 Non facta impia, non dolos ueneni,
 Non casus alios periculorum.
 Atqui corpora sicciora cornu,
 Aut, si quid magis aridum est, habetis,
 Sole, & frigore, & esuritione.

Quare

Quare non tibi sit bene, ac beate.
 A te sudor abest, abest salina,
 Muccusque, & mala pituita nasi.
 Hanc ad munditiem adde mundio rem,
 Quod culus tibi purior salillo est,
 Nec toto decies cacas in anno:
 Atq. id durius est faba, & lapillis:
 Quod tu si manibus teras, fricesque,
 Non umquam diguum inquinare possis.
 Haec tu commoda tam beata, Furi,
 Noli spernere, nec putare parui.
 Et sestertia, quae soles, precari
 Centum, desine: nam sat es beatus.

Furi, cui neq. seruus est, neq. arca] Idem post, Isti,
 » cui neq. seruus est, nec arca. Haec autem omnia
 » sunt egestatis argumenta. Sic Lucil. apud Non. in
 » uerbo, Bulga, Cui neq. iumētū est, nec seruus, nec co
 » mes ullus. Et Cato apud Gell. in. XIII. cap. XXII.
 » Neq. mihi aedificatio, neq. uasum, neq. uestimentū
 » ullum est in manu pretiosum, neq. pretiosus seruus,
 » neq. ancilla. Si quid est, quo utar, utor. si nō est, ego
 » sum, cui per me uti, ac frui licet. Erat autē in manu
 » scriptis, Furi, cui neq. seruo, neq. arca. quod scriptū
 » forte veteri in libro fuisset, Seruos est. Neq. ar
 » ca: Titinius apud Festū, in uerbo Succerda, Quid
 » habes, nisi unam arcam sine clauis, eo condis succer-
 » das. Dentes uel filicem comesse possent]
 » Comesse, non Comedere, fere dicebant. Fauorinus
 » apud

» apud Gell. de cena lauta. Qui negant ullam auem,
 » praeter Ficadulam, totam comesse oportere.

Est pulchre tibi cum tuo parente] idem post,
 Pulchre conuenit improbis cinaedis. Et cum

coniuge lignea parentis.] Ligneam dicit, tenuē.

Admonitus sum a Fulvio Ursino meo, sic tennes etiā
 Graecis dici. apud Athenaeum enim legerat Ale-

» xidis illud, Ακρολίπαροι, τὸ δ' ἄλλο σῶμα ἀπόξυλον.

Graeci eodem modo graciles, ac macilentos Καννά-
 βους uocant. a ligno scilicet, ad quod certae fingan-

» tur imagines. Lucret. in. IIII. Nervosa, & lignea,

» dorcas. Terentius, Puellas curatura iunceas red-

» di, dixit, id est tennes. Nec mirum] Eodem

modo post, Nec mirū maculae pares utrisq. Vtrūq.
 enim poema eodem uersatur in genere. Pul-

» chre concoquitis] Id est bene. Cato de re rust. Fa-

» rinam in mortarium indito, aquae paulatim addi-

» to, subigitoq. pulchre. ubi bene subegeris, defingito.

» Pulchre concoquitis: cibum scilicet. Varro in.

» III. de re rust. Bis die cibum dant, obseruantes ex

» quibusdam signis, ut prior sic concoctus.

Atqui corpora ficciora cornu] In duobus li-

bris, Maffei scilicet, ac meo legebatur, Aut qui le-

gendum puto ad sententiam aptius, Ut qui. Cornu

quoq. comparat tenuissimam puellam auctor Lu-

sus in Priapum. quod quia totū huius est poema sen-

» tentiae, ponam. Quis aridior puella passis,

» Buxo pallidior, nouaq. cera, Collata sibi quae suisq.

» membris, Formicas facit altiles uideri. Cuius uisce

» ra non aperta Tuscus Per pellem poterit uidere ha
 » ruspex. Quae suco caret ut putrisq. pumex, Nemo
 » uiderit hanc ut expuentem, Quam pro sanguine
 » puluerem scobemq. In uenis medici putant habere.
 » Ad me nocte solet uenire, & adfert Pallorem, ma-
 » ciemq. laruaalem. Ductor ferreus insularis aequae
 » Laternae uideor fricare cornu. Purior salil-
 lo.] Ut Sallilum purum Catullus, et Horat. & Mor-
 » tarium purum Cato de re rustica dixit. Alicam in
 » aquam fundito, ubi mollis erit, in mortarium purū
 » indito. Et festeria, quae soles precari
 Centum desine] Ego uero sic distinguo, Et fester-
 tia, quae soles, precari centum desine. - nam
 fat es beatus] In manuscriptis omnibus, Satis bea-
 tus. sed illud rectius.

AD. IUVENTIVM. PVERVM

O QUI flosculus es Iuuentiorum,
 Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
 Aut posthac aliis erunt in annis,
 Mallem delicias mihi dedisses,
 Quam isti, cui neq. seruus est, nec arca;
 Quam sic te sineres ab isto amari,
 Cui non est. homo bellus, inquires, est:
 Sed bello huic neq. seruus est, neq. arca.
 Haec tu, quam lubet, abice, eleuaque
 Nec seruum tamen ille habet, neq. arcam.

O qui

O qui flosculus es Iuuentilorum] *In manu-*
scriptis omnibus est, Iuuentiorum. quod est et-
iam ab alijs iampridem animaduersum. sed, id
quoq. confirmari scriptorum librorum testimonijs,
docere uolui. Flosculum uero dixit, illius praestan-
tiam, atq. excellentiam formae significans. Sic i-
dem alibi, Flos Veronensium depercutit iuuenum.
Plautus quoq. in Casina, excellentes poetas intelle-
gens, dixit, Ea tempestate flos poetarum fuit. Et
Theocritus, Τῆμος ναυτιλίας μίμν' ἀσκέλο δέϊος ἀ-
τος ἠρώων. Et saepe Pindarus ἀρεῶν ἄρωτον sic dicit.

Mallem delicias mihi dedisses, Quam isti,
 cui neq. seruus est, nec arca] *In manuscriptis*
omnibus erat, Mallem diuitias mihi dedisses, Isti,
cui neq. seruus est, nec arca. Ea sane sententia.
Mallem, inquit, tu homini diuitias egenti dares,
quā paterere ab illo te amari. nam, Mihi, sic non-
numquam ponunt scriptores, cum suum id esse consi-
lium significant, & iudicium interponunt suum. du-
riusculum tamen hoc loco sic positum uideatur.
sed aptius nihil in mentem ueniebat. inconcinne e-
nim Quam, particulam repeteret, & sententia es-
set ipsa sane inelegantior. sin hoc non probatur,
uidendum etiam atq. etiam, mendose ne legatur
hic uersus. Quam sic te fineres ab illo a-
mari] In manuscriptis omnibus, non Ab isto, sed
Ab illo. quod est ei, quam dixi, sententiae aptis-
simum. Qui non est homo] legendum pu-
to, ac dispungendum hoc modo, Cui non est. homo
bellus,

bellus, inquit, est. Bellum uero hominem dicebāt elegantem, atq. urbanum. Sic Cic. in VII. Epist. ad Trebat. Ego, si foris cenitarem, Cn. Octauio familiari tuo non defuissem. cui tamen dixi, cum me aliquotiens inuitaret, Quis tu es. sed mercules, extra iocum, homo bellus est. Et in. I. ad Att. Durius accipere hoc mihi uisus est, quam uellem, & quam homines belli solent. Haec tu quamlibet abice, eleuaq.] In manuscriptis omnibus, Hoc, non Haec.

AD . THALLVM

CINAEDE Thalle, mollior cuniculi capillo,
 Vel anseris medullula, uel inula molicella,
 Vel pene languido senis, situq. araneoso,
 Idemq. Thalle turbida rapacior procella,
 Cum diua mater alites ostendit occinentes,
 Remitte pallium mihi meum, quod inuolasti,
 Sudariumq. setabum, catagraphosq. Thynnos,
 Inepte, quae palam soles habere, tamquam auita:
 Quae nunc tuis ab unguib. reglutina, et remitte:
 Ne laneum latuscolum, manusq. mollicellas
 Inusta turpiter tibi flagella conscribillent,
 Et insolenter aestues, uelut minuta magno
 Deprensa nauis in mari, uesaniēte uento.

Vel anseris medullula, uel inula molicella] In
 manuscriptis omnibus erat, Vel anseris medulla,
 uel

uel inula moricilla . Et emendatum in nonnullis

Moricilla. Ego coniecturam faciebam legendum,

Vel anseris medullula , uel inula amaricilla . Inu-

lam enim amaram esse , Plin. docet in. XIX. Bre-

uior , inquit , his est , sed torosior , amariorq. inula

per se stomachi inimicissima . Etenim uerbum scri-

ptae lectioni nullum hoc propius inueniri potest .

Quod si quis inusitatum dicat , sciat apud Catul-

lum esse etiam quae sic noua dici possint quod apud

alios non reperiantur . Versus autem procedit ipse ,

Et tribrachus par iambo eius loco recte ponitur .

Vel pene languido senis] Retrito ruta-

bulum , ut dixit Naeuius apud Festum in uerbo Ru-

tabulum . Naeuius , inquit Festus , obscenam uiri

partem describens , uel quae sperat se nupturam

uiro adulescentulo , ea licet senile tractet retritum

rutabulum . Situq. araneoso] situ ipso ara-

neoso nihil mollius , facillimeq. omnium cedit pon-

deri . Cum diua mater alites ostendit oc-

cinentes] In manuscriptis sic legitur hic uersus ,

Cum diua mulier aues ostendit oscitantes . In alijs ,

cum diua mulier alios ostendit oscitantes . Viden-

dum autem , an Diua mulier ab eo dicatur Iuno ,

quae praest aeri , cuius in primis aues mutatione

sentiunt . qua de re multa Aratus , multa Vergil.

in. 1. Georg. Mulier uero Iuno sic ab eo dicatur ,

ut ab Horatio , atq. alijs eadem Matrona dicitur .

Faernus de uerbo Oscitantes , siue Occinentes , fa-

ciebat Oscinentes . quod scilicet Oscines aues dice-

rentur ,

rentur, quae uoce augurium facerent. Quo modo
 » Horatius in. III. Carm. Oscinem coruum dixit.
 Ita q. legendus sic forte sit hic uersus, Cum diua
 mulier alites ostendit oscinentes. Catagra-
 phosq. Thynnos] Thynnos in sudario εικονικῶς
 acu pictos fuisse significat, ut εικονικῶς aulaeis Bri-
 » tannos intextos Vergil. ostendit in. III. Georg. Pur-
 » purea intexti tollunt, aulaea Britanni. Καταγρά-
 φειν enim est unguibus, & manibus quasi scribere,
 » quo uerbo Homerus utitur, Εγραψε χροά καλόν. Et
 Herodotus de partu leaenae utitur apud Gellium
 » in. XIII. cap. VII. de fetu namq. leaenae scribit,
 » Οδὲ ἔχων ὄνυχας θηρίων πολλὸν πάντων ὄξυτάτους,
 » ἀμύσει τὰς μήτρας. σὺξανόμενός τε δὲ πολλῶ μάλ-
 » λον ἐξικνέεται καταγράφων. Et Theophrast. in. II.
 » Πλὴν ὑπὸ τὸν φλοιὸν ὑποδύομενοι σκώληκες, ἐπιπο-
 » λῆς ἐγράφουσιν. Sed haec exempla magis ad osten-
 » dendam uerbi Scribo significationem fortasse perti-
 » nent, quo statim utitur. Inusta turpiter tibi flagella
 conscribillent. Plinius in XXXV. Κατάγραφα, ut est
 quibusdam in libris ut in alijs, κατάγλυφα, obliquas
 » imagines interpretatur. Quiq. inuenta inquit,
 » eius excoluerit, Cimonem Cleonaeum. Hic Κατά-
 γραφα, inuenit, hoc est obliquas imagines. Viderint
 alij, utrum in Plinio magis probent. Hoc e genere
 uidetur esse, quod adducit Iulius Pollux in V. e So-
 » phocle. Καὶ τυλεία δὲ παρ' Ἀριπτόλιδί ἐσιν ἐν τοῖς κό-
 » λαξι. καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τῷ ἰολκεῖ λέγοντι. ἀλλὰ
 » καὶ λινογράφος τυλεία. Inusta turpiter tibi flagel-
 la

la conscribillent] sic in manuscriptis, nisi quod pro Inusta, uitiose est, Insula. Extremus uero pes omnino molestus, quod sit is pro iābo spondaeus. Mihi uero ueniebat in mentem uerbi Conserillent, a serillibus facti. quid ea sint, docet Festus.

A D . F V R I V M

FURI, uillula nostra non ad Austri
 Flatus opposita est, nec ad Fauoni,
 Nec saeni Boreae, aut Apeliotae,
 Verum ad millia quindecim, & ducenta.
 O uentum horribilem, atq. pestilentem.

Furi, uillula nostra non ad Austri] Huius loci facetia in uerbo. dicitur enim ab ambiguo cuius generis ut belle, et litterate dicta laudantur a Cic. in. II. de Orator. Ingeniosi enim, inquit, uidetur, uim uerbi in aliud, atq. ceteri accipiant, posse ducere. Opponere autem est etiam Oppignerare. quo uerbo sic accepto usus est Iuuenalis in Sat. XI. Lancibus oppositis. Ex eodem prorsus genere est cum hoc Catulli, illud Bibaculi apud Tranquillum de inlustrib. Grammat. In Catonem. nam ut hic uerbo ambiguo Oppono est usus, sic ille Nodo. est enim apud illum hoc modo. Catonis modo Galle Tusculanum Tota creditor urbe uenditabat. Mirati sumus unicum magistrum, Summum grammaticum, optimum poetam, Omnis soluere posse quaestiones, Vnum diffi-

F

,, cile

» cile expedire nodum. En cor Zenodoti, en iecur Cra-
 » tetis. Opponere etiam uento dixit Plinius in. xvii.
 sed idem aliter ac ceteri, A uento dixit opponere, ni-
 » si si mendii quid in uerbis. Aquilone, inquit, maxi-
 » me gaudent, densiores ab afflatu eius laetioresq., &
 » materiae firmiter. Qua in re pleriq. falluntur, cū
 in uineis pedamenta non sint a uento eo opponenda,
 & id tantum a Septemtrione seruandum.

O uentum horribilem, atq. pestilentem] Ho-
 » rat. nec pestilentem sentiet Africum. Hor-
 » ribilem: Δυσαιῆ. Hom. ξυὸ δ' Ἐπὸστ' ἔπεσε Ζέφυ-
 » ρὸς τε νότὸς τε Δυσαιῆς.

AD. PVERVM. SVVM

MINISTER uetuli puer Falerni
 Ingerē mi calices amariores,
 Ut lex Postumiae iubet magistrac,
 Ebriosa acino ebriosioris.
 At uos, quo lubet, hinc abite lymphae,
 Vini pernicies, & ad seueros
 Migrate: hic merus est Thyonianus.

Minister uetuli puer Falerni] *Ministrum absolute*
 » posuit Tibullus pro Pocillatore in. iii. cessas olente
 » minister, Temperat annosum Martia lymphame
 » rum Horat. uerbo Ministrare sic est usus. Mensa
 » ministratur pueris tribus. Ingerē mi cali-
 ces amariores] *Dactylum posuit κατ' ἀνάλυσιν*
 spondaci.

spondaei. Ingerere uero μεταφορικῶς, opinar, posuit.
 » *Vergil. proprie in. XII. Aut raptas fugientib, inge-*
 » *rit hastas. Et Horat. Tum pueri nautis, pueris*
 » *conuicia nautae Ingerere Et apud eundem, Tre-*
 » *centos ingeris ohe. Et Sueton. in Claudio Nerone.*
 » *Ingestaeq. aues, ac lemnisci, & bellaria. Eo autem*
 » *uerbo frequentiam, & crebritatem significant rerū*
 » *asculentarum, poculentarum, iniectarum. Itaq. hoc*
 » *loco Calices ingerere, id est, quod ἀδρόον τὸ ποτὸν ἐγ-*
 » *χεῖσθαι. sic enim Xenophon loquitur in. VIII. Paed.*
 » *οὕτω δὲ ἡμεῖς, ἢν μὲν ἀδρόον τὸ ποτὸν ἐγχεώμεθα, τα-*
 » *χὺ ἡμῖν καὶ τὰ σώματα καὶ αἱ γνῶμαι σφαλοῦνται. Ne*
 » *mesianus in Cynegetico sic, ut Catullus, Castaliusq.*
 » *mibi noua pocula fontis alumno Ingerit. Amario-*
 » *res uero quod dicit, eo uini praestantiam, ac uetusta*
 » *tem significat. de quo Plin. in. XXIII. Quo genero-*
 » *sus, inquit, uinum est, hoc magis uetustate crasse-*
 » *scit, & in amaritudinem corpori minime utilem co-*
 » *it. Et in. XIII. Vina primo dulcia austeritatem an-*
 » *nis accipiunt, & rubra fiunt. Ebriosa aci-*
 » *na] In manuscripis, Ebriosae acino. Legendum o-*
 » *mnino, de Gellij sententia, Ebriosa acino. Cic. tamen*
 » *de Senectute, si quidem libri non fallunt, Acino ui-*
 » *naceo dixit. Ebriosam uero acinum dicit ab effectu,*
 » *quod ea, id est, uinum ipsum ebrios faciat. Sic Ti-*
 » *bul. in. I. Sobria dicit pocula, quibus aquae multum*
 » *esset admixtum. - at ipse bibebam Sobria supposita*
 » *pocula uictor aqua. Plinius tamen, Inebriari uuas,*
 » *dicit in. XIII. histor. nat. Conduuntur, inquit, et mu*

- » sto uuae, ipsaeq. uino suo inebriantur. Vini
 » pernicies] sic fere Σίνυ dicunt poetae Graeci, ut
 » Callimach. quemadmodum citat interpres Apollo-
 » nij. Βώων σίνυ Δριπίλεω. Hic merus est
 » Thyonianus] Bacchus, quem Ouid. in. I III. Me-
 » tam. Thyoneum uocat. Indetonfusq. Thyoneus.
 » Ausonius ad Paulinum Thyonianum etiā dixit.
 » Accipe igitur, inquit, opusculum de inconnexis con-
 » tinuum, de diuersis unum, de serijs ludicrum, de a-
 » lieno nostrum. ne in sacris, & fabulis aut Thyonia-
 » num mireris, aut Virbium. illum de Dionysio, hunc
 » de Hippolyto reformatum. Interpres Lycophronis
 » Θεοινον illum dici adfirmat, Θεοινος, inquit, ὁ διορύ-
 » σιος. quasi uini potens. quae uox Thyonei non mul-
 » tum dissimilis.

AD. VERANIVM. ET. FABVLLVM

PISONIS comites, cohors inanis,
 Aptis sarcinulis, & expeditis,
 Verani optime, tuq. mi Fabulle,
 Quid rerum geritis. satis ne cum isto
 Uappa frigoraque, & famem tulistis.
 Ecquidnam in tabulis patet lucelli
 Expensum. ut mihi, qui, meum secutus
 Praetorem, refero datum lucello.

Pisonis comites] De quo postea. Porci & Socration
 duae sinistrae Pisonis scabies. Is autem Piso prae-
 tor

por Hispaniam obtinuit. auctor Sallustius.

- » Satis ne cum isto Vappa] Plin. in. XIII. Vitiūq.
 » musto quibusdam in locis, iterum feruere. qua cala
 » mitate deperit sapor, uappaeq. accipit nomē probro
 » sum etiam hominum, cum degenerauerit animus.
 Ecquidnam in tabulis patet lucelli Expen-
 sum] Quod mihi accidit, qui refero datum lucel-
 lo. Tabulas autem milites circumferebant, quae cō-
 signabantur. secundum quas, opinor, stipendium his
 » denumerabatur. Plaut. in Mil. glor. Videtur tem-
 » pus esse, ut eamus ad forum, Ut in tabellis, quas con-
 » signaui hic heri latronibus, ego denumerem stipen-
 dium. Alij tabulas stipendiorum apud Quaestorem
 fuisse adfirmant. Patere uero hoc in genere Cic. est
 » usus in. II. Philippic. Vbi est, inquit, septies millies se-
 » stertiū, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat.
 » Et pro Roscio, Nō habere se hoc nomen in codice ac-
 » cepti & expensi relatum confitetur, sed in aduersa-
 » riy patere contendit. Refero datum lucel-
 lo] singulare opinor hoc apud Catullum, Referre
 datum. sed iocus id ipse poscebat. uel, Refero datum.
 id est expensum fero lucello. ut pro lucro sumptum
 se fecisse dicat.

I N . M E M M I ◀ M

O MEMMI, bene me, ac diu supinum
 Tota ista trabe lentus inrumasti:
 Sed, quantum uideo, pari fuisti

F 3

Casu:

Casu: nam nihilo minore uerba

Es fartus. pete nobiles amicos.

At uobis mala multa di, deaeq.

Dent, obprobria Romuli, Remique.

O Memmi, bene me, ac diu supinum Tota ista
trabe lentus inrumasti] Hoc uero poema mihi
quoq. uidetur factū de inconnexis continuum, de di
uersis unum. in manuscriptis enim libris, qui sequū
tur uersus, aliter leguntur. quos nonnulli antea, quo
cum his duobus cohaerent, mutarunt etiam re-
pugnante sententia. quod iam ostendemus. Hic uero
Memmius is est Poeta, cuius & Ouid. meminit in
» II. Trist. Quid referam Tindae, quid Memmi car
» men, apud quos Nomen adest rebus, nominib. q. pu-
» dor. Et Gell. in. XIX. cap. IX. Nam Naeuius impli-
» cata, & Hortensius inuenusta, & Cinna inlepidā,
» & Memmius dura. Credo ego eundem hunc esse C.
Memmium, cuius asperrimis orationib. ut inquit
Suetonius, C. Caesar non minore acerbitate rescri-
pserat, eidemq. suffragator mox in petitione Consu-
latus fuerit. Tota ista trabe lentus inrumasti:
sic Afranius in Emancipato, ut est apud Carisium,
» Lente, posuit. Quam lente tractat me, atq. inludit.
Sed, quantum uideo, pari fuisti Casu] In ma-
nuscriptis omnib. non Fuisti, sed Fuiſtis. Et, quod se-
quitur, Nam nihilo minore uerba Farti estis. ut ap-
pareat haec esse coniungenda, seiungenda uero &
a superioribus illis uersibus, et ab eo, quod sequitur,
Pete

Pete nobiles amicos. ut fragmentum hoc sit, & auol-
sum aliunde. ut superiora illa. Qui uero sequuntur
uersus duo, At uobis mala multa di deaeq. Dent
obprobria Romuli, Remique, haec quoq. οὐδὲν
πρὸς ἔπος. & alieno loco ponuntur. Nec enim, si-
quis recte consideret, ullam omnia probabilem sen-
tentiam, & Catullo dignam efficiunt.

I N . C A E S A R E M

QVIS hoc potest uidere. quis potest pati.
Nisi impudicus, & uorax, & aleo.
Mamurram habere, quod comata Gallia
Habebat, & cuncta ultima Britannia.
Cinaede Romule, haec uidebis, & feres.
Es impudicus, & uorax, & aleo.
Et ille nunc superbus, & superfluens,
Perambulabit omnium cubilia.
Ut albulus columbulus Dionaeus.
Cinaede Romule, haec uidebis, & feres.
Es impudicus, & uorax, & aleo.
Eo ne nomine imperator unice
Fuiſti in ultima occidentis insula,
Ut ista uestra diffututa mentula
Ducenties comesset, aut trecenties.
Quid est. an haec sinistra liberalitas
Parum expatruit. an parum belluatus est.
Paterna primum lancinata sunt bona,
Secunda praeda Pontica, inde tertia

Ibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
 Hunc Galliae timent, timent Britanniae.
 Quid hunc, malum, fouetis, aut quid hic potest,
 Nisi uncta deuorare patrimonia.
 Eo ne nomine urbis opulentissimae
 Socer, generq. perdidisti omnia.

Quis hoc potest uidere. quis potest pati] Hi atq.
 illi post, Pulchre conuenit improbis cinaedis, &c.
 sunt uersus illi, quibus Caesari perpetua imposita
 stigmata, scribit Suetonius. sic enim scribit in C.
 » Caesaris uita. Valerium Catullum, a quo sibi uersi-
 » culis de Mamurra perpetua stigmata imposita
 » non dissimulauerat, satisfaciendam eadem die ad-
 » hibuit cenae. hospitioq. patris eius, sicut consueue-
 » rat, uti perseverauit. Et Plin. in. XXXVI. Primū,
 » inquit, Romae parietes operuisse totius domus suae
 » in Caelio monte Corn. Nepos tradit, Mamurram
 » Formijs natum praefectum fabrum C. Caesaris.
 » Neq. indignatio sit tali auctore inuenta re. Hic
 » namq. est Mamurra, Catulli Veronensis carmi-
 » nib. proscissus, quem, ut res est, domus ipsius clarius,
 » quam Catullus dixit habere, quidquid habuisset co-
 » mata Gallia. Mamurram habere, quod
 comata Gallia Habebat & cuncta ultima Bri-
 tannia] Posterior uersus in manuscriptis legitur,
 Habebat cum te & ultima Britannia. Ingeniose
 Faernus ex Cum te fecit Vncti: ut sic legatur, Habe-
 bat uncti & ultima Britannia. idem enim alibi sic
 Vncta

Vincta dicit patrimonia. Legi etiam possit, Habebat ante & ultima Britannia.

Cinaede Romule] *In P. R. aut ipsum Caesarem.* Et ille

nunc superbus, & superfluens] *sic Cic. in. v. con*

tra Verrem, Istum rebus omnibus undiq. ereptis im

pune eludentem circumfluere, & abundare. Et Ti

bull. in. II. Ut mea luxuria Nemesis fluat.

Ut albulus columbulus Dionaeus] *In manu-*

scriptis hic uersus legitur hoc modo, Ut albulus co-

lumbus aut idoneus. itaq. est in Maffei libro. In

meo, Ut albulus columbus aut ydoneus. itaq. conie-

etur am faciebam legendum omnino, Ut albulus co-

lumbus, aut Adoneus. sic enim Adoneum efferunt

Latini. Plaut. in Menoech. Vbi Aquila catamitum

raperet, aut ubi Venus Adoneum. Et Ausonius in

Myhobarbo, Ogygiae me Bacchum uocant. Osy-

rin Aegyptus putat. Mystae Phanacem nominant.

Dionyson Indi existimant. Romana sacra Liberū:

Arabica gens Adoneum. Sic Vlysseum & Achil-

leum dicebant. ac deniq. ea sic efferebant, nomina,

quae in Eos Graecis desinerent. Romae uetus mo-

numentum uidi huiusmodi.

D . M

APHNIO . QVI

VIXIT. ANN. XIII

MENS. XI. DIEBUS

XVI. ACHILLEVS. ET

CLEOPATRA . PA

RENT. FIL. DVLCISSI.

- » Et Horat. *Nec cursus duplices per mare Vlyssæi. Et*
 » *idem, Currus Achillei. Nam, cur penultimam in*
Dionæus corripiamus, contra omnium, quotquot
umquã eo uerbo sunt usi, normã. Vergilius enim quo-
tiescumq. est usus, produxit, Ecce Dionæi processit
 » *Caesaris astrum. Et, Sacra Dionææ matri. Et*
 » *Horat. Mecum Dionæo sub antro. Album uero colu-*
bum dicit hunc pulchrum concubinum. Sic alibi Niveum
 » *columbum dixit, Nec tantum niueo gausa est ulla*
 » *columbo Compar. Sin autem Columbum Dionæum*
hoc omnino loco dici, ac retineri uelimus, interpre-
temur Columbum Dionæum sic a Catullo dictum,
ut ab alijs Pullum Iouis. Nam auctore Q. Fabio a-
pu'd Festum Pompeium in uerbis Pullus Iouis, pue-
rum quem quis amabat, pullum eius dicebant. Co-
lumbum autem Dionæum, qui & auis sacra Ve-
neri sit, a qua dea genus Caesar ducere putabatur.
quamuis Faby uerba non Pullus Iouis, sed Pullus
eius apud Festum legendum esse demonstrant. quod
si est, illud omnino malim, & Columbum pro Pullo,
id est speciem pro genere positam dicamus. Exstat
 » *autem apud Athenæum uersus Alexidis, quo albus*
 » *Veneris Columbus dicitur, Ο ἄδωνος ἀποδότης εἶναι*
 » *γὰρ περὶ σέπος. Itaq. Catullus & uersum expressit A-*
lexidis, & Adonei illum pulchritudine atq. elegan-
tia cumulauit. Eo ne nomine imperator
unice] Unicos imperatores honoris causa dicebant.
 » *Suetonius in Othone Silio. Fortissimum uirum,*
 » *unicum imperatorem praedicantes. Quid*
 est.

est. an haec sinistra liberalitas] In manuscriptis,
Quid est, alit sinistra liberalitas. Faernus ex eo fa-
 ciebat, *Quid abstulit*. Ego uero, sic, ut est in manu-
 scriptis, lego. & interpretor, *Quid est alit, quid est*
aliud, sinistra liberalitas. & commode quidem reti-
 cetur, nisi hoc. nam *Alid, siue Alit, pro, Aliud, di-*
xerunt antiqui. & eo nonnumquam Lucretius uti-
 tur. & ut in ueterib. monumentis hodieq. Romae, et
 ueterib. in libris *Aliut, pro Aliud, legimus*: sic il-
 lud etiã *Alit*. Apud Soderinos enim Romae, intra
Augusti Mausolaeum in veteri saxo est, HOC. EST
SIC. EST. ALIUT. FIERI. NON. LICET. Et saepe
 in ueteri Vergili exemplo sic legebam.

Parum expatruit] Indignatur. an parum expatra-
 uit. Sic etiam Suetonius. *Paternas facultates con-*
 sumpsit, & expatruit. Qua de re etiã Plutarchus.
 - an parum helluatus est] citat Donatus uersum
 hunc in *Heautontim. Terentij interpretans, Hel-*
 luo, *Vorax, inquit. Catull. in Caesarem, - an parum*
helluatus est. An uero particula sic usurpatur ab
 optimis auctoribus, cum quid ἐμπατικῶς, siue ἀγαν-
 κτικῶς dicunt. Cornelius Tacit. in. XI. *An parum,*
quod Veneti, et Insubres curiam irruperint, nisi coe-
tus alienigenarum uelut captiuitas inferatur. Et
Ouid. in Epist. An si quis rapiat stabulis armenta
reclusis, Arma feras, rapta coniunge lentus eris.
 Hunc Galliae timent, timent Britanniae] In
 manuscriptis, *Hunc Galliae timet, & Britanniae*.
 Sed sic tamen, ut inter uerbum *Timet*, & id quod
 sequitur,

sequitur, paululum quid desit. Itaq. acute Faernus legendum coniciebat, Hunc Galliae timetis, & Britanniae. quod etiam faciebat probabilius, quod Gellium meminisset in extremo. XVIII. libro scribere Metricorum id esse praeceptum, duos primos pedes, item extremos duos habere singulas posse integras partis orationis, medios haud umquam posse. quod accideret, si sic hunc uersum, ut est impressus, legeremus. & alienum id foret a consuetudine Catulli, quam semper tenuit in Senarijs. nusquam enim contra metricorum hoc praeceptum fecit. Britannias uero ut Gallias multitudinis numero dixit Plinius in. XXXIII. Galliae, Britanniaeque inde modico dicuntur usae. Nisi uncta deuorare patrimonia] sic etiam Macrobius est locutus in. III. Saturn. Et ut, inquit, taceam Gurgitem, a deuorato patrimonio cognominatum. Insigne uero illud, quod et Cic. de Caesaris rapinis in. II. Officiorum scripsit. Caesar, inquit, suos non poterat remunerari, nisi diuites bonis spoliarentur ab illo. Socer generque.] In Pompeium, etiam, ut uidetur, hoc extremum.

AD . ALPHENVM

ALPHENE immemor, atq. unanimes false sodalibus,
 Iam te nil miseret dure tui dulcis amiculi
 Iam me prodere, iam non dubitas fallere perfide.
 Nec facta impia fallacum hominum caelicolis placet.
 Quae

*Quae tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
 Eheu quid faciāt, dico, homines, cui ue habeāt fidē.
 Certe tute iurabas animam tradere, inique me
 Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
 Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaq.
 Ventos inrita ferre ad nebulas aeras sinis.
 Si tu oblitus es, at di meminerunt, meminit fides,
 Quae, te ut paeniteat post modo facti, faciet, tui.*

Iam me prodere, iam non dubitas fallere per-
 fide] *In manuscriptis, Iam me non dubitas.*
Me cum supra positum fuisset a Grammatico, in-
terpretante haec ipsa, inrepsit inde in contextum.
Nec facta impia] Nec, pro Non, posuit more ve-
 22 *terum. Cic. in. III. de Legibus, Magistratus nec*
 22 *obedientem, & noxium ciuem multa, uinculis,*
 22 *uerberibusq. coercento. Eheu, quid fa-*
ciant, dico, homines, cui ue habeant fidem] sic
etiam erat in manuscriptis. Pontanus pro, Dico,
fecerat, Dic. Ego legendum putabam, Dehinc ho-
mines. aptius id mihi uidebatur sententiae, & mu-
tatio non magna. Certe tute iurabas ani-
mam tradere] In manuscriptis, ut multis in im-
 22 *pressis, non Iurabas, sed Iubebas. Illud enim est*
 22 *contra legem carminis. Sic idem alibi, Non hoc*
miseram sperare iubebas. Animam uero trade-
re, i. summam meam tibi uoluntatem deferre, ni-
hil ut reliqui esset meum, quod eodem iure tuum nō
foret. Sic de eo, qui nihil non debet, Animam de-
 bere,

bere, dicit Comicus . Inducens in amo-
 rem] *Tamquam in laqueos . Sic Tibullus . Sem-*
 per ut inducar , blandos offers mihi uultus .
 Idem nunc retrahis te] *sic Horat . At ne te re-*
 trahas . - ac tua dicta] *Promissa . Idem a-*
 libi , *Qui dum aliquid cupiens animus praegestit*
apisci , Nil metuunt iurare , nihil promittere par-
cunt . Sed simulac cupidae mentis satiata libido
est , Dicta nihil metuere , nihil periuria curant .
Ventos inrita ferre ad nebulas aeras finis .
Legendum omnino , ut est in manuscriptis , Ven-
tos inrita ferre , ac nebulas aeras finis . Si
tu oblitus es , at di meminerunt , meminit fi-
des] In manuscriptis , Ut di meminerunt . Illud i-
 taq. probabilius . *sic Vergil . At sperate deos memo-*
 res fandi , atq. nefandi . Meminit fides :
 Cic. in. II. de Legib. *Ast olla , propter quae datur*
homini ascensus in caelum , mentem , uirtutem ,
pietatem , fidem , earumq. laudum delubra sunt .
nec ulla uitiorum sacra sollemnia obeunto .

AD . SIRMIONEM . PENINSVLAM

PENINSVLARVM *Sirmio , insularumq.*
Ocelle , quascumq. in liquentib. stagnis ,
Mariq. uasto fert uterq. Neptunus ,
Quam te libenter , quamq. laetus inuiso ,
Vix mi ipse credens , Thyniam , atq. Bithynos
Liquisse campos , & uidere te in tuto .

O quid

O quid solutis est beatius curis .
 Cum mens onus reponit, ac peregrino
 Labore fessi uenimus larem ad nostrum ,
 Desideratoq. acquiescimus lecto .
 Hoc est, quod unus est pro laboribus tantis .
 Salue, o uenusta Sirmio, atq. hero gaude :
 Gaudete uos quoq. Lydiae lacus undae :
 Ridete quidquid est domi cachinnorum .

Peninsularum Sirmio, insularumq. Ocelle] Lo-
 cus hic multis optimorum auctorum similibus ex-
 emplis a Petro Victorio est inlustratus. Addam
 praeterea Sapphus illud apud Achillem Statium
 in. II. de Leucippes & Clitophontis amoribus, de
 22) rosa, Ἰῆς ἐστὶ κόσμος, φυτῶν ἀγλαΐσμα ὀφθαλμοῦ ἀν-
 22) δέων. Plin. simile quiddam significare uidetur in.
 22) III. Ab altero, inquit, eius latere ad Padum a-
 22) mnem ditissimum omnia nobilib. oppidis nitent.
 Mariq. uasto fert uterq. Neptunus] superum
 inferumq. mare. uel, Tyrrenum mare, atq. O-
 ceanus. - Thyniam, atq. Bithynos Liquisse
 campos] Idem utrumq. Claudianus. Thyni Thra-
 ces erant, quae nunc Bithynia fertur. Sed Thy-
 niam barbaros dicere, quam Graeci Thyniada,
 scribit Apollonius grammaticus in. II. cuius haec
 22) sunt. Περὶ Ἰῆς Θυριάδος νήσου προείρηται. ἧς μέμνηται
 22) νύμφις ὁ Ἡρακλεώτης. Φησὶ δὲ αὐτὴν ἐπὶ σαδίου
 22) ἔχειν τὸν περίμετρον. Καλλιθένης δὲ ἐν τῷ περίπλῳ,
 22) ὑπὸ μὲν ἑλλήνων φησὶ, προσαγορεύεσθαι τὴν τε χῶ-
 ραν,

- » ραν, καὶ τὴν νῆσον, Θυριάδα. ὑπὸ δὲ τῶν Βαρβάρων,
 » Θωρίαν. *A Thynia Sinus Thyniacos fecit Ouid.*
 » *in. I. Tristium. Thyniacosq. sinus, & ab his per*
Apollinis urbem. Bithynia diues a Manilio dici-
tur in. IIII. Astronomicon. Bithynos campos, ut
ante Phrygios campos dixit. O quid solu-
tis est beatius curis] sic & Vergil. loquitur in. I.
 » *Georg. Indulget genialis hiems, curasq. resoluit.*
 » *Et Sappho in asmate in Venerem, Ελθέ μοι καὶ νῦν,*
 » *χαλεπαῖν δὲ λῦσον Εκμεριμῶν. Et Martial in. X.*
 » *Nox non ebria, sed soluta curis. Solutis autem, id*
est, solutis hominibus curarum pondere, ac ma-
gnitudine. - uenimus larem ad nostrum]
 » *Sic Cic. in. XVI. ad Att. Ad ipsum autem Libo-*
 » *nem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum.*
 » *Salve, o uenusta Sirmio] Eodem modo Aristophanes in Georgicis, ut citat Hephaestio de paeo-*
 » *nico metro, Ὠ πόλι φίλη κέκροπος αὐτοφύεσ ἀτλική.*
 » *χαῖρε λιπαρὸν δάπεδον, οὐδ' ἀρ' ἀγαθῆς χθονοί.*
 » *- atq. hero gaude] Mihi gaude. Vel ut illud, Gau-*
de hac sorte tua, quod me receperis. Gaude-
te uos quoq. Lydiae lacus undae] In manuscri-
ptis etiam non nullis, Gaudete uosq. Lydiae la-
cus undae. Lydium lacum Benacum dicit. Ete-
nim transpadanam regionem Veronam usq. Tu-
scos tenuisse aiunt. Lydij uero Tusci dicuntur, quo
 » *modo accepit Vergil. in. II. Aeneid. Vbi Lydus ar-*
 » *ua Inter opima uirum leni fluit agmine Tiberis.*
 » *Et in. X. Classem conscendit iussis gens Lydia diuū.*
 » *Caussam*

Caussam docet Seruius. Ridete quidquid id est domi cachinnorum.] sic dixit Cachinnum ridere, ut & Ridere risum, & Gaudere gaudium, dicunt optimi auctores. Cachinni uero de aquis cur dicantur, alibi pluribus uerbis docebimus.

A D . I P S I T H I L L A M

AMABO, mea dulcis Ipsithilla,
 Meae deliciae, mei lepores,
 Iube, ad te ueniam meridiatum.
 Quod si iusseris, illud adiuuato,
 Ne quis liminis obseret tabellam,
 Ne u tibi lubeat foras abire:
 Sed domi maneas, paresq. nobis
 Nouem continuas fututiones.
 Verum, si quid ages, statim iubeto.
 Nam pransus iaceo, & satur supinus
 Pertundo tunicamque, palliumque.

Iube, ad te ueniam meridiatum] Meridiari nonnumquam in obscenis est. significat enim rem cum amica habere. sic alibi, Quanta gaudia, quae uaga Nocte, quae media die Gaudeas. Eodem modo & Graeci Διημερδεις. Cleomedes enim Περὶ κυκλικῆς θεωρίας de Epicuro, Καὶ τὰς παλλακίδας, μετ' ὧν ἐπὶ ταῖς κλίναις διημερδεις. Et Ouid. nisi fallor, in eodem genere, Proueniant mediij sic mihi saepe dies. Illud adiuuato] Adde ad id. Sic prope Liuius eo-

dem uerbo utitur in. II. ab. V. C. de bonis Tarquini
 22 regis, Ne non reddita, inquit, belli caussa, reddita
 22 belli materia & adiumentum essent. Ac post, de in
 22 sula in Tiberi, Postea auditas credo moles, manuq.
 22 adiutum. Nequis liminis obseret tabellam]
 sic legendum e manuscriptorum consensu. Obsere-
 re tabellã, perinde est, ac si dixisset, Obdat pessulum
 ostio. Verum, si quid ages, statim iube-
 to] Statim id significare hoc loco uidetur, quod re-
 perfecta, Continuo. quasi id dicat, simul id quod agis
 confeceris, statim ad me mitte. Nonius Statim, id
 est, perseueranter, prior e ait esse producta. sed id alij
 uiderint. Nam pransus iaceo, & satur su-
 pinus Pertundo tunicamque, palliumque.] sic
 etiam in manuscriptis. At ego haud paullo concin-
 niozem fieri sententiam existimo, si pro Satur, Sa-
 the legamus. quod uerbum Graecum quidem est ip-
 sum, sed quo etiam, ut nonnullis alijs, usus Catullus
 uideri possit. significat autem membrum uirile. au-
 ctor Macrob. in. I. Saturn. Sed uerbo Pertundere
 idem proprie utitur. ab hoc enim uerbo deae Per-
 tundae nomen finxerãt. Auctor Arnobius in. IIII.
 22 aduersus gentes. Etiamne Pertunda, inquit, quae
 22 in cubiculis praesto est, uirginalem scrobem effodien-
 22 tibus maritis. Et quae sequuntur.

IN. VIBENNIOS

O FURVM optime balneariorum,
 Vibenni pater, & cinaede fili.
 Nam dextra pater inquinatioe,
 Culo filius est uoracior.
 Cur non exsilium, malasq. in oras
 Itis. quandoquidem patris rapinae
 Notae sunt populo, & nates pilosas
 Fili non potes asse uenditare.

O furum optime balneariorum] optimum furū. i.
 furum omnium furacissimum, & furandi magistrū. In
 balneis autem fures uersari solitos, etiam Epictetus
 in Enchiridio, Εὰν λουσόμενος ἀπίης, πρόβαλε σεαυ-
 τῷ τὰ γινόμενα ἐν βαλανείῳ, τοὺς ἀπορρέοντας, τοὺς
 ἐγκρουομένους, τοὺς λοιδοροῦντας, τοὺς κλέπτοντας.
 Et in furem balnearium dictum extat Diogenis
 ἐπ' ἀλειμάτιον, ἢ ἐπ' ἄλλ' ἱμμάτιον. Fures balnea-
 rum, dicit etiam Tertullianus in extremo libro de
 fuga in persecutione. Nam dextra pater in-
 quinatioe] comparatiuis utitur pro primitiuis.
 Inquinatas autem manus uel propter furta, uel ob-
 scenitatem aliquam dixit, qua se ille dexterāq. coin-
 quinaret.

SAECVLARE. CARMEN. AD. DIANAM

DIANAЕ sumus in fide
 Puellae, & pueri integri.
 Dianam pueri integri,
 Puellaeq. canamus.
 O Latonia, maximi
 Magna progenies Iouis,
 Quam mater prope Deliam
 Deposuit oliuam,
 Montium domina ut fores,
 Siluarumq. uirentium,
 Saltuumq. reconditorum,
 Amniumq. sonantium,
 Tu Lucina dolentibus,
 Iuno dicta puerperis,
 Tu potens Triuia, & notho es
 Dicta lumine Luna.
 Tu cursu dea menstruo
 Metiens iter annuum,
 Rustica agricolae bonis
 Tecta frugib. explēs.
 Sis quocumq. placet tibi
 Sancta nomine. Romuliq.
 Antiquam, ut solita es, bona
 Sospites ope gentem.

Dianae

Dianae sumus in fide Puellae, & pueri integri] *In*
tegros dicit uirgines, intactos. quod ita esse, cum alio
rum, tum Cn. Gellij uerba e. III. Annali illa apud
 » *Gellium in. XIII. cap. XXI. ostendunt, Vt nos itidē*
 » *integras raperent, unde liberos sibi, & suis posteris*
 » *patriae pararent. Dianae pueri integri.]*

Impressit hunc olim uersum Aldus, qui tamen nul-
lo est in manuscripto. Itaq. addititium puto, atq. alie
num, ac germanum Catulli uersum desiderari.

Quam mater prope Deliam Deposuit oliuā] *Petrus*
Victorius, singulari doctrina uir, & indu-
stria, primus docuit legendum hoc loco, Deposuit,
antiquorum more. Montium domina. ut

» *fores] Euripid. in Iphigenia Δίκτω' οὐρεΐα. Ho-*
 » *rat. Montium custos, nemorumq. uirgo.*

Amniumq. sonantium] *sic etiam Graeci Sonan-*
 » *tes fluiuos uocant, ut est in Sibyllae Acrostich. Σω*
 » *πηγαῖς ποταμοὶ καχλάζοντες λείπουσι. Et Theocris*
 » *tus in Ptolemaeo, καὶ ποταμοὶ κελάδοντες. Et Ver-*
 » *gil. Transq. sonantem Ascanium. Et in. XII. Ae-*
 » *neid. Stagnis quae, fluminibusq. sonoris Praesidet.*

Tu Lucina dolētibus] *ὦ δινῶσσαι. Dolores etiā*
in hoc genere uidetur dicere Festus in uerbo Molu-
crum.

Tu potens Triuia] *Haec de dijs*
dicebantur, Potens, Pollens, Potentiae, Potēstates.

Auctor Arnobius. - et notho es Dicta lu

» *mine Luna] Eodem modo Lucret. in. v. Lunaq. si-*
 » *ue notho fertur loca lumine lustrans, Sine suam pro-*
 » *prio iactat de lumine lucem. Quintilianus, opinor,*

testari Catonem in oratione quadam scribit, Latinum se nomen pro eo quod est Νόδος non habere.

Quamobrem Graeco uerbo sunt usi Lucretius, & Catullus.

Sis quocumq. placet tibi Sancta nomine] Expressisse sic uidetur id, quod in extremis Hymnis fere ponunt Graeci poetae, Χαῖρε. Antiquam] uno in manuscripto, Antiqui. ut ad Romuli referatur. - bona Sospites ope gentem] sic post, Salue, teq. bona Iuppiter auctet ope.

CAECILIVM. ACCERSIT

POETAE tenero, meo sodali,
 Velim Caecilio papyre dicas,
 Veronam ueniat Noui relinquens
 Comi moenia, Lariumq. litus.
 Nam quasdam uolo cogitationes
 Amici accipiat sui, meique.
 Quare, si sapiet, uiam uorabit.
 Quamuis candida millies puella
 Euntem reuocet, manusq. collo
 Ambas inyciens roget morari:
 Quae nunc, si mihi uera nuntiantur,
 Illum deperit impotente amore.
 Nam, quo tempore legit inchoatam
 Dyndimi dominam, ex eo misellae
 Ignes interiorum edunt medullam.
 Ignosco tibi, Sapphica puella,
 Musa doctior. est enim uenuste
 Magna Caecilio inchoata mater.

Lariumq.

Lariumq. litus] Cato in Originibus ait Larium lacum vicinum Alpibus per. LX. tendi miliaria .
 Haec Seruius. Itaq. Litus dixisse propterea uideri possit. quamquam de fluminibus Litus etiam dicitur. Vergil. Quiq. Numici litus arant .
 - uiam uorabit] ἰδιωτικῶς hoc opinor. Alij, Viam, & spatium corripere . Quamuis candida millies puella Euntem reuocet] similiter Horat. Et nisi cena prior, potiorq. puella Sabinum Detinet . Quae nunc, si mihi uera nuntiantur] similiter Pollio in. x. Epist. apud Cic. Nam et robur, & suboles militum interijt, si quidem, quae nuntiantur, ulla ex parte uera sunt . Illum deperit impotente amore] Deperit, perdit amat. Placidus Grammat. in Glossis. Idem Catullus alibi, Coelius Aufilenum, & Quinctius Aufilenam Flos Veronensium depereunt iuuenum . Terent. in Heautontimorumeno, Minimeq. miror Clinia hanc si deperit. Plaut. in Mil. glor. Demori dixit. Non me, inquit, dico, sed heram meam, quae te demoritur . Impotente amore: Impotente. Catullus . Deperit impotente amore . quod itaq. dictum notat Plinius. Carisius in. i. Impotens, impos, uel sine potentia: interdum praepotens. Placidus in Glossis . Ex eo] Sueton. in Domitiano absolute posuit . Neq. cessauit ex eo insidias struere fratri clam, palam .

IN. ANNALES. VOLVSI

ANNALES *Volusi*, *cacata charta*,
 Votum soluite pro mea puella .
 Nam sanctae Veneri, Cupidiniq.
 Vouit, si sibi restitutus essem,
 Desissemq. truces uibrare iambos,
 Electissima pessimi poetae
 Scripta tardipedi deo daturam
 Infelicib. ustulanda lignis .
 Et hoc pessima se puella uidit
 Iocose, & lepide uouere diuis .
 Nunc, o caeruleo creat a ponto,
 Quae sanctum Idalium, Uriosq. apertos,
 Quaeq. Ancona, Cnidumq. arundinosam
 Colis, quaeq. Amathunta, quaeq. Golgos,
 Quaeq. Dyrrhachium, Hadriae tabernam,
 Acceptum face, redditumq. uotum,
 Si non inlepidum, neq. inuenustum est .
 At uos interea uenite in ignem
 Pleni turis, & inficetiarum,
 Annales *Volusi*, *cacata charta*.

Annales *Volusi*] *Malivolentia* fecisse *Catullum* ap-
 paret, si quidem hic est *Volusius*, de quo & *Vatinius*
 » in *Epist. ad Cic.* honorificentius uidetur sentire, *De*
 » *fendiur*, inquit, a *Q. Volusio* tuo discipulo, si forte
 » ea res poterit aduersarios fugare, in eo maxima
 spes

spes est. Et Cornel. Tacit. in. III. de L. Volusio. si
 forte hic idē est, de quo Catullus. Fine anni, inquit,
 concessere uita insignes uiri L. Volusius, & Sallu-
 stius Crispus. Volusio uetus familia, neq. tamē prae-
 turam egressa. ipse consulatum intulit. censoria etiā
 potestate legendis equitum decurijs functus, opum-
 que, quis domus illa immensum uiguit, ad cumula-
 tor. Nam sanctae Veneri Idem post, Quē
 neq. sancta Venus. Et in. I. Annali Ennius, Te
 nunc sancta precor Venus, & genetrix patris no-
 stri. Et idē Catullus post de Cupidine, Sancte puer.
 De alijs quoq. diuis eodem modo, ut Romae in Diui
 Pauli.

DIS. SECVRITATIS
 Q. VIBIVS. HERMA
 ANTISTES
 SANCTI. SILVANI
 ANNUM. AGENS
 LXX. FECIT
 SIBI. B. B

Et Interamnae, apud Statium Donatum.

IVLIO . EVEVLIDAE
 C. V. CORR. TVSCIAE
 XVIRO . PRAEFECTO
 AERARII. S. SATVRNI
 OB. INLVSTRIA. IPSIVS
 MERITA. ET. AMOREM. IVX

- uibrare iambos] *Apte ad iamborum ἔτυμον. παρὰ τὸ Ἰαμβίζειν.* Scripta tardipedi deo datu-
 ram] *Quae scripta perire uolumus, hoc fere modo*
 » *perdimus. Tibull. in. I. Illa uelim rapida Vulcanus*
 » *carmina flamma Torreat. Et Propert. in. IIII. Et*
 » *quoscumq. meo fecisti nomine uersus, Vre. Et Aug.*
 » *de Vergili scriptis, Ergo ibit in ignes, Magnaq. do-*
 » *ctiloqui morietur Musa Maronis. Tardipedem*
 » *deum, id est Vulcanū, etiam dixit Columella in. x.*
 » *de cultu hortorum. Quin & tardipedi sacris iam-*
 » *rite solutis Nube noua feritur. - uftulanda*
 lignis] *In manuscriptis omnibus, Vstilanda. quae*
opinor uetus est, & uera scriptura. Et hoc pes-
sima se puella uidit Iocose, & lepide uoue-
re diuis.] In manuscriptis omnibus, Et haec pes-
ma se puella uidit Iocose lepide uouere se diuis.
Atq. in nonnullis etiam non, Haec, sed Hoc.
 Nunc, o caeruleo creata ponto] *Versus antiqui*
 » *poetae citatur a ueteribus Grammaticis hic, Can-*
 » *dida caeruleo nata Venus pelago. Quae san-*
 ctum Idalium, Vriosq. apertos] *Aldus olim*
pro Vrios, Erios impressit. de sententia credo Petri
Bembi, quem audio ita sensisse legendum hoc loco.
ac dictos populos sic ab Eria, conditore templi Vene-
ris Paphiae. Ego uero suspicor legendum Arios.
de quibus in. XI. Strabo, Qui populi uel in solitudi-

ne sunt. de qua eo ipso loco Strabo, uel Eremo proximi. Eos autem apertos dicit, quod is locus uastus, nec ullis sit consitus arboribus. scribit enim. Μεταξὺ δὲ αὐτῶν, καὶ τῆς ὑρκανίας, καὶ τῆς παρδυαίας, μέχρι ἀρίων ἔρημος κεῖται πολλή, καὶ ἀνυδρος. Quibus in locis etiam Venerem ἀναίτιδα coli, idem Strabo docet.

- Cnidumq. arundinosam Colis, quaeq. Amathunta] Ouid. in . x. Metam. de Venere, Piscosamq. Cnidon, grauidamq. Amathunta metallis. Si non inlepidum, neq. inuenustum] Idem alibi, Non sane inlepidum, neq. inuenustum.

- uenite in ignem] Eodem modo Propert. in . II. Inq. tuos ignes, dure poeta, ueni. Pleni turis, & inficetiarum] Quod Turis sine aspiratione veteres scribebant, factum similitudine utriusq. litterae, ut alij aliud legerint. Sed & utrumq. legi potest. Turis, quod chartis etiam tus, & odores inuoluti darentur emptori. Horat. Deferar in uicū uendentem tus, & odores. Sed & Ruris legi potest, eodem Horat. auctore. cuius in eadem ad Aug. Epist. & haec ipsa sunt, - sed in longum tamen aeuum Manserunt, hodieq. manent uestigia ruris. Et idē Catull. alibi, Idem inficeto est inficetior rure. Inficetum autem, non, Infacetum veteres dixisse constat. Sic in ueteri exemplo Plinij lib. xxxv. Ostendens in tabula inficetissime Gallum exerentem linguam. Et Solin. cap. IIII. Nō inficete Torannius.

AD. CONTUBERNALES

SALAX taberna, uosq. contubernales,
 A pileatis nona fratrib. pila,
 Solis putatis esse mentulas uobis.
 Solis licere, quidquid est puellarum,
 Confutuere, & putare ceteros hircos.
 An, continenter quod sedetis insulsi
 Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
 Me una ducentos inrumare sessores.
 Atqui putate: namq. totius uobis
 Frontem tabernae scipionibus scribam.
 Puella nam mea, quae meo sinu fugit,
 Amata tantum, quantum amabitur nulla,
 Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
 Confedit istic. hanc boni, beatiq.
 Omnes amatis, & quidem, quod indignum est,
 Omnes pusilli, & semitarij moechi,
 Tu praeter omnes une de capillatis,
 Cuniculosae Celtiberiae fili,
 Egnati, opaca quem bonum facit barba,
 Et dens, Ibera defricatus urina.

Salax taberna, uosq. contubernales } In tabernis
 fere perditii homines uersabantur. Porcius Latro con-
 ,, tra Catilinam, Quae uero non tabernae potius, aut
 ,, qui non greges infamium hominum Sibyllinum istum
 ,, principem con celebrarunt. Atq. idem Catullus
 ,, alibi,

» alibi, si Aldinam sequimur lectionem, Te quaesi-
 » uimus in minore campo, Te in circo, te in omnib.
 » tabernis. Verbum autem militare, Contubernales. Veget. in II. Contubernium autem manipulus
 uocabatur ab eo, quod coniunctis manibus pariter
 » dimicabant. Atq. alibi, Erant decani, qui de-
 » cem militibus praepositi, nunc Caput contubernij
 uocantur. A pileatis nona fratrib. pila]
 Pilea Castori & Polluci dederunt antiqui, quia La-
 cones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos est. Fest.
 Pop. At Martialis etiã Parthos pileatos dicit in.
 » X. Ad Parthos procul ite pileatos. Arnobius lib.
 VI. aduersus gentes Pileum etiam Vulcano tribu-
 » tum significat. Cum pileo, inquit, Vulcanus, &
 » malleo. Ego uero nummum saepe Romae uidi ar-
 genteum, cuius in parte altera uerbum erat, RO-
 MA. in altera fratres hi pileati, equis insidentes,
 » ac praefulgentibus stellis. - et putare cete-
 ros hircos] uel, nondum maturos, atq. aptos ue-
 » neri. uel, aptos tantum glubere. An, conti-
 nenter quod sedetis insulsi] Sedere, in obsce-
 » nis est. Frontem tabernae scipionibus
 scribam] σιγματιξεν, id Graeci dicunt. Eodem
 » modo Macrobius in. I. Satur. Seruus compeditus
 » inscripta fronte. Puella nam mea, quae meo
 sinu fugit] sic prorsus legendum, cum omnibus in
 » manuscriptis sit, Puella nam, me quae meo sinu fu-
 git. In uno quidem, Quae meo e sinu fugit. Fugisse
 e sinu dicit, quã ualde amaret. Terent. in Adelph.

» Hic

» Hic non amandus, hicine non gestandus in sinu.
 Pro qua mihi sunt mala bella pugnata] sic
 Graeci, & Latini veteres loquebantur. Demo-
 » sthen. περὶ σεφάνου. Οἱ πόλεμον συνεχῆ καὶ μακρὸν
 » πολεμουῶτων ὑμῶν. Et Xiphilinus, sine potius Dio,
 » Πόλεμος πολεμεῖται. Vergil. in. VIII. Pugnataq.
 » in ordine bella. Et Lucil. apud Donatum in com-
 » mentationibus in Eunuch. Terentij. Vicimus, o
 » socij, & magnam pugnavimus pugnam. Et idem
 Donatus in Adelph. uerba interpretans illa, Vi-
 » tam duram, quam uixi, Ἀρκαισμός, inquit. ut Lu-
 » cil. — magnam pugnavimus pugnam. — et se-
 » mitarii moechi] sic in manuscriptis omnibus.
 Semitarij autem, in semitis usq. uersantes, uiles,
 abiecti. qui tenuiorum uxores in semitis sectaren-
 » tur. aut qui cenas, & prandia captarent in semi-
 » tis. Cic. in. II. Offic. Et, si quando aliqua res ma-
 » ior, atq. utilior populari largitione acquiritur, ut
 » Orestis nuper prandia in semitis decumae nomine
 » magno honori fuerunt. Tu praeter omnes u-
 ne de capillatis Cuniculofae Celtiberiae fi-
 » li] His Catulli uersibus Caper Grammaticus Vne
 uocandi casu dictum a veteribus ostendebat. au-
 » ctor Priscian. in. V. apud quem posterior uersus ali-
 » ter legitur, prae omnino, Celtiberose Celtiberiae
 » fili. Egnati, opaca quem bonum facit
 » barba] Bonum, καλὸν, pulchrum, ut saepe alibi.
 » ut Terent. in Phorm. Ut, ni uis boni in ipsa inesses
 » forma, haec formam extinguerent. Opacam bar-
 » bam

*bam dicit illum Βαδυπόγωνα, καὶ Καδυχαῖταν signi-
ficans. Verbo Opacare eodem in genere est usus Pa-
cuius apud Festum Pompeium in uerbo Genas.*

» *Nunc primum opacat flore lanugo genas. Et So-
phocles in Trachinijs idem prope quod Catullus*

» *de Acheloo fluuio. Εκ δὲ δασκίης γενεῖάδος κρουνοῖ*

» *διεργαίνοντο κρηναίης ποτῆ. Et dens, Ibera de*

» *fricatus urina] Ab eodem uerbo. Defricate,*

» *Naeuius in Tarentilla, Facete, & defricate. Ca-*

» *ris. in. II.*

AD. CORNIFICIUM

M A L E est, Cornifici, tuo Catullo.

Male est, mehercule, & laboriose,

Et magis magis in dies, & horas:

Quem tu, quod minimum, facillimumq. est,

Qua solatus es adlocutione.

Irascor tibi. sic meos amores

Paulum. quidlibet adlocutionis

Maestius lacrimis Simonideis.

Male est, Cornifici, tuo Catullo] *Cornificium poe-
tam etiam fuisse, declarat Ouid. in. II. de Tristi-*

» *bus. Cinna quoq. his comes est, Cinnaq. procacior*

» *anser, Et leue Cornifici, parq. Catonis opus. Atq.*

» *is opinor est Cornificius, ad quem tot extant Cic.*

» *Epistulae. uersus eius ponit in. VI. Macrob. Di-*

» *ducta mi uoce garrienti. Et e Glaucio eius hos. Cen-*

tauros

2) tauros fodere bimbres, Caprigenumq. genus
 2) nullo custode per herbas. Loquitur autem eodem
 2) modo Plautus in Cistell. quo hic Catullus. Male
 2) excrucior Gymnasium mea. male mihi est, male
 2) maceror. Mehercule] scriptum fortasse fuit,
 Mercurio. quomodo in uetustissimis libris scriptum
 animaduerto. Sed & illud stare etiam potest. E
 uero finalem syllabam non elisit. Et magis
 2) magis] sic alibi, Post uento crescente magis ma-
 2) gis increbrescunt. Qua solatus es adlocu-
 tione] Adloqui, & Hortari pro Consolari, non-
 numquam ponebant. quo de nos in Commentationi-
 bus in Horat. Graeci poetae Παραίφασιν & Παρα-
 μύθειαν sic in hoc genere, ut Latini Adlocutionem,
 2) dicebant. Naumachius apud Stobaeum, Ανδρῶν
 2) γὰρ ἀχαλῶντι παραίφασις ἐστὶν ἀκοιπία. Ira-
 2) scort tibi] Dispungendum hoc loco. Eodem modo
 Statius in. IIII. Siluar. in risu Saturnalicio ad
 2) Grippum, Irascor tibi, Grippe. - sic meos
 amores Paulum.] & hoc loco distinguendum.
 - quid lubet adlocutionis] Versum desidero, qui
 post hunc sequeretur. nisi si cui uidetur, Maestius,
 in Misisses, mutandum. Ea sententia, saltem ali-
 quid solati, & adlocutionis misisses lacrimis Simo-
 nideis. id est, meis. Lacrimis Simonideis]
 τῶν ὀφθύνων intelligit Simonidis. qui & ab inter-
 prete Theocriti, & Stobaeo citantur.

I N. E G N A T I V M

EGNATIVS, quod candidos habet dentes,
 Renidet usquequaq. seu ad rei uentum est
 Subsellium, cum orator excitat fletum,
 Renidet ille: seu piy ad rogam filii
 Lugetur, orba cum flet unicum mater,
 Renidet ille. quidquid est, ubicumq. est,
 Quodcumq. agit, renidet. hunc habet morbum,
 Neq. elegantem, ut arbitror, neq. urbanum.
 Quare monendus est mihi. bone Egnati,
 Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
 Aut parcus Umber, aut obesus Etruscus,
 Aut Lanuvinus ater, atq. dentatus,
 Aut transpadanus, ut meos quoq. attingam,
 Aut quilibet, qui puriter lauit dentes,
 Tamen renidere usquequaq. te nollem.
 Nam risu inepto res ineptior nulla est.
 Nunc Celtiberus, Celtiberia in terra
 Quod quisq. minxit, hoc sibi solet mane
 Dentem, atq. rufam defricare gingiuam:
 Ut, quo iste uester expolitor dens est,
 Hoc te amplius bibisse praedicet loti.

Egnatius, quod candidos habet dentes] Egnati
 poetae meminit Macrob. in. VI. Saturn. Cuius et-
 iam uersus e libris de rerum natura ponit. Cic. in.
 XIII. Epist. ad Q. Gallium, L. Egnati mentionem
 H facit,

facit, quem suum uocat familiarissimum. Plin. in. X. de rerum natura. M. Egnatium Caluinum commemorat praefectum Alpium. Quorum aliquis an hic idem sit, mihi quidem non liquet. Plinianus Egnatius omnino posterior, quam ut eius fieri mentio possit a Catullo. Renidet usquequaq.] Diductis labris ut dentes exserat, nec enim plane ridentem significat. Seu ad rei] Diphthongum elisit. Cum orator excitat fletum] Vbi risui nullus est locus. & cum maxime est παθητικὸς λόγος. Lugetur] ἀπροσώπως. Aut parcus Vmber] Umbrorum conuiuia pro parcissimis dicebant. Auctor, opinor, Plutarchus. - aut obesus Etruscus] pinguis. Vergil. in. II. Georg. 22 Hic laticem qualem pateris libamus ; & auro, In- 23 flauit cum pinguis ebur Tyrrenus. Dionysius in. IX. de L. agens Aemilio, Etruscos laute solitos uinere scribit. - aut transpadanus] Ex Italia transpadana. Plin. in. XVIII. - puriter] Ennius, ut scribit Priscianus, his utebatur aduerbijs, Proteruiter, Ignauiter, Inimiciter, Superbiter, Temeriter, Praeclariter, Toruiter, Puriter, Reuerenditer, Miseriter, Properiter. - lauit] Antiquae, pro Lauat. Nunc Celtiberus, Celtiberia in terra] In manuscriptis, Nūc Celtiber Celtiberia in terra. Gabriel Faernus legendum putabat, Nunc Celtiberq. Celtiberaq. in terra. Mihi uero, si sic legerem, nouum omnino, atq. insolens uideretur, in penultima scazontis sede positum fuisse spondaeum.

daeum. Celtiberiã uero terrã si dixit, sic scilicet dixit, ut & C. Caesar Galliã terrã, & Africã terrã in Commentarijs de bello Gallico, ac Ciuili. Et Gellius in. II. Noct. Att. cap. XXII. Sed, quod ait uentum, qui ex terra Gallia flaret, Circium appellari. Atq. idem alibi Gellius, in. VII. opinor, Ex terra Phocide. Dentem, atq. rufam defricare gingiuam] In manuscriptis omnibus, Rufam, non Rufam. sed facilis hic lapsus fuit, nisi Russam legamus. quod uerbum in ueteribus libris etiam legitur. Appuleius eodem modo uidetur legisse, ac pro Defricare, Pumicare, in. I. Apologia. Quem multo, inquit, aequius erat spurcissimo ritu Hiberorum, ut ait Catullus, Dentem, atq. russam pumicare gingiuam. - iste uester] Uester, de uno, per indignationem. Sic poeta, Crimen amor uestrum.

A D. R A V I D V M

QVAE NAM te mala mens, miselle Rauide,
 Agit praecipitem in meos iambos.
 Quis deus tibi non bene aduocatus
 Vecordem parat excitare rixam.
 An ut peruenias in ora uulgi.
 Quid uis. qualubet esse notus optas.
 Eris: quandoquidem meos amores
 Cum longa uoluisti amare poena.

Quae nam te mala mens, miselle Rauide, Agit
 praecipitē in meos iābos] *Faernus pro Rauide, Rauide, legendum censebat. cū mutare nihil necesse esset. Agit praecipitē, sic dixit. aliter quoq. Latine dicimus eodem usi uerbo, Diuersum agi. Cic. in. III.*
 „ in Verrem eodem modo, Agunt eum praecipitem
 „ poenae ciuium Romanorum. id est, in supplicium rapiunt. *Ouid. in. V. Metam. uerbo eodem usus, Et mentem adhibens quae te germane furcentem Mens agit in facinus. - mala mens] Dira. Vergil. in. II. Aeneid. Quae mens tam dira miserrime coniunx Impulit his cingi telis. Agere autem nonnumquam persequi, exagitare, torquere. Horat. Diris agam te. Et idem Horatius alibi, Non res, & agentia uerba Lycambem. Quis deus tibi non bene aduocatus] Inauspicato uocatus. An ut peruenias in ora uulgi.] In manuscriptis omnibus, Perueniamus. prae omnino. Loquitur autē eodem modo etiam Horat. in. I. epist. ad Florū,
 „ Quid Titius, Romana breui uenturus in ora.
 Quid uis, qualibet esse notus optas.] sic omnino distinguendum. Vis inquit esse notus quid uis qualibet. nec enim laboras, quae sit hominum de te opinio, quis populi sermo, dum innotescas modo. Vno tamen in manuscripto legebatur, Quia uis. Ego posse etiam legi putabam, Quouis qualibet esse notus optas. Esse uero aliquem quid uis, Horat. dixit. Inbellus, iners, sim quid uis, adde popino. Cic. in. Epist. ad Luceiū, Neq. enim tu is es, qui, quid sis, nescias.
 Et*

Et in. IIII. Tusc. Qui autem dicuntur iracundi, aut
 misericordes, aut inuidi, aut tale quid. Eris]
 Mos, inquit, tibi geretur, teq. aeternis figam male-
 dictis. Cum longa uoluisti amare poena]
 Longa, Sempiterna. Cum praepositionem addidit
 suo, & veterum more. Idem alibi, Magno cum pre-
 tio, atq. malo.

IN. A C M E N

ACME illa, illa puella defututa,
 Tota millia me decem poposcit,
 Ista turpiculo puella naso,
 Decoctoris amica Formiani.
 Propinqui, quibus est puella curae,
 Amicos, medicosq. conuocate.
 Non est sana puella: nec rogate
 Qualis sit, solet haec imaginofum.

Acme illa, illa puella defututa] omnibus in manu
 scriptis est, Ameana puella defututa. quod retinen-
 dum censeo: aut mutandum sic, Acme, una puella
 defututa. ut E postrema littera uerbi Acme, a prin-
 cipe sequentis v non elidatur. Tota millia
 me decem poposcit] Cic. ad Att. Tota tempora po-
 meridiana dicit. Et Vergil. in. I. Aeneid. Hic iam
 trecentum totos regnabitur annos. Verbum enim,
 Totum, apponebant, cum certam summam, ac nu-
 merum significabant.

Decoctoris amica
 H 3 Formiani]

Formiani] si uel *Amaeanam*, uel *Acmaeanam* legimus, non est haec illa *Acme* *Septimij*. Propinqui, quibus est puella curae] Esse enim haec cognatorum cura solet, ac debet. nam eorum fidei salus, & pecunia insanientis committitur. Sic
 » in lege. XII. Si furiosus est, agnatum gentiliūq. in
 » eum, pecuniāq. eius potestas esto. Et *Horat.* in. II.
 » *Epist.* ad *Florum*. Hic ubi cognatorum opibus, cu-
 » risq. refectus, Expulit helleboro morbum. & quae
 » sequuntur. *Columella* in. I. Quorum si alterum de-
 » esset, ac nihilominus quis uellet incolere, mente esse
 » captum, atq. eum ad agnatos & gentiles deducen-
 » dum. Nec rogate *Qualis sit*, solet] In ma-
 nuscriptis alijs sic, *Nec rogare Qualis sit* solet, & i-
 maginosum. In alijs sic, *Nec rogare Qualis sit* solet,
 nec imaginosum. Quae sit aliorum loci huius inter-
 pretatio, scio, quam sequerer, si liqueret modo latine
 speculum, etiam hoc uerbo *Imaginosum* dici. Alij
 hoc modo legunt, *Nec rogate qualis sit*, solet haec
 imaginosum. Quasi id dicat, ne nūc illud quaerite,
 quo morbo haec laborat. solet haec imaginosum, id
 est, solet ea *φαντασίῳ τὴν νόσον*. *Seneca* in. I. *Nat.*
 » *Quaest.* morbum eiusmodi commemorat. *Quidam*,
 » inquit, hoc genere uoletudinis laborant, ut ipsi sibi
 » uideantur occurrere, ut ubiq. imaginem suam cer-
 » nant. Imaginari autem dicitur is etiam, qui sibi ui-
 sum, ut sic hoc dicam, sibi uidetur uidere. *Sueton.* in
 » uita *C. Caesaris*. Et *Calpurnia* uxor imaginata est
 » conlabi fastigium domus, maritūq. in gremio suo
 confodi.

confodi. Sed desit hoc loco fortasse quippiam, itaque,
quid adfirmem, prorsus non habeo.

IN. QVANDAM

ADESTE hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse moecha turpis,
Et negat, mihi uestra redditur am
Pugillaria, si pati potestis.
Persequamur eam, & reflagitemus.
Quae sit, quaeritis. illa, quam uidetis
Turpe incedere, myrmice, ac moleste,
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, & reflagitate.
Moecha putida redde codicillos.
Redde putida moecha codicillos.
Non assis facis o lutum, lupanar,
Aut si perditius pote est quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quod si non aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore uoce,
Moecha putida redde codicillos,
Redde putida moecha codicillos.
Non assis facis o lutum, lupanar,
Aut si perditius pote est quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quod si non aliud potest, ruborem

Ferreo canis exprimamus ore.
 Conclamate iterum altiore uoce,
 Moecha putida redde codicillos,
 Redde putida moecha codicillos.
 Sed nil proficimus: nihil mouetur.
 Mutanda est ratio, modusq. uobis,
 Si quid proficere amplius potestis.
 Pudica, & proba redde codicillos.

Iocum me putat esse moecha turpis] sic Horat. in.
 II. Serm. Nequid tu perdas, neu sis iocus. Et Pro-
 pert. in. II. A peream, si me ista mouent dispendia,
 sed me fallaci dominae iam pudet esse iocum.

Et negat, mihi nostra reddituram Pugillaria]
 In manuscriptis, Vestra, non Nostra. quod est ap-
 tius. Caris. in. I. Pugillaria, inquit, saepius neutru
 dicit idem Catullus. Turpe incedere, myr-
 mice] Videndum, an Myrmex uestis id nomen sit;
 qualis Syrma, & Cyclas; an Turpe in Turpi mu-
 tandum sit. Deinde, quod sequitur coniungendum
 cum sequenti uersu, Ac moleste Ridentem catuli
 ora Gallicani. sed Myrmice cur legendum sit non
 uideo, cum nec penultimam uersu ferat, et
 libri manuscripti repugnent, in quibus fere legitur,
 Mirtinae, & Murmire. praeue utrumq. ac perple-
 xe. In Maffei libro erat, Mirmice. Ego, dum quid
 norim rectius, leuiter mutans legebam, Illa, quam
 uidetis Turpe, siue Turpem, incedere mimice, ac
 moleste Ridentem catuli ore Gallicani. Mimice au-
 tem,

tem, id est scaenice, turpiterq. gesticulantem, ac mol-
 lem. Porcius Latro contra Catilinam, Omitto, in-
 quit, pestis huius impurissimas uoces, mollitiem scae-
 nicam, obtuitus impudicos, blanditias muliebres, et
 omnem deniq. copiam non mediocrium uitiorum.

Ore autem catuli Gallicani ridentem dicit, aut im-
 pudentem risum, aut mordacem significans. E Gal-
 lia diuersos optimosq. canes esse, scribit Gratius. &
 Gallicanum, pro Gallicum dicebat. Sic Cato in .II.
 Originū, Papaner Gallicanus. Auctor Caris. in. I.
 nisi homines Gallicos, res Gallicanas dici uelis.

Moecha putida redde codicillos, Redde puti-
 da moecha codicillos] Verbum, Redde, gemina-
 uit, ut reflagitantium morem, & furtum opprobran-
 tium significaret. Sic Ouid. in. III. de Arte aman-
 di, Redde meum clamant spoliatae saepe puellae,
 Redde meum toto uoce boante foro. Non as-
 sis facis o lutum, lupanar] sic in manuscriptis.
 sed, sententia quae sit, non apparet. legendum suspi-
 cabar, O lutum, o lupanar. uel illo modo potius, O
 lutum luparum. Plautus in Pseudolo simile quiddā
 significare uidetur, Turba est nunc apud deam, an
 ibi uis inter istas uersarier Prosedas, pistorum ami-
 cas, reliquias, alicarias, Miseras, coeno delibutas,
 seruilicolas sordidas. Et post, Magisq. meretricem
 pudorem, quam aurum congerere condecet. Pul-
 chrum ornatum turpes mores peius coeno collinūt.
 Legendum forte etiam, Os litum. Nam Placidus in
 Glossis, Litum os patientiam calcatam, uel crudeli-
 tatem

tatem in rictu. Vir quidā eruditus legit, O blitum. duobus uerbis. Et a Plauto Blitera meretrix dicitur. Lupae uero meretrices dicebantur, ut post magis etiam docebimus. Inde Lupariae in Suburra, reg. II. Caelimontana. auctor est Victor.

Quod si non aliud potest, ruborem, Afferre o canis exprimamus ore] legendum omnino, ut est in manuscriptis, Quod si non aliud potest, ruborem, Ferreo canis exprimamus ore. Alij pro, Potest, Pote est faciūt. Ergo uel post duos hosce uersus aliquid deest: uel haec sit sententia, quando nihil aliud fieri potest, saltem hunc illi pudorem incutiamus. sed apte quae per se ipsa significant insignem impudentiam coniunxit, Ferreum os, & caninum os. Tale illud in Nerone Claudio Suetonij, uel potius Licinij

» Crassi oratoris, In hunc inquit, dixit Licinius Cras-

» sus orator non esse mirandum, quod aeneam barbā

» haberet, cui esset os ferreum, cor plumbeum. Artemidorus in. I. de insomniis impudentiam quoq. eius modi ore significari scribit, capite, περι μετώπου. cuius haec sunt: Χάλκεον δὲ ἢ σιδήρεον, ἢ λιθινὸν μέτωπον δοκεῖν ἔχειν, τελώναις καὶ καπήλοις καὶ τοῖς μετὰ ἀναϊδίας ζῶσιν. μόνος συμφέρει. Os canis etiam significauit Homer. illis uerbis, Κυνὸς ὄμματ' ἔχων.

» Mutanda est ratio] sic Cic. pro Muraena, Abijt illud tempus, mutata ratio est. Et in. VII. Epist. ad Trebatium, Posteaquam mea mutata ratio est. Pudica, & proba] Feminarum laus uel maxima.

» Sic Afran. Epistula Commissa. Nam, proba, & pu-

» dica

» dica quod sum, consulo, & parco mihi, Quoniã com
 » paratum est, uno ut simus contentae uiro. Et Horat.
 » in. v. Carm. Tu pudica, tu proba, Perambulabis a-
 » stra sidus aureũ. Et Pompon. Mela in. II. Probae,
 » formosaeq. in pretio sunt.

I N. A C M E N

SALVE, nec minimo puella naso,
 Nec bello pede, nec nigris ocellis,
 Nec longis digitis, nec ore sicco,
 Nec sane nimis elegante lingua,
 Decoctoris amica Formiani,
 Te n' prouincia narrat esse bellam.
 Tecum Lesbia nostra comparatur.
 O saeculum insipiens, & inficetum.

Salve, nec minimo puella naso] In Acmen haec,
 opinor, dicuntur, & Septimium, cum hic quoq. sit i-
 dem uersus, qui supra, Decoctoris amica Formiani.
 formae uitium uel maximum nasus grandior. Ho-
 » ratius, Depigis, nasuta. Nec bello pede]
 » Horat. ibidem, Ne crure malo, ne sit pede turpi. Et
 » paulo haec ante, Breui latere, ac pede longo. idq. ui-
 » tio ducens. O saeculum insipiens] omnibus
 in manuscriptis, Insapiens. Sic autem in saeculum
 inuehi solitos veteres, declarant Senecae uerba in
 prooemio libri primi declamationum ad Nouatũ,
 » Solebat autem & hoc genere exercitationis uti, ut
 nihil

- » nihil praeter epiphonemata scriberet aliquo die, ni-
- » hil praeter enthymemata aliquo die, nihil praeter
- » trāslatiuas, quas dicimus, sententias tamquā quae
- » de fortuna, de crudelitate, de saeculo, de diuitijs di-
- » cuntur.

IN. FVNDVM

O FVNDE noster, seu Sabine, seu Tiburs,
 Nam, te esse Tiburtem, autumant, quibus non est,
 Cordi Catullum laedere: at, quibus cordi est,
 Quouis Sabinum pignore esse contendunt,
 Sed seu Sabine, siue uerius Tiburs,
 Fui libenter in tua suburbana
 Villa, malamq. pectore expulsi tus sim:
 Non immerenti uertitur mihi quam mens,
 Dum sumptuosas appeto, dedit, cenas.
 Nam Sextianus dum uolo esse conuiuia,
 Orationem minantium petitorum,
 Plenam ueneni, & pestilentiae, legit.
 Hic me grauedo frigida, & frequens tussis
 Quassauit, usque dum in tuum sinum fugi,
 Et me recurui ocymoque, & urtica.
 Quare refectus maximas tibi grates
 Ago, meam quod non es ulta peccatum.
 Nec iam recusato, si nefaria scripta
 Sentire cesso, quin grauedinem, & tussim,
 Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus,
 Qui tunc uocat me, cum malum legit librum.
 Nam,

Nam, te esse Tiburtem, autumant, quibus non est, Cordi Catullum laedere] cordi est, honeste dictū, animo sedet. Non. Mar. -malamq. pectore expuli rursim] sic pridē eruditi homines fecerūt ex eo, quod omnibus in manuscriptis legitur, Aliāq. pectore expulsus sum. Sed ex illo, Aliamq. faciebā ipse, Aridāq. Non immerenti uertitur mihi quam mens] Cum in manuscriptis uarie legatur, Quam mihi mens uertitur, Quam mihi mens ueretur, Quam mihi mens uertur: primus omnium Gabriel Faernus ab hinc annos plus minus. VIII. fecit, Quam mihi meus uenter. quod suum ille inuentum, ut erat homo aperto, liberaliq. ingenio, cum libentissime cum multis communicasset, non defuit, qui pro suo ederet. quod ut testarer suo nomine, multis ille me uerbis, antequam diē obiret, est obtestatus. Nam Sextianus] Is credo Sextius est, pro quo Cic. extat oratio, quam Seruius, illud in I. Georg. Saepe exiguus mus, interpretans, Sextianam dicit. Orationem minantium petitorum] Probabilius omnino, quod olim Aldus impressit, in Actium petitorum, nisi e scripta lectione facias, in Antium. Petitorum autem eum, qui magistratum peteret, dicebant. Scipio Africanus in Orationem contra Legem iudiciariam Tiberij Gracchi, ut adducit in. III. Saturn. Macrob. In his unum, quo me reipub. maxime misertum est, puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis. XII. cum cro-
 » talis

- » *talis saltare.* Et me recuravi ocymoque,
 & urtica] *In manuscriptis, Otioq. & urtica.*
 Sed *Recuravi*, quod dixit, *duriusculum* id quibus-
 dam uidetur. atq. uno in manuscripto, *Et me cu-*
 » *raui.* *Plinius in. XIII. Nat. Hist. eodem uerbo*
 » *usus, dixit, Quae non esset ita recurata, in suo*
 » *mansit amphitheatrica.* Legendum forte, *Et me*
ne curavi. Ne uero, pro, *Quidem* ponebant, bre-
 » *ui syllaba.* - meum quod non es ulta pec-
 » *catum]* sic etiam in manuscriptis omnib. praeter
 quam in *Patuino*, in quo sic erat, *Quae non es ul-*
 » *ta peccatum, ut ad uillam referatur.* quod fieri pos-
 » *se commode non uidetur.* *Gabriel Faernus* emen-
 » *dabat, Quod non es ulte peccatum, ut ad Fundum*
 » *referamus.* & uocandi casum pro recto positum pu-
 » *tabat. idq. more veterum tum Graecorum, tum*
 » *Latinorum. nam & Persium sic omnino locutum*
 » *aiebat, Censorem ue tuum, uel quod trabeate salu-*
 » *tas.* Et *Horatianum* illud simile ducebat, *Macte*
 » *Virtute esto, inquit, sententia dia Catonis.* Sen-
 » *tire cesso]* Legendum omnino, ut est in manuscri-
 » *ptis, in Maffei praesertim libro, Sesti recepso, uel*
 » *Sexti recepso.* *Figura uero eadem, qua usum Pa-*
 » *cuium in Teucro tradit Non Marc. Pacuij e-*
 » *nim illud adducit, Haud sinam quidquam profa-*
 » *ri, priusquam accepso, quod peto.* Qui tunc
 » *uocat me, cum malum legit librum]* *Tunc*
 » *me, inquit, inuitat, cum librum aliquem legit crimi-*
 » *num. sic enim Pedianus loquitur in. III. contra Ver-*
 » *rem,*

33 rem, illa interpretans, Quae in istum ualebant cri
 33 mina, Apertius, inquit, hoc postea dicturus est Tul
 33 lius . etenim accusator Dolabellae , uolens indice
 33 Verre uti contra Dolabellam , librum criminum
 33 communium Verris, & Dolabellae Verri ostendit.
 Et quae sequuntur . Vel Malum librum dicit inele
 gantem . ut contra Bonum librum Plin. in. VIII.
 33 Epist. ad Arrianum , Delicatus , inquit , ac simi
 33 lis ignoto est , qui amici librum bonum mauult au
 33 dire , quam facere . Itaq. Libros Orationes etiam
 ipsas dicebant . a Libro autem criminum postea ,
 Libellus , & Libellare , deductum .

DE . ACME . ET . SEPTIMIO

A C M E N Septimius , suos amores ,
 Tenens in gremio , mea , inquit , Acme ,
 Nite perdit amo , atq. amare porro
 Omnis sum adsidue paratus annos ,
 Quantum qui pote plurimum perire ,
 Solus in Libya , India ue tosta ,
 Caesio ueniam obuius leoni .
 Hoc ut dixit , Amor sinistra , ut ante
 Dextra , sternuit adprobatione .
 At Acme , leuiter caput reflectens ,
 Et dulcis pueri ebrios ocellos
 Illo purpureo ore suauitata ,
 Sic inquit : mea uita Septimille ,
 Huic uni domino usq. seruiamus ,

Ut

Ut multo mihi maior, acriorq.
 Ignis mollib. ardet in medullis.
 Hoc ut dixit, Amor sinistra, ut ante
 Dextra, sternuit adprobatione.
 Nunc ab auspicio bono profecti,
 Mutuis animis amant, amantur.
 Vnam Septimius misellus Acmen
 Mauult, quam Syrias, Britanniasque.
 Vno in Septimio fidelis Acme
 Facit delicias, libidinesque.
 Quis ullos homines beatiore
 Vidit. quis uenerem auspiciorem.

Acmen Septimius, suos amores, Tenens in gre-
 mio] *Feminam eo nomine in veteribus monumen-*
tis Romae apud heredes Ambrosii Lily me legere
memini, SERGIA. ACME. Peruetustum quoque
monumentum in hortis Sfortiae Cardinalis eius-
modi est,

L. SAVFEIVS. A

SAVFEIA. L. L. ACME

VXSOR

Septimius autem is fortasse poeta fuit, cuius uersus
 » Terentianus adducit, sic enim est apud illum, Hoc
 » de Septimij potes iunctis noscere uersibus, Geritq.
 » intus in oppidum Anhelos panopae greges. Suos
 amores sic dixit, ut & Cic. in Pisonem, Conuiuium
 publicum

publicum non dignitatis causa inibit, nisi forte ut cum P. Clodio, hoc est cum amoribus suis, cenet.

Ni te perdit amo] Perdit, pro Valde. Eam amare cepit perdit, Aruntius Celsus; & Afranius in Vopisco, Quia scit, me illam amare perdit. Haec

Caris. in. II. - atq. amare porro Omnis sum adfidue paratus annos] Porro, pro, In futurum. M. Cato dierum dictarum de Consulatu suo, Me sollicitum atq. exercitum habitum esse, atq. porro fore. Afranius in Emancipato, Post narrauero, nunc est distentus animus, ut negotijs, Porro autem propero. Idem Caris. Quamquam in posteriore hoc pro, Longius, positum mihi uidetur.

Quantum qui pote plurimum perire] similiter Tullius in. XIII. Epist. ad Manlium. Si huic commendationi meae tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum.

Solus in Libya, Indiae tosta] Tostam Indiam dicit, quippe cum Indos uehemens sol quasi coquat. Vergil. in. IIII. Georg. Iam rapidus torrens sitientes Syrius Indos.

Et Manil. in. IIII. Astronom. Perfusas hominum gentes, minus India tostas. Et Tibullus. in. II. Illi sint comites fusci, quos India torret.

Caesio ueniam obuius leoni] Iacobus Corbinellus, Florentinus, eleganti doctrina, atq. ingenio, Simonidis uersus apud Galenum περι ἀρδρῶν legisse se mihi adfirmavit, similis omnino sententiae, Οὐκ ὅτις οὕτω δασκίαις ἐν ὕρεσιν Ἀνὴρ λέοντ' ἔδεισεν ἔδὲ πάρδαλιν. Μοῦνος σενογρῆ σωτυχῶν ἐν ἀτραπῶ.

I

ut

ut dixit, Amor, sinistra, ut ante Dextra, sternuit ad probationem] *In Patauino altero, Sinistrā ut ante Dextram sternuit ad probationem. Quod ideo probandum uidetur, quod & eodem modo Pro-*
» pert. Argutum sternuit omen amor. Sed, quid ualeat, siue potius significet Sternutamentum, et Plin. lib. XXVIII. & Arist. opinor περὶ ζώων ἴσος. scribunt. At Acme, leuiter caput reflectens] *In manuscriptis, Ad hanc me, &, Ad haec me. id factum, quod indocti homines nescirēt ueteres, Ad, pro, At, etiam posuisse. Sic in perueteri libro Vaticanae Bibliothecae. in quo excerpta ex historijs Sallusti, in oratione Cottae Cos. Ad contra in his miserijs cuncta me cum fortuna deseruere.* Et dulcis pueri ebrios ocellos] *Ebrios amore. Sic Anacreon apud Hephaest. Ες πολιὸν κῦμα κολυμβῶ μεθύων ἔρωτι. Illo purpureo ore suauitata] Purpureum os etiam dixit Simonides apud Athenaeū*
» in. XIII. Πορφυρέου ἀπὸ σώματος ἰεῖσα φωνὰν. Et Horat. Purpereo bibit ore nectar. Sic inquit] simul, haec dicens, suauium dedit, ut Sisenna dicit in. XIII. Milesiarum. Hunc uni domino] In utroq. Patauino, Vno more ueterum. Ignis mollib. ardet in medullis] *Ignis, amoris*
» ille impotens ardor. Vergil. Quid iuuenis, magnū
» cui uersat in ossibus ignem Durus amor. Nunc ab auspicio bono profecti] *similiter Caesar in. III. de bello Ciuili: Et, ab hoc profectus initio, ne frustra ingressus turpem causam uideretur.*

Placidus

Placidus Grammaticus in Glossis, Sunt igitur, in-
quit, bona auspicia, quae cogunt res inchoare; sunt
mala, quae prohibent. Facit delicias] Sic
idem alibi loquitur, Si quis delicias diceret, aut fa-
ceret.

AD. SEIPSUM. DE. ADVENTU. VERIS

IAM uer egelidos refert topores,
Iam caeli furor, aequinoctialis
Iucundi zephyri filescit auris.
Linguantur Phrygi, Catulle, campi,
Niccaeq. ager uber aestulosae:
Ad claras Asiae uolemus urbes.
Iam mens praetrepidans auet uagari:
Iam laeti studio pedes uigescunt.
O dulces comitum ualete coetus,
Longe quos simul a domo profectos,
Diuerfos uariae uiae reportant.

Iam uer egelidos refert topores] Auctor Elegiae
de obitu Maecenatis, quod tñ spirent aurae iucun-
dissimae, Ver dixit egelidum, Verberat egelido gar-
rula uere nemus. Seruius, interpretans illud Poe-
tae in. VIII. Aeneid. Ut procul egelido secretum flu-
mine uidit. Egelido, inquit, est nimium gelido. & est
una pars orationis, ut Eduramq. pirum. i. ualde du-
ram. Haec Seruius. Est ergo, E, in compositione επι-
τατικόν plerumq. quomodo & Seuerus apud Auso-

„ nium accepit, Impiger egelido mouet arma Seue-
 „ rus ab istro. Et Auson. ad Paullinū, Egelidae ut te-
 „ neant hiemes. At eadem particula nonnumquam
 eadem in compositione remittit, ut Egelidum signi-
 ficet, non praegelidum, sed tepidum. quo modo Sue-
 „ ton. accepit in Octauio, Vngebatur, inquit, etiam sae-
 „ pius, sudabat ad flammam. deinde perfundebatur
 „ egelida aqua, uel sole multo calefacta. Atq. hinc il-
 la est κακοζυγία, quam, ut scribit Seneca, in Ouidij
 uersu non probabant eruditi homines. qui uersus le-
 „ gi omnino sic debet, Egelidum Borean, egelidumq.
 „ notum. Non, ut alij, Et gelidum Borean. Quod pri-
 mus uidit Iacobus T aurellus, uir doctissimus. nāq.
 quod id uerbum mediae significationis esset, in id ui-
 tium, quod supra posui, poeta incidit. Iam cae-
 li furor, aequinoctialis.] Anni tempus mollissi-
 mum significat, uer ipsum scilicet, cum primum
 flare Zephyri incipiunt. Zephyrum itaq. aequino-
 ctialem hoc loco dicit, uernum intelligens aequino-
 ctium. Iucundis Zephyri filescit auris] Iu-
 cundas auras, quibus opponas, quae Philippo dicun-
 „ tur in Epigrammate, νότου βαρυλαίλαπες αὔραι. Si
 „ lescit etiam, de uentis, Ouid. in. II. Tristium, Sed
 „ non subsidunt, intermissiq. filescunt. Linqvan-
 tur Phrygii, Catulle, campi] Si est in Asia, Phry-
 gia, cur, ut Asiam petat, Phrygiā relinquat. itaq.
 legendum suspicor, Liquantur. quod idem est, quod
 „ Liquuntur. Ut apud Vergil. in. I. Georg. Canis cum
 „ montibus umor Liquitur & Zephyro putris se glae-
 ba.

bare soluit. Niceaeq. ager uber aestulofae]
 „ Vber, fertilis, Vergil. dixit, Vbere glaebae. Priscian.
 „ in. II. Et Niceam, & Niciam eandem urbem dici
 scribit. Ad claras Asiae uolemus urbes]
 „ Ouid. in. I. Trist. Oppida non Asiae, non mihi ui-
 „ saprius. Iam mens praetrepidans auet ua-
 „ gari.] Eodem modo & Trepidare Plautus uidetur
 „ dixisse in Casina, Ut ille trepidabat, ut festinabat
 „ miser, ut subsultabat postquam uicit uillicus.
 Iam laeti studio pedes uigescunt] Vigere idem
 significare uidetur hoc loco, quod Trepidare uer-
 bum, ardorem scilicet illum ad agendum, atq. au-
 „ dendum. Sic Liuius in. II. Bello punico, Videret, ut,
 „ quibus lingua prompta ac temeraria esset, aequae in-
 „ pugnam uigerent manus. Diuersos uariae
 uiae reportant] In manuscriptis omnibus, Diuer-
 se uariae. sed illud rectius. significat enim multos,
 multis etiam domum uis redeuntibus. Vergil. quoq.
 „ dissipatos cum significare uellet, dixit, Aut age di-
 „ uersos. Quamquam & illud non improbandum, ut
 „ diuerse sit ex diuerso. Vergil. in. II. Aeneid. Hanc
 „ ex diuerso sedem ueniemus in unam. Sed illo modo
 „ etiam Sallustius in Jugurth. Sed, quia diuersi red-
 „ deunt alius ab alia parte.

AD. PORCIUM. ET. SOCRATIONEM

PORCI, & Socratio, duae sinistrae
 Pisonis scabies, famesq. mundi,

Vos Veraniolo meo, & Fabullo
 Verpus praeposuit Priapus ille.
 Vos conuiuia lauta sumptuose
 De die facitis, mei sodales
 Quaerunt in triuijs uocationes.

Porci, & Socration, duae sinistrae Pisonis scabies] De Socratione nihil exploratū habeo. alter uero fortasse sit Porcius, cuius Cic. meminit in oratione pro Fonteio. Crodimū, inquit, Porcium, & Nummium ternos uictoriatos. Famesq. Memmi] In manuscriptis omnibus, Mundi. uel, Mundi. legendum forte, Mindi. cuius Cic. meminit. in v. epist. ad Rufum. Tu ei, inquit, M. Mindium fratrem tuum adiunxisti. Sunt, qui Mundi, ἐπιδεικνῶς positum putent, Pisonis mundi, id est, frugi. quod erat Calpurniorum cognomen. Vos Veraniolo meo] Haec ad extremum usq. legenda cum interrogatione. ut indignantem significant. De die facitis] Repente. neq. ante praedicta, neq. pridie constituta. Donatus in Adelph. interpretās illud, Apparare de die conuiuium. Et nos paullo amplius in Commentationib. in Horatium. Facere conuiuia, sic dixit, ut & Cic. ad Paetum, Cenulas facere. Et in iisdem epistulis Sumptuosas cenas dixit, ut hic Sumptuose fieri conuiuia dicuntur. Quaerunt in triuijs uocationes.] Inuitationes. Idem ante, Qui tum uocat me. Plaut. in Menaeh. Erotium Eamus intro, ut prandeamus. MB. bene uocas.

» uocas. Et in Curg. Bene uocas. Et Sueton. in Caligula,
 » la, Vocatu ipsius. Et Macrobian. in. III. Saturn. de
 » lege Orchia.

AD. IUVENTIVM

MELLITOS oculos tuos, Iuuenti,
 Si quis me sinat usq. basiare,
 Usq. ad millia basiem trecenta:
 Nec umquam saturum inde cor futurum est,
 Non si densior aridis aristis
 Sit nostrae seges osculationis.

Mellitos oculos tuos, Iuuenti] Iuuentiam gentem in primis claram fuisse, constat. M. Iuuentius cum Tib. Graccho Consul fuit. Ex eadem gente M. Iuuentius Laterensis, qui Plancum ambitus accusauit, quiq. sibi ipse in Lepidi castris mortem consciiuit. Ansonius quoq. blandiens dixit, Otia sunt
 » mellite nepos. Atq. alibi, Hoc mellite nepos.
 Nec umquam saturum inde cor futurum est
 In manuscriptis alijs, Nec numquam inde cor satur futurus. In alijs, Nec numquam inde cor sater futurus, Ego uero legendum puto, Nec mi umquam uideor satur futurus. - seges osculationis]
 » Itidem transferrens poeta dixit, T elorum
 » seges.

AD. M. TULLIUM

DISERTISSIME Romuli nepotum,
 Quot sunt, quotq. fuere, Marce Tulli,
 Quotq. post alijs erunt in annis,
 Gratias tibi maximas Catullus
 Agit, pessimus omnium poeta,
 Tanto pessimus omnium poeta,
 Quanto tu optimus omnium patronus.

Quot sunt, quotq. fuere, Marce Tulli, Quotq.
 post alijs erunt in annis] *Eam formam ab Ho-*
mero ceteri uidentur accepisse. Plaut. in Bacchidi-
 „ *bus, Quicumq. ubi ubi sunt, qui fuere, quiq. futuri*
 „ *sunt posthac. Vergil. Quae sunt, quae fuerint, quae*
 „ *mox uentura trahantur. Tanto pessimus*
 „ *omnium poeta] Hic uersus in Patuino altero*
 „ *non erat. Veteres autem sic loquebantur. Plaut. in*
 „ *Aulul. Quam ad probos propinquitate proxime*
 „ *te adiunxeris, Tam optimum est. Et Paterculus in*
 „ *posteriore uolumine, de Mario, Quantum bello op-*
 „ *timus, tantum pace pessimus. Antipater in. III.*
 „ *Epigram. Αγγέλλω μερόπρασιν ὅθ' οὐνεκεν ὄσπον ἀ-*
 „ *ρισος Οἰωνῶν γενόμεαν, τόσον ὄδ' ἡμιθέων.*

A D . L I C I N I V M

HESTERNO, *Licini, die otiosi,*
Multum lusimus in meis tabellis,
Vt conuenerat esse delicatos,
Scribens uersiculos uterq. nostrum,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per iocum, atq. uinum.
Atq. illinc abij tuo lepore
Incensus, Licini, facetijsque,
Vt nec me miserum cibus iuuaret,
Nec somnus tegetet quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens uidere lucem,
Vt tecum loquerer simulq. ut essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo iacebant,
Hoc iucunde tibi poema feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax caue sis, precesq. nostras,
Oramus, caue despuas ocello,
Ne poenas Nemesis reposcat a te.
Est uehemens dea: laedere hanc caueo.

Hesterno, Licini] *Ad Caluū, opinor, scribit, cuius pa-*
ter fuit Licinius Maur. auctor Valerius Max. in.
IX. Vt conuenerat esse, delicatos] In Patavino
altero, Dedicatos. quod nō improbandū usquequaq.
signi-

significat enim hoc loco Catullus, ipsum & Calpurnium
 lusui se eo die dicasse. Sic autem Festus Pompeius
 » Delicatos interpretari uidetur. Delicata, inquit,
 » Festus, dicebant Dis consecrata, quae nunc Dedi-
 » cata. unde adhuc manet Delicatus. Delicare au-
 » tem proprie est dicendo deferre. — numero
 modo hoc, modo illoc] sic veteres. Plaut. in Ci-
 » stell. Istoc ergo auris grauiter obtundo tuas.
 Ludebat numero, modo hoc, modo illoc: o-
 » mni genere poematis. Cic. eodem modo in. 1. Acade-
 » mic. Atq. ipse uarium, & elegans omni fere nume-
 » ro poema fecisti. Reddens mutua per iocum,
 cum, atq. uinum] sic etiam veteres loquebantur.
 » Suetonius in Vespasiano, Per ludum, iocumq. Et in
 » Nerone Claudio, Fallere, ac furari uis erat per iocū.
 » Et obsceni auctor carminis, Nolite, omnia, quae lo-
 » quor, putare, Per lusum mihi, per iocumq. dici.
 Atq. illinc abii tuo lepore. Incensus, Licini,
 » facetiisq.] Plutarchus in eo libro, cui titulum fe-
 » cit, Περὶ τῶν κοινῶν ἐννοίῳν πρὸς τοὺς σωϊκοὺς. Simili-
 » ter dixit, ὑπὸ τοιούτων ἐγὼ λόγων διακεκαυμένος ἔω-
 » δεν σβεσῆρων δέομαι κατὰ περ τινὰ φλεγμονὴν ἀφαι-
 » ρούντων τὴν ἀπορίαν τῆς ψυχῆς. Nec somnus
 » tegeret quiete ocellos] Verg. in. IIII. Georg. In-
 » coepto tegeret cum lumina somno. Atq. idem alibi
 » Catullus, Piger his labantes languore oculos sopor
 » operit. τοῖς γὰρ λυπουμένοις τε καὶ μεριμνῶσιν Ἀπασα
 » νύξ ἔοικε φαίνεσθαι μακρὰ, ait Apollodorus apud A-
 » thenaeum. Sed toto indomitus furore lecto
 Versarer]

Verfarer] *similiter Iuuenal. Sat. XII. Et toto uer
sata toro iam membra quiescunt. Ut tecum
loquerer, simulq. ut essem] Ut una multum esse-
mus. non, Essem, id est cibum sumerem.*

Nunc audax caue sis] *In manuscriptis, Nunc au-
dax caues. & Nunc audax caneris. Ex eo quisq.
quod commodius uidebitur, faciat. Ca-*

*ue despuas oculo] sic etiam est omnibus in ma-
nuscriptis. superbiam uero, & contemptum, ocu-
li nonnumquam ipsi significant. - Ne-*

mesis] Iulius Capitolinus in Maximo & Balbi-

*no, Ut ciuium sanguine litato specie pugnarum se
Nemesis, id est uis quaedam fortunae satiaret.*

Est uehemens dea] Vehemens, Διουλλάβως. sic

Horat. Vehemens, & liquidus. Quam-

quam etiam Vemens, & Vementer, scribebant

ueteres. Vehemens dea, δεινὴ θεός. Hom. κίρκη

εὐπλόκαμος δεινὴ θεός. Et Theocrito Nymphae

dicuntur Δειναὶ θεαί. Plautus in Rudente: Ar-

cturus signum sum omnium quamacerrimum,

Vehemens sum exoriens, cum occido, uehemen-

tior. Nemesisin Vltionem uocant Latini. Corn. Tac-

it. in. III. Cum Valerius Messallinus signum

aureum in aede Martis Vltoris, Caecina Seuerus

aram Vltioni statuendum censuissent.

AD LESBIAM

ILLE mi par esse deo uidetur,
 Ille, si fas est, superare diuos,
 Qui sedens aduersus identidem te
 Spectat, & audit

Dulce ridentem, misero quod omnis
 Eripit sensus mihi. nam, simul te
 Lesbia aspexi, nihil est super mi

Lingua sed torpet, tenuis sub artus
 Flamma dimanat, sonitu suo pte
 Tinniunt aures, gemina teguntur
 Lumina nocte .

Otium, Catulle, tibi molestum est:

Otio exsultas, nimiumq. gestis.

Otium & reges, simul & beatas

Perdidit urbes .

Ille mi par esse deo uidetur] Magnam gratiam
 Longino rhetori debemus, qui Oden hanc Sapphus
 in scripta sua transtulit, & maiorem ijs, qui haec
 ipsa uulgarunt. Phaonem uero Lesbium, impense
 perditumq. amatum, indicat etiam Plautinum il-
 lud in Mil. glor. Nam nulli mortali scio obtigis-
 se hoc, nisi duobus, tibi, & Phaoni Lesbio, Tam
 nimie ut amarentur. Loquitur autem Euripi-
 des eodem modo in Electra, quo Sappho. Εγώ γ'

2) ἴσεν θεοῖσι ἢ γῆμα φίλον . - si fas est] si pote
 est. Qui sedens aduersus identidem te
 Spectat, & audit] θαμὰ ἐπισκοπεῖται. sic Plato
 2) in *Lyside*. Περισρεφόμενος δὲ ὁ Λύσις θαμὰ ἐπισκο-
 2) πείτο ἡμᾶς, καὶ δῆλος ἦν ἐπιθυμῶν προσελθεῖν.
 2) Dulce ridentem] idem alibi, Dulce rideat ad
 2) patrem. Et Horatius, Dulce ridentem Lalagem
 2) amabo. Et Plato in *Epigrammatis de Laide*, Καὶ
 2) σοβαρὸν γελάσασα κατ' ἑλλάδος, ἢ τὸν ἐρόντων Εσμὸν
 2) ἐνὶ προθύροις λαί' ἔχουσα νέων. Quos uersus paene
 2) expressit Propert. in . II. Non ita complerant E-
 2) phyraeae Laidis Aedes, Ad cuius iacuit Graecia
 2) tota fores. Nihil est super mi] Est in non-
 nullis, pro, Super mi, Suprema. Et, quia sequens
 Adonius desideratur, difficilis est coniectura. Cre-
 dibile est, Vocis, partem reliqui fuisse. Bion quidem
 in *Bucolicis* simile quiddam posuit de Venere,
 2) Ἡ μὲν γὰρ βροτὸν ἄλλον ἢ ἀθανάτων ἴνα μὲλπω, καμ-
 2) βάλνει μετ' Ἐλῶσα, καὶ ὡς πάρος οὐκ ἔτ' αἶδει.
 Legendum forte in posteriore uersu, κ' ἀμβλύνει.
 Lingua sed torpet, tenuis sub artus Flamma
 dimanat] Multo ante, quam illa, quae dixi, scri-
 pta Longini ederentur, coniecturam feceram,
 haec esse de Sapphicis expressa uersibus. Plutar-
 chi enim librum legeram, inscriptum, πῶς ἀνὴρ
 αἰδοῖτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ. In quo
 est Sapphycorum uersuum pars ea, quae huic Ca-
 tullinae respondet. Sic uero est apud illum, Νέω
 2) δ' ἀνδρὶ γευσάμενῳ προκοπῆς ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ,
 τὰ

- » τὰ σαρκικὰ ταυτὶ παρέπεται . κατὰ μὲν γλώσσαν γε
 » λεπτὸν αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑποδέδραμε . *Hic uero , cui*
uidebitur , uires experiatur ingenij , aut horum
uersuum meliorem lectionem afferat , aut ea , quam
docti homines excogitauere , contentus sit . Dima-
nare uero amoris flammam , dixit μεταφορικῶς .
 » ostendit ita dictum *Plaut. in Mostell. Continuo*
 » pro imbre amor aduenit . is ubi in pectus perma-
 » nauit , *Permadefecit cor meum . Et Lucret. in.*
 » IIII . *Hinc inlata prius Veneris dulcedinis in cor*
 » Stillauit gutta , & successit frigida cura . *Amo-*
rem uero ipsum in cor descendentem significauit
Alcman illis uersibus , qui sunt apud Athenaeum ,
 » Ἔρως μέδ' αὐτὲ κύπριδος ἑκατὶ γλυκὺς κατεΐβων καρ
 » δίαν ἰαίνει . *Archilochus simillime , hoc ipso in ge-*
 » nere , *Τοῖος γὰρ φιλότιτος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἔλυθεῖς*
 » πολλὴν κατ' ἀχλωὶ ὀμμάτων ἔχευεν , κλέψας ἐκ σπ
 » δέων ἀπαλὰς φρένας . *Sic Catullus Eripi sibi sensus*
 » dixit . *Et alibi idem , Δύσνηος ἔγκειμαι πόθῳ ἄψυ-*
 » χος , χαλεπῆσι θεῶν ὀδύνησιν ἔκητι Πεπαρμένος διὸ
 » σέων . *Lumina nocte] Desunt reliqui uersus , ab eo*
dē conuersi . quos ego crassa Minerua mea sic supple
plebam , Sudor it late gelidus trementi Artubus to
tis , uiolamq. uincit , Insidens pallor moriens nec au
ras Ducere possum . Ouid. in. III. eleg. simillime ,
 » *Mens alit , & morior . Otium , Catulle ,*
tibi molestum est] Hoc uero nihil ad superiora
illa pertinet . nec enim cohaeret . estq. omnino ἀπο
πασμῆτιον Catullini poematis , quod perierit . Prae
 » *terire*

terire nō possum hoc loco Macrobij uerba e. II. Sa-
 turn. Ioculari, inquit, deinde super cenam exorta
 quaeſtione, quod nam eſſet Moleſtum otium, aliud
 alio opinante, ille Podagrici pedes dixit. Is uero eſt
 Publij iocus. Otium & reges, ſimul & bea-
 tas Perdidit urbes] ſententia eſt, quam infert, ve-
 ρετική. & tractata quidem luculente a Demofthe-
 ne in oratione περὶ ρεράνυς. Et Cato Maior ad li-
 tes cenſorias ſimiliter, Scio, inquit, fortunās ſe-
 cundas negligentiam perdere, quod uti prohibutum
 irē, quod in me eſſet, meo labori non pari. Epichar-
 mus ſimiliter, Πρεπόντων τῶν πόνων πωλῶουσιν ἡμῖν
 πάντα τ' ἀγαθὰ οἱ θεοί. Σὴ πατρίς ἐν γὰρ τοῖς πόνοι-
 σὶν ἀύξεται Αἰδ' ἡσυχοὶ σκοτεινὰ πρᾶσσουσιν πόλεις.
 Non diſſimilis Euripidis ſententia, Οδ' ἡδὺς αἰὼν,
 ἢ κακὴ τ' ἀνανδρία οὐτ' οἶκον, οὔτε πόλιν ὀρθώσει ἐν
 ἀν. Perditas ciuitates, & Cic. dixit in. VII. in
 Verrem, Perditae ciuitates, desperatis omnibus.

AD . SEIPSUM DE . STRUMA
 ET . VATINIO

QVID eſt, Catulle, quod moraris emori.
 Sella in curulli Struma Nonius ſedet:
 Per conſulatum peierat Vatinius.
 Quid eſt, Catulle, quod moraris emori.

Quid eſt, Catulle, quod moraris emori.] Sus-
 pendio arbor eligenda. Melius uero in manuſcri-
 ptis,

ptis, *Quid est, Catulle, quid moraris emori.*

Sella in curulli Struma Nonius sedet] *De quo*

» *Plin. in. XXXVII. Si quidem exstat hodieq. hu-*
 » *ius generis gemma, propter quam ab Antonio pro-*
 » *scriptus Nonius Senator est, filius Strumae No-*
 » *niy eius, quem Catullus poeta in sella curulli uisum*
 » *indignè tulit. Et Boethius in. III. philosophiae con-*
 » *solationis. Nam uis ea est magistratibus, ut uten-*
 » *tium mentib. uirtutes inserant, uitia depellant.*
 » *atqui non fugare, sed inlustrare nequitiam solent.*
 » *qua fit, ut indignemur eas saepe nequissimis homi-*
 » *nibus contigisse. unde Catullus, licet in Curulli*
 » *Nonium sedentem, Strumam tamen appellat.*

Per consulatum peierat Vatinius] *in Caniniy*
 & *Vatiniy consulatum noti ioci Ciceronis, apud*
Macrobiuum in. II.

DE . QVODAM . ET . CALVO

RISI nescio quem modo in corona,
 Qui, cum mirifice Vatiniana
 Meus crimina Caluus explicasset,
 Admirans ait haec, manusq. tollens,
 Dij magni salicippium disertum.

Risi] *Prouerbio dixisse uidetur. Festus in uerbo, Ri-*
deo. Qui, cum mirifice Vatiniana Meus
crimina Caluus explicasset] Caluus Vatinium
ambitu accusauit. Quod intelligi potest ex illis
Carisii

„ Carisy uerbis in. II. Ad, pro autem. Caluus in Fu-
 „ sciniũ ambitus. Ad ita mihi Iouem, deosq. immor-
 „ tales uelim bene fecisse, iudices, ut ego pro certo ha-
 „ beo, si paruuli. Quibus in uerbis, Fuscinium, in Va-
 „ tinium mutandum censeo. Scripsit autem Caluus
 orationes duas in Vatinium, quarum posteriorem
 laudat Corn. Tacitus. Di magni, Salicippium disertum] Di magni, admiratis est. Plaut.
 „ in Capt. Audiui, di magni. Ouid in. II. Elegiarum,
 „ Oscula, di magni, qualia, quotq. dedi. Et in. VI. Fast.
 „ Quam bene, di magni, pugna cecidisset in illa De-
 „ fensor solij Iuppiter ipse sui. Tzetzes, Lycophronis
 „ interpret, ὃ πόποι, apud Homerũ idem ualere signifi-
 „ cat, idq. de aliorũ sentetia. Πόποι) οἱ θεοὶ ὄθεν ἔχουσιν
 „ λάκκους ὃ πόποι λίβες παρ' Ομηρῶ, ἀντὶ τῶ θεοὶ, ἢ κισσῶν.
 „ ἢ λέξις δρυόπων. Salicippium uero legendũ esse, dubi-
 „ tari non potest: quod facile intelligitur ex illis Sene-
 „ cae uerbis in. IIII. Controuersiarum. Caluus, in-
 „ quit, qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de
 „ principatu eloquentiae habuit, usq. eo uiolentus ac-
 „ cusator, & concitatus fuit, ut in media actione eius
 „ surgeret Vatinius reus, & exclamaret, Rogo uos, iu-
 „ dices, num si iste disertus est, ideo me damnari oportet.
 „ Idem postea cum uideret a clientibus Catonis
 „ rei sui Pollionem. Asiniũ circumuentũ in sorte, im-
 „ poni se supra cippũ iussit. erat enim paruulus statu-
 „ ra, propter quod etiã Catullus in Hendecasyllabis,
 „ uocat illũ Salicippium disertum, et iurauit, siquam
 „ iniuriam Cato Pollioni Asinio accusatori fecisset,

- » se in eum iuraturum calumniam, nec umquã post-
 » ea Pollio a Catone, aduocatisq. eius aut re, aut uer-
 » bo uiolatus est. Sed & apud Senecam praue, Sallu-
 pitium legitur. Verborum uero Senecae sententia, ut
 Salicippium legatur, postulat. Hunc ego Senecae lo-
 cum cum Catullino collatum diligenter, emenda-
 tumq. acceperam in Hispania ab Honorato Ioan-
 nio, uiro clarissimo, mihiq. multis de caussis coniu-
 ctissimo. Ut uero in Italiam ueni, & Paullum Ma-
 nutium Venetijs uidi libenter, & de communibus
 studijs cum eo egi saepe libentissime. Ille uero, cum
 ex me quaereret, ecquid haberem in Catullum, re-
 spondi, mihi quidem nihil tum esse in promptu, hunc
 unum locum memoria tenere dignũ Honorati mei,
 singulari doctrina, atq. ingenio. Laudauit ille, si-
 biq. perplacere significauit: seq. ante al. quot annos
 ita emendasse confirmauit. Nescio, cur Senecae uer-
 ba, tam huic loco necessaria, praeterierit interpres
 Catulli. Caluum ipsum etiam exiguum dicit Ouid.
 » in. 11. Trist. Par fuit exigui, similisq. licentia
 » Calui.

*

- * Othonis caput oppido est pusillum.
- * Heri rustice semilauta crura
- * Subtile, & leue peditum Libonis
- * Sed non omnia displicere uellem
- * Tibi, & Fuffecio seni recocto.
- * Irascere iterum meis iambis
- * Immerentibus unice imperator.

Othonis

Othonis caput] Nihil auxilij adferbant libri manuscripti. nam praeterquam quod inculcati hoc loco sunt plures alij uersus alienissimo loco, hi quoq. ipsi mirum in modum deprauati legebantur. sed non dissimulabo conatum meum, ut, si parum res processerit, extet tamen diligentiae meae testimonium.

Itaq. sic commentabar, Ad Rusticum, quod nomen etiam in antiquis fuisse dubitandum nō est, hodieq.

Romae in cippis duobus est, MARCVS. SESTIVS.

RUSTICVS. ad Rusticum, inquam, aliquem scribi hos uersus, in quibus dicit Othonem puerum quendam heri sui delicias esse, cui caput pusillum, subtile, ac leue esset, crura deinde semilauta, id est, sordidiuscula; hunc esse tum qui & Rustico ipsi, & Fuffecio seni callidissimo placere posset. Hanc autem sententiam efficiant hi uersus, sic si legantur.

Othonis caput oppido est pusillum,

Subtile, & leue, ται̅υ̅ν̅ι̅ο̅ν Libonis

Heri, Rustice, semilauta crura.

Sed non omnia displicere uellem

Tibi, & Fuffecio seni recocto. Sed mihi ipse

non satisfaciebam in hac tota sententia. uolui tamē

industriam, ac laborem testari meum. alij olim for-

tasse melius. pro, Suffecio, autem, Fuffecio legendum

puto, suffragantib. omnis antiquitatis monumentis.

Irafcere iterum meis iambis Immerentib. uni

ce imperator] Hi quoq. uersus et in manuscriptis,

& impressis, alieno leguntur loco. In Caesorem uero

ipsū haec dicta suspicatur. sed reliqua desiderantur.

AD. CAMERIVM

ORAMVS, si forte non molestum est,
 Demonstres, ubi sint tuae tenebrae.
 Te quaesivimus in minore campo,
 Te in circo, te in omnib. tabellis,
 Te in templo superi Iouis sacratio,
 In Magni simul ambulatione,
 Femellas omnes amice premdi,
 Quas uultu uidi tamen sereno.
 Auelli sinte, ipse flagitabam,
 Camerium mihi, pessimae puellae.
 Quaedam, inquit, nitidum sinum reducens,
 En hic in roseis latet papillis.
 Non custos si fingar ille Cretum,
 Non si Ladas, pennipes ue Perseus,
 Non si Pegaseo ferar uolatu,
 Non Rhesi niueis, citisq. bigis.
 Adde huc plumipedas, uolatilesque,
 Ventorumq. simul require cursum,
 Quos iunctos Cameri mihi dicares,
 Defessus tamen omnib. medullis,
 Et multis langoribus peresus
 Essem, te mihi amice quaeritando.
 Sed, te quaerere, iam Herculis labos est.
 Tanto te n' fastu negas amice.
 Dic nobis ubi sis futurus, cede
 Audacter, committe, crede lucet:

Num

Num te lacteolae tenent puellae .
 Si linguam clauso tenes in ore ,
 Fructus proicies amoris omnis .
 Verbosa gaudet Venus loquella .
 Vel, si uis, licet obferes palatum ,
 Sis nostri quoq. particeps amoris .

Oro, si tibi forte non molestum est] Hic est opi-
 nor Catulli Scurra fugitiuus, de quo Iuuenalis in
 2) Sat. XIII. Mimum agit ille, Urbani qualem fugiti
 2) uis scurra Catulli. Sed in manuscriptis omnibus
 est, Oramus, si forte non molestum est. Demon-
 stres, ubi sint tuae tabernae] In manuscriptis,
 pro Tabernae, Tenebrae, non Latebrae .
 - te in omnibus labellis] In manuscriptis est, Li
 bellis, quod est corruptum ex Labellis. Labella uero
 significare opinor, balnea, thermas hoc loco. Sic A
 2) Cic. Labrum dicitur. Et ab Ouid. in. IIII. Fast.
 2) Nec dryadas, nec nos uideamus labra Dianae.
 2) Et in Ibin. Quiq. uerecundae speculantem labra
 2) Dianae. Martialis in. v. in Dentonem in eandem
 2) sententiam, Quem thermis modo quaerere, & thea
 2) tris, Et conclauib. omnib. solebas. Te in
 tēplo superi Iouis sacrato] Sacro. Sic Cic. III.
 2) in Verrem, Qua ex opinione hominum illa insula eo
 2) rum deorum sacra putatur. Sic etiam Graeci lo-
 2) quuntur, ut interpretes Apollonij in. I. Δῆλος μίαν τῶν
 2) κυκλάδων νήσων ἱερὰ ἀπόλλωνος. Ac paullo post, Κλά
 2) ρος πόλις πλησίον κολοφῶνος. ἱερὰ ἀπόλλωνος.

K 3

Quas

Quas uultu uidi tamen sereno] *Ita olim Aldus impressit. itaq. est in manuscriptis.* Auelli finite, ipse flagitabam, Camerium mhi] Clamo
 „ re flagitabam, ut Plaut. in *Menaeh.* Propterea il-
 „ lius nomen memini facilius, Quia illum clamore ui-
 „ di flagitarier. Quaedam, inquit, niti-
 dum sinum reducens] *In manuscriptis pro Niti-
 dum, Nudum. Propert. in. II. simile quiddam expri-
 „ mens, Omnia me laedent, timidus sum, ignosce tibi
 „ mori, Et miser in tunica suspicor esse uirum.*
 Non custos si fingar ille Cretum] *Hi uersus o-
 mnes ad illum usq. Essem te mihi, & cet. nulli sunt
 hoc loco, in manuscriptis, sed alibi, alienissimo o-
 mnino loco. Aldus autem Manutius olim, ante hos
 impresserat eos, qui sequuntur, En hic in roseis latet
 papillis, Sed te quaerere iam Herculis labos est. Et
 qui sequuntur.* Audacter, committe, cre-
 de, lucet.] *In manuscriptis est, Audacter hoc com-
 mitte, crede, Lucet. Legendum, opinor, Audacter
 committe, crede, Luci. Si modo is Lucius Camerius
 fuit. quod alij uiderint. Lucium quendam proscin-
 dit poeta, quisquis ille uetus auctor carminis, quod
 in Lusib. in Priapum legitur, apud quem in extre-
 „ mo legitur, Cinaede Luci, ante reliquerunt opes, Fa-
 „ meq. gemini crepant.* Fructus proicies amo-
 „ ris omnis] *sic Attius in Alcmeone, Postremo, am-
 „ plexa. fructum, quem di dant, cape. Et Plaut. in Ca-
 „ sina. Scio, sed meus fructus est prior. & Lucret. in.
 „ IIII. Nec Veneris fructu caret is, qui uitat amorē.*

Sis nostri quoq. particeps amoris] *Aldus aliter olim, Dū uestri sim ego particeps amoris. Quae sunt omnia nimis ingeniosorum commenta. in manuscriptis omnibus est, Dum nostri sis particeps amoris. nec ego quidquam mutandum puto. Ut tua inquit, tu nos celes gaudia, nos te tamen nostrorum nobis amorum conscium esse uolumus.*

Non custos si fingar ille Cretum] *Dubius sum, an Custos pasive dixerit, pro Custodito, ut Vector etiam, pro eo qui uehitur, dici solet. itaq. Daedalus significetur, qui uolatu Cretensium manus effugit. Fingar autē,*

» sic dixit, ut & Menander, Κομψὸς σρατιώτης, οὐδ' ἂν εἰ πλάπλοι θεὸς, οὐδεὶς γένοιτ' ἄν.

Non, si Pegaseo ferar uolatu] *Eiusmodi multa simul posuit etiam Alexis Comicus apud Athenaeū in. VI.*

» Εμοὶ παρασιτεῖν κρεῖπλον ἦν τῷ πηγάσῳ ἢ τοῖς βορέαι-
» δαις ἢ δᾶπλον τοῦτον πρέχει ἢ Δεμέα λάχνηος ἑτεοῦ
» τᾶδας πέτεται γὰρ οὐχ οἶον βαδίξει τὰς ὁδοὺς.

Quos iunctos Cameri mihi dicares] *sic est etiā in manuscriptis omnibus.*

AD. CATONEM

O REM ridiculam, Cato, & iocosam,
Dignamq. auribus, & tuo cachinno.
Ride, quidquid amas Cato Catullum,
Res est ridicula, & nimis iocosa.
Deprendi modo pupulum puellae
Trusantem: hunc ego, si placet Dionae,
Pro telo rigida mea cecidi.

O rem ridiculam, Cato, & iocosam] Hic est forte
 Valerius Cato Grammaticus, de quo sunt illi uersus
 Bibaculi apud Suetonium de inlustrib. Grammati-
 cis, Cato Grammaticus, Latina Siren, Qui solus
 legit, et facit poetas. Ac post, Siquis forte mei domū
 Catonis. Eiusdem Catonis meminit Ouid. in. II.
 Trist. Et leue Cornifici, parq. Catonis opus. Intelle-
 gerem de Catone Censorio, si ratio temporum conue-
 niret. nam iocis illum delectatū scribit Macrobius
 in. II. Saturn. M. etiam Cato, ille Censorius, argute
 iocari solitus est. Ac postea, idem, opinor, significās,
 Orta ex his laetitia, & omnibus in censoriū risum
 remisissis. Ride, quidquid amas Cato Ca-
 tullum] id est, ἀσχετοῦ γέλωτα. & leporis non nihil
 est in uerborum παρωνυμία, Cato Catullum.
 -hunc ego, si placet Dionae] Dubito, an legen-
 dam sit, Sic placet Dionae. Sic Horat. Tecū sub al-
 ta, sic Ioui gratum, domo Beate Maecenas bibam.
 Protelo rigida mea cecidi.] Nonius Marcellus
 in uerbo, Protelare, uersus adducit Lucili, in quib.
 Protelo nō uerbum, sed aduerbium uidetur adfirmā-
 tis, siue quid simile huic Catulli sententiae significā-
 tis. in quo aut parum uidisse Nonius uidetur, aut e-
 ius in emendato nos libro utimur. Versus Lucili sunt,
 Quem neq. Lucanis oriundi montib. tauri Duce-
 re protelo ualidis ceruicib. possent. Et illi, Hunc iu-
 ga multorum pro telo ducere centum Non possent.

IN. MAMURRAM. ET. CAESAREM

PVLCHRE conuenit improbis cinaedis,
 Mamurrae pathicoque, Caesarique.
 Nec mirum: maculae pares utrisque,
 Urbana altera, & illa Formiana,
 Impressae resident, nec eluentur.
 Morbosi pariter, gemelli utrique,
 Vno in lectulo erudituli ambo.
 Non his, quam ille, magis uorax adulter,
 Riuales, socij & puellularum:
 Pulchre conuenit improbis cinaedis.

Pulchre conuenit improbis cinaedis] Pulchre,
 „ pro, Bene. Sic ante, Pulchre concoquitis. Et A-
 „ fran. Pulchre hoc incendi rogam. Mamur-
 rae pathicoque, Caesariq.] Mamurram For-
 mianum intelligit. Et distinguendum, Mamur-
 rae pathicoque, Caesariq. Neq. uero Catullus tan-
 „ dicant Corneli Taciti uerba in. IIII. Carmina
 „ inquit Bibaculi, & Catulli referta contumelijs Caes-
 „ sarum leguntur. Sed ipse Diuus Iulius, ipse Diuus
 „ Augustus, & tulere ista, & reliquere, haud facile
 „ dixerim moderatione magis, an sapientia. namq.
 „ spreta exolefcunt; si irascare, agnita uidentur.
 „ - maculae pares utrisq.] Probra. Lucilius,
 „ Quem scis scire tuas omnis maculasq. notasq.

Es

- » Et *Auson. in Ecloga, At contra inlecebris macu-*
 » *losam ducere uitam. Mart. in VIII. in eandem*
 » *prope sententiam, Cum sitis similes paresq. uita,*
 » *Vxor pessima, pessimus maritus, Miror, non be-*
 » *ne conuenire uobis. - gemelli utrique, Vno*
 » *in lectulo] Gemellos uocat, uel propter mutuum*
 » *in flagitijs consersum, quo modo dictum ab Hora-*
 » *tio, Ad cetera pene gemelli: atq. ita distinguen-*
 » *dum ab eo, quod sequitur. aut Gemellos uno in le-*
 » *ctulo non sine summa turpitudine uocat.*
 » *Vno in lectulo: Veniebat etiam in mentem mihi*
 » *dubitare, an legendum foret, Unilectuli, unica*
 » *uoce, ut & Graecis Σύλεκτροι. auctor Hymni in*
 » *Rheam, Πάντιμ' ἀγλαΐμορφε, κρόνε σύλεκτρε.*
 » *Tum etiam alibi idem in matrem deum, Κρόνου*
 » *σωμέμευε. & κοινολεχεΐς, Sophocles in Electra.*
 » *Solet, autem Catullus Σὺν in compositione in Vni*
 » *conuertere. namq. alibi, Unigenam simul, aut*
 » *isdem natam parentib. dicit. Q. C. in commenta-*
 » *rio de petitione consulatus eodem prope modo, Am-*
 » *bo sicarij, ambo libidinosi, ambo egentes.*
 » *Non hic, quam ille, magis uorax adulter,*
 » *Riuales, focii & puellularum] Vellem per ma-*
 » *nuscriptum aliquem librum distinguere, ac lege-*
 » *re liceret hoc modo, Non hic quam ille, magis*
 » *uorax, adulter, Riualis socius puellularum.*

AD . COELIUM . DE . LESBIA

COELI, *Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus, quam se, atq. suos amavit omnes,
Nunc in quadriuijs, & angiportis,
Glubit magnanimos Remi nepotes.*

Coeli, Lesbia] *Hic est Coelius Rufus, de quo post
plura dicemus. - nostra.] Nostram dicit,
quod Coelius etiam Lesbiam, idest Clodiam, ama-
rit. quae, opinor, eadem traditur a Plutarcho di-
cta Quadrantaria. - in quadriuijs, & an-
giportis] Ubi contemptissima scorta merebant,
atq. prostabant. Horat. in 1. Carm. in Lydiam,
» Flebis in solo leuis angiportu Thracio bacchante
» magis sub inter-lunia uento. Glubit ma-
gnanimos Remi nepotes] Eodem uerbo, atq.
» hoc ipso in genere usus est Ausonius, Deglubit, fel-
» lat, molitur per utramq. cauernam.*

DE . R U F A

BONONIENSIS *Rufa Rufulum fellat
Vxor Meneni, saepe quam in sepulcretis
Vidistis, ipso rapere e rogo cenam,
Cum deuolutum ex ignae prosequens panem,
A semiraso tunderetur ustore.*

Vidi-

Vidistis, ipso rapere e rogo cenam] In manuscri-
 ptis omnibus, Rapere de rogo cenam. quod est ip-
 sum probabilius. Nescio, an idem Tibullus signi-
 ficet in. 1. Ipsa fame stimulante furens, escasq. se-
 pulcris Quærat, & a saenis ossa relicta lupis. Et
 in Ibin Ouid. Et qui debuerat subitas extinguere
 flammæ, Is prædam medio raptor ab igne petit.
 quamquam in aliam hoc dictum sententiam. Sue-
 tonius in Vitellio simile quiddam scribit, Ut autem
 homo, inquit, non profundæ modo, sed intempesti-
 uæ quoq. ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem
 unquam, aut itinere ullo temperavit, quin inter
 altaria ibidem statim uisus, & farræ pæne ra-
 pta e foco manderet. Artemidorus in. IIII. ex eodẽ
 genere commemorat τὰ ἐν νεκροῖσι, καὶ παραδεί-
 τοις παρὰ τὸ δέμεναι. Cum deuolutum ex
 igne prosequens panem] Qui deciderit cibus.
 Sic Sidonius in. III. Epist. ad Apollinarem, E-
 nim uero illa sordidior, atq. deformior est cadaue-
 re rogali, quod facibus admotum, semicom bustum,
 moxq. sidente strue torrem deuolutum reddere py-
 ræ iam fastidiosus pollinctor exhorret. A
 semiraso tunderetur ustore] Quasi id quoq. in
 caerimonijs fuerit; ustor ut esset semirasus. Mihi
 uero finis epigramatis deesse uidetur, & eius quod
 sequitur principium.

*
 Num te leaena montib. Libyffinis,
 Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
 Tam mente dura procreavit, ac tetra
 Ut supplicis uocem in nouissimo casu
 Contemptam haberes. a nimis fero corde.

Num te leaena montib. Libyffinis] Leonū enim
 est Libya, ut Flaccus ait, arida nutrix. Leaenae
 uero insigni sunt feritate. veteris poetae senarius
 est, ἰσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ἀμόλῃς. Crudelem signi-
 ficare cum uolumus, non homine satum dicimus.
 Sic Euripid. in Bacchidib. Τίς ἀρανὶν ἔτεκε; Οὐ
 γὰρ ἐξ αἵματος Γυναικῶν ἔφυ. λεαίνας δέ γε τινὸς, ἢ
 γοργόνων λιβυστῶν γένος. A nimis fero cor-
 de] ἀνηλεὲς ἦτορ, dicit Callimachus in Hymno in
 Delon, Ἡρῆ, σοὶ δ' ἔτι τῆμος ἀνηλεὲς ἦτορ ἔκειτο.

IN . NVPTIAS . IVLIAE

ET . MALLI

COLLIS • Heliconij
 Cultor, Vraniae genus,
 Qui rapis teneram ad uirum
 Virginem, o Hymenace Hymen,
 Hymen o Hymenace.
 Cinge tempora floribus
 Suaue olentis amaraci.
 Flammeum cape lactus. huc

Huc

Huc ueni, niueo gerens
 Luteum pede foccum :
 Excitusq. hilari die,
 Nuptialia concinens
 Voce carmina tinnula,
 Pelle humum pedibus, manu
 Pineam quate taedam.
 Namq. Iulia Mallio,
 Qualis Idalium colens
 Venit ad Phrygium Venus
 Indicem, bona cum bona
 Nubit alite uirgo.
 Floridis uelut enitens
 Myrtus Asia ramulis,
 Quos Hamadryades deae
 Ludicrum sibi roscido
 Nutriunt humore.
 Quare age huc aditum ferens
 Perge linquere Thespiæ
 Rupis Aonios specus,
 Lympha quos simul inrigat
 Frigerans Aganippe :
 Ac domum dominam uoca,
 Coniugis cupidam noui,
 Mentem amore reuinciens,
 Ut tenax edera hac, & hac
 Arborem implicat errans.
 Vos item simul integræ
 Virgines, quibus aduenit

Par dies, agite, in modum
 Dicite, o Hymenaeae Hymen,
 Hymen o Hymenaeae:
 Ut lubentius auditus,
 Se citarier ad suum
 Munus, huc aditum ferat,
 Dux bonae Veneris, boni
 Coniugator amoris.
 Quis deus magis optimus
 Est petendus amantibus.
 Quem colant homines magis
 Caelitum. o Hymenaeae Hymen,
 Hymen o Hymenaeae.
 Te suis tremulus parens
 Inuocat: tibi uirgines
 Zonula soluunt sinus:
 Te timens cupida nouos
 Captat aure maritos.
 Tu fero iuueni in manus
 Floridam ipse puellulam
 Matris e gremio suae
 Dedis, o Hymenaeae Hymen,
 Hymen o Hymenaeae.
 Nil potest sine te Venus,
 Fama quod bona comprobet,
 Commodi capere: at potest,
 Te uolente. quis huic deo
 Compararier ausit.
 Nulla quit sine te domus

Liberos

Liberos dare, nec parens

Stirpe dicier: at potest,

Te uolente. quis huic deo

Compararier ausit.

Quae tuis careat sacris,

Non queat dare praesides

Terra finibus: at queat,

Te uolente. quis huic deo

Compararier ausit.

Claustra pandite ianuae.

Virgo adest. uiden', ut faces

Splendidas quatiunt comas.

Sed moraris. abit dies.

Prodeas, noua nupta.

Tardat ingenuus pudor,

Quem tamen magis audiens

Flet, quod ire necesse sit.

Sed moraris. abit dies.

Prodeas, noua nupta.

Flere desine: non tibi

Arculeia periculum est,

Ne qua femina pulcrior

Clarum ab Oceano diens

Viderit uenientem.

Talis in uario solet

Diuitis domini hortulo

Stare flos hyacinthinus.

Sed moraris. abit dies.

Prodeas, noua nupta.

P rodeas,

Prodeas, noua nupta, si
 Iam uidetur, & audias
 Nostra uerba. uiden', faces
 Aureas quatiunt comas .

Prodeas, noua nupta,
 Non tuus leuis in mala
 Deditus uir adultera,
 Probra turpia persequens,
 A tuis teneris uolet
 Secubare papillis:

Lenta quin uelut assitas
 Vitis implicat arbores,
 Implicabitur in tuum
 Complexum. sed abit dies .
 Prodeas, noua nupta.

O cubile, quot omine
 Candido pede lectuli,
 Quae tibi ueniunt bona.
 Gaudeas. sed abit dies.
 Prodeas, noua nupta .

Quae tuo ueniunt hero,
 Quanta gaudia, quae uaga
 Nocte, quae media die,
 Gaudeas. sed abit dies .
 Prodeas, noua nupta .

Tollite, o pueri, faces:
 Flammeum uideor uidere .
 Ite, concinite in modum,
 O Hymen Hymenae Hymen,

L Hymen

Hymen o Hymenaeae .
 Neu diu taceat procax
 Fescennina locutio :
 Neu nuces pueris neget
 Desertum domini audiens
 Concubinus amorem .
 Da nuces pueris iners
 Concubine: satis diu
 Lufisti nucibus : lubet
 Iam seruire Thalassio .
 Concubine, nuces da .
 Sordebant tibi uillicae
 Concubine hodie, atq. heri.
 Nunc tuum cinerarius
 Tondet os. miser, a miser
 Concubine, nuces da .
 Diceris male te a tuis
 Vnguentate glabris marite
 Abstinerere : sed abstine .
 O Hymen Hymenaeae Hymen,
 Hymen o Hymenaeae .
 Scimus, haec tibi, quae licent,
 Sola cognita : sed marito
 Ista non eadem licent .
 O Hymen Hymenaeae Hymen,
 Hymen o Hymenaeae .
 Nupta tu quoq. quae tuus
 Vir petet, caue ne neges,
 Ne petitum aliunde eat .

O Hymen

O Hymen Hymenaeae Hymen,

Hymen o Hymenaeae .

En tibi domus ut potens ,

Et beata uiri tui ,

Quae tibi sine fine erit .

O Hymen Hymenaeae Hymen ,

Hymen o Hymenaeae .

Vsq. dum trenzulum mouens

Canatempus anilitas

Omnia omnib. annuit .

O Hymen Hymenaeae Hymen ,

Hymen o Hymenaeae .

Transfer omine cum bono

Limen aureolos pedes ,

Rasilemque subi forem .

O Hymen Hymenaeae Hymen ,

Hymen o Hymenaeae .

Aspice, unus ut accubans

Vir tuus Tyrio in thoro ,

Totus immineat tibi .

O Hymen Hymenaeae Hymen ,

Hymen o Hymenaeae .

Ille non minus, atque tu ,

Pectore uritur intimo ,

Flamma sed penita magis .

Hymen o Hymenaeae Hymen ,

O Hymen Hymenaeae .

Mitte bracchiolum teres

Praetextate puellulae .

Iam cubile adeat uiri .

*O Hymen Hymenaeae Hymen ,
Hymen o Hymenaeae .*

*Vos unis senib. bonae
Cognitae bene feminae
Collocare puellam .*

*O Hymen Hymenaeae Hymen ,
Hymen o Hymenaeae .*

*Iam licet uenias marite :
Vxor in thalamo est tibi
Ore floridulo nitens,
Alba Parthenice uelut,
Luteum ue papauer .*

*Non diu remoratus es .
Iam uenis . bona te Venus
Iuuerit , quoniam palam
Quod cupis , capis , & bonum
Non abscondis amorem .*

*At marita tuum tamen
Celites , nihilo minus
Pulchra res : neq. te Venus
Negligit . sed abit dies .
Perge , ne remorare .*

*Ille puluis Erythraei ,
Siderumq. micantium
Subduc at numerum prius ,
Qui uestri numerare uult
Multa millia lusuum .
Ludite , ut lubet , & breui*

Liberos

Liberos date. non decet
 Tam uetus sine liberis
 Nomen esse, sed indidem
 Semper ingenerari.

Torquatus, uolo, paruulus
 Matris e gremio suae
 Porrigens teneras manus,
 Dulce rideat ad patrem,
 Sed micante labello.

Sit suo similis patri
 Manlio, & facile inscijs
 Noscitetur ab omnibus,
 Et pudicitiam suae
 Matris indicet ore.

Talis illius a bona
 Matre laus genus adprobat,
 Qualis unica ab optima
 Matre Telemacho manet
 Fama Penelopaeo.

Claudite ostia, uirgines.
 Lusimus satis. at boni
 Coniuges bene uiuite, &
 Munere adsiduo ualentem
 Exercete iuuentam.

Collis o Heliconii Cultor, Vraniae genus] Re-
 ete, opinor, Hymenaeum inscribamus. eiusdem enim
 argumenti poema citat Tucidaci Priscianus in. v.

20 Tidas inquit in Hymenaeo, Felix lectule talibus

» sole amoribus. Sic legendi hi uersus, ut prior ille sit
 » integer, posterior non integer. sunt enim eiusdem o-
 » mnino generis, cuius hi Catulli. Genus ipsum car-
 » minis Glyconium, estq. dimetrum acatalecticum,
 » cum Pherecratio. exempla utriusq. ponit Hephae-
 » stion. agens de Antispastico, prioris Κατῶπος ἡνίχ' ὁ
 » μαινόλῃς. & reliqua posterioris, Ἀνδρες ὑπόχρε-
 » τὸν νοῦν. & quae sequuntur. Terentianus uero Cho-
 » riambicum primum siue Bacchiacum dici scribit.
 » est enim apud illum sic, Hoc metrum Choriambicū
 » est, quod pars Bacchiacum uocāt. Idemq. Terentia-
 » nus, cum Septimij uersus praeposuisse, Geritq. in-
 » tus in oppidum Anhelos Panopae greges. Et poetae
 » alterius, Opima adposui senex amoris arma fere-
 » trio. Et illos, Purpurae leguli senes Intus hic ubi con-
 » situm est, Primum pedem mobilem significās, ac ua-
 » rium in his, ut est etiam in Catulli uersibus, & in
 » exemplis apud Hephaest. addit, Utq. est mobilis hic
 » locus Immotus manet ultimus. Namq. hic semper
 » iambus est. At posterius illud carmen, quod Phere-
 » cration dicit Hephaestion, idem Terentianus cō-
 » ma dactyli siue Priapei carminis uidetur appellare,
 » exemplo id Horatiani uersus ostendens, Grato pyr-
 » rha sub antro & si primus pes cōstans spondaeus es-
 » se uideatur. Sed ad huiusmodi Catulli uersum nihil
 » apud illum propius, nihil eidem similis repperire
 » potui. Atq. idem spondaeus in exemplis apud He-
 » phaestionem constans est. Seruius illum Glyconium
 » semper uocat in Centimetro, hunc autem Pherecra-
 » tium.

,, tium. nam de Priapeio agens, Priapeium, inquit, cō
 ,, stat glyconio & pherecratio, ut, Hellepontiacum
 ,, tuum numen protegit hortos. Atilius Fortunatia-
 nus in Arte utrumq. uidetur uocare comma pria-
 pei carminis. fit enim ex utroq. priapeium. Atq.
 idem uarietatem illam, ac pedum mobilitatem in
 ,, utroq. commate significans ait, Non ignoro autem
 ,, uariari primas, et secundas syllabas utriusq. in pria-
 ,, peio commatis, ut modo. ab iambo incipiat, modo
 ,, a trochaeo, tamquam, Hunc lucum tibi dedico con-
 ,, secroq. Priape libens hoc tibi dedico, libens
 ,, sancte priape. & quae sequuntur. At priorem illum
 uocat idem Bacchium & Choriambum. Mallius ue-
 ro, opinor, is est, cuius Macrobius meminit in. II.
 Saturn. in Ciceronis ridiculis. - Vraniae

genus] id est filia. Sic enim poetae loquuntur, ut
 ,, Verg. Genus Orithiae. Interpres, opinor, Hesiodi
 Clivus filium facit. At Claudianus in Palladij Epi-
 ,, thalamio musa genitum tantum dicit. - innumeros
 ,, Hymenaeum quaerit amores, Hunc musa genitum
 ,, legit Cytherea, ducemq. Praefecit thalamis. Inter-
 pres uero Apollonij Erato Musam in primis, cete-
 ras deinde nuptiarum praesides significat, princi-
 pio commentationum in. III. Argonaut.

Hymen o Hymenae] carmen sollemne in nu-
 ptijs. ut illud Romanis, Thalassio, Thalassio. Ari-
 ,, stophan. in Auib. ὕμνην ᾧ ὕμεναίε ᾧ ὕμνην. Et Theo-
 ,, critus in Adoni. οὐκέτι ὕμᾶν, ὕμᾶν οὐκέτ' αἰδέομε-
 ,, νον μέλος ἄδεται. Et in Helenae nuptijs, ὕμᾶν ᾧ ὕμε-

- » *ναῖε γάμω ἐπὶ τῷδε χαρεῖνς.* Cinge tempo-
 ra floribus] Ouid. in Epist. Hypsipylae ad Iasonē.
 » Heu ubi pacta fides, ubi conubialia iura, Faxq. sub
 » arsuos dignior ire rogos. Non ego sum furtim tibi
 » cognita, pronuba Iuno Adfuit, & fertis tempora
 » uinctus Hymen. At mihi nec Iuno, nec Hymen, sed
 » tristis Erinnys Praetulit infastas sanguinolenta fa-
 » ces. Flammeum cape laetus] Nouae nu-
 » ptae flammeum indebatur. ita enim loquebantur.
 » Seuerus Sulpicius in. II. Sacrae historiae de Nero
 » ne ipso. Post etiam Pythagorae cuidam in modum
 » sollemnium coniugiorum nuberet, inditumq. im-
 » peratori flammeum, dos & genialis thorus, & fa-
 » ces nuptiales. cuncta deniq. quae uel in feminis non
 » sine uerecundia conspiciuntur spectata. Haec Sul-
 » picij uerba posui propter insignem rerum earum,
 » quae in nuptijs adhibebantur, enumerationem. Si-
 » milem Callistrati cuiusdam turpitudinem eadem
 » prope cū enumeratione exagitat Martial. in. XII.
 » Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro, Hac qua
 » lege uiro nubere uirgo solet. Praeluxere faces, uela-
 » runt flāmea uultus, Nec tua defuerunt uerba, Tha-
 » lasse, tibi. Dos etiam dicta est. nondum tibi Roma
 » uidetur Hoc satis, exspectas numquid, ut et pariat.
 » Eandem turpitudinem exagitans Suetonius in Ne-
 » rone Claudio, Cum dote, & flammeo per sollemni ce-
 » leberrimo nuptiarū officio, deductum ad se pro uxo
 » re habuit. Iuuenalis Sat. x. Flammeum paratum di-
 » xit. Dudum sedet illa parato Flammeolo. Nescio,
 » an,

an, cum, relicto priore, nubebāt aliq, flammeū prius
 scinderent. hoc enim significare uidetur Iuena-
 33 lis in. VI. Sat. Permut atq. domos, & flammea con-
 33 terit. Nisi iratam id dicat facere, uel crebra diuor-
 tia sic significet. Nuptias Aelius & Cincius dictas
 censuerunt, quia flammeo caput nubentis obuolue-
 batur, quod antiqui Obnubere uocarunt. Fest. Pōp.
 33 Idem affirmat in. III. Fast. Ouidius, Credit amans,
 33 thalamosq. parat, deducitur illuc, Anna tegens uul-
 33 tus ut noua nupta suos. Huc ueni niueo
 gerens Luteum pede foccum] Habitum Hyme-
 naei describit Ouid. in. x. Metam. in Orphei nu-
 33 ptijs, Inde per immensum croceo uelatus amictu Ae-
 33 thera digreditur, ciconumq. Hymenaeus adoras
 33 Tendit, & Orpheia nequiquam uoce uocatur. Ad-
 33 fuit ille quidem, sed nec sollemnia uerba, Nec laetos
 33 uultus, nec felix adtulit omen. Soccus autem luteus,
 quod eo pedes induebant noui mariti. Seneca in Hip-
 33 polyto, de Hercule. Crura distincto religauit auro
 33 Luteo plantas cohibente socco, Et manu clauam mo-
 33 do qua gerebat, Fila deduxit properante filo.
 33 Excitusq. hilari die.] Sic Terentius, Hilarem
 33 hunc sumamus diem. Nuptialia concin-
 nēs Voce carmina tinnula] Carmina nuptialia,
 33 quae Theocritus, in Europa, Γάμια μέλη dicit, Κόλ-
 33 χοισι ταναοῖς Γάμιον μέλος ἀηπυόντες. Et Euripides
 33 in Troadib. Δάκρυά τ' ἀνταλλάσσει τε τοῖς τῆς δὲ μέ-
 33 λεσι τρωάδες γαμηλίοις. Hoc ipsum significās Ouid.
 33 in. v. Metam. Atria complentur, nec coniugalia sa-

» *cra Qui canat, est clamor. Tinnula, tenui, idest,*
quae auris feriat. L. Pomponi adducuntur haec ab
 » *alijs, Iube modo adferatur unus, ego uocem reddam*
 » *tenuem, & tinnulam. Nisi id dicat, se uaria usurum*
uoce. Expressisse autem Catullus uidetur, quod Cal-
 » *limachus dixit in Hymno in Delum, Εὐχῆς ὑπε-*
 » *ραῖος. Pelle humum pedibus] Haec est*
ὑπεραῖος, quae adhiberi in nuptijs solebat. de qua in-
 » *terpres Apollonij principio libri. III. Argonaut.*
- manu Pineam quate taedam] Hae sunt illae fa-
 » *ces nuptiales, de quibus iam supra, & Vergil. Mo-*
 » *pse, nouas incide faces. Et Ouid. in nuptijs Orphei,*
 » *Fax quoq. quam tenuit, lacrimoso stridula fumo*
 » *Vsq. fuit, nullosq. inuenit motibus ignes. Cur autem*
Spineam magis, quam Pineam taedam legi oport-
 » *teat, non uideo, ut enim illam in nuptijs adhibitam*
fuisse concedam, eius tamen propria uis putabatur
 » *pellendi noxia. de quo & Varro, ut citat in. 1. Cari-*
 » *sus, In Asia fax (sic enim legendum) ex spinu al-*
 » *ba praefertur, quod purgationis causa adhibetur.*
 » *Et Ouid. in. VI. Fast. Sic fatus, spinam, qua tristes*
 » *pellere posset Aforibus noxas, haec erat alba, dedit.*
 » *Ac post, Virgaq. Ianalis de spina sumitur alba,*
 » *Qua lumen thalamis parua fenestra dabat. Post il-*
 » *lud neq. aues cunas uiolasse feruntur, Et redyt pue-*
 » *ro, qui fuit ante, color. Deinde uero libri manuscri-*
 » *pti, quoscumq. uidi, Pineam omnes habebant. quam*
in nuptijs adhiberi solitam ostendunt & Verg. in.
 » *VII. - flagrantem feruida pinū Sustinet, ac natae,*
 » *Turniq.*

Turniq. canit hymenaeos. Et Ouid. in. II. Fast.
 Dum tamen haec fient, uiduæ cessate puellæ, Ex-
 spectet puros pinea taeda dies. Locus est insignis
 apud Nonium Marcellum in verbo Fax. qui hoc ip-
 sum plane confirmat. Est autem is in impressis hoc
 modo. Fax, pro, Face. Var. Γέροντος διδασκάλου. Con-
 fluit mulierum tota Roma, quæ noctu fieri initia
 solita etiam nunc pinea fax indicat. Idem Sexa-
 gesi, Adest fax inuoluta incendio. Idem de
 uita Pop. Ro. lib. II. Cum a noua nupta ignis in fa-
 cie adferretur fūco eius sumptus fax ex pinu abla-
 ta esset, ut eam puer ingenuus adferret. In
 duobus manuscriptis sic. Fax, pro, Face. Varro
 in Geronto didascalo. Confluit mulierum tota Ro-
 ma, quæ noctu fieri initia solita etiam nunc pinea
 fax indicat. Idem Sexagesi, Adest fax inuoluta
 incendio. Idem de uita patrum. lib. II. Cum a no-
 ua nupta ignis in facie adferretur fūco eius su-
 mptus cum fax ex pinu alba esset, ut eam puer inge-
 nuus adferret. Est itaq. omnibus in libris Pinea
 fax. &, Ex pinu. Postrema Varronis uerba resti-
 tuere conabar, Cum a noua nupta ignis in face fer-
 retur fūco eius sumptus, cum fax ex pinu alba es-
 set, ut eā puer ingenuus ferret. Deinde Initia, mu-
 tandum, in, Initio. Quod uero scribit Plin. lib.
 XVI. cap. XIX. de Spina nuptiarum facibus, idem
 ait, auspiciatissima, id uero aut olim fuerat, aut ea
 etiam, ut opinor, pineis facibus intexebatur. Fax
 autem ominis causa praeferebatur, ut significare

Pro-

- » Propertius uidetur in. IIII. Quae mihi deductae
 » fax omen praetulit, illa Traxit ab euerso lumine
 » nigra rogo. Nisi sic intelligas, Facem, quae quod
 noctu nuptiae fierent, praeferebatur, mihi, inquit
 Propert. Omen triste praetulit ipsa raptā de rogo.
 Plutarchus tamen causam adfert aliam, cur Fax
 praeferreretur. cuius uerba alio loco ponemus.
 Namq. Iulia Mallio] In omnibus fere manuscri-
 ptis, non Iulia, sed Iunia. Qualis Idalium
 colens] Hoc genere similitudinis eximia Iuniae
 pulchritudinem significat. Saepe sic alij poetae.
 - bona cum bona Nubit alite uirgo] Bona uir
 go: bella. in manuscriptis, Nubet. Cum bona ali-
 te: praepositionem adposuit, more Graecorum.
- » Hesiod. σὺν οἴωνοις ἀγαθοῖσιν. Et Sophocles, opi-
 nor in Trachin. Bonam autem in nuptijs alitem
 dixit, quod aues quaedam in his infauitae maleq.
 ominatae sint, quas Graeci propterea τοῖς γαμοῦ
 σι δυσσοιώνισα ὀρνέα uocant. quod interpretes Lycophronis in illa, Οὐ μή ποτ' οὐ Ζεῦ σῶτερ ἐς πάραν
 » ἐμὴν σείλαις ἀρωγούς τῆ διαρπάγῳ κρεκί, sic tradit.
 » Κρέξ ὀρνέον θαλάσσιον, ἴβιδι εἰσικός. ἐσὶ δ' ἡ ἴβις περὶ
 » τὴν αἴγυπτον, ῥυπαροφάγον. Καλλίμαχος δ' ἐν τοῖς
 » περὶ ὀρνέων φησὶ, τοῖς γαμοῦσι δυσσοιώνισον εἶναι,
 » καὶ Ευφορίων ἐν Απολλοδώρῳ ποικίλον, οὐδὲ μέλαδρον,
 » ὀρχίλος ἔπη. Κύζικος, ὃν δ' ἤπεισε κακὸν γάμον ἀχ-
 » θόμενος Κρέξ. Κρεκί τὴν ἐλένην παρεικάζει διὰ τὸ δύσ-
 » γαμον καὶ κακόνυμφον γενέσθαι. Eandem auem in-
 » tellegens, opinor, Propert. in. IIII. dixit, Docta

» uel

uel Hippolytum Veneri mollire negantem, Concor-
 diq. toro pessima semper auis. Quamquam qui-
 busdam in libris esse dicant, Anus, non Avis. Ho-
 rat.in.1. Carm. Mala ducis aui domum, Quam
 multo repetet Graecia milite Coniurata tuas rum-
 pere nuptias. Callimachus εἰς λῶντρα τῆς παλλάδος
 bonas, ac malas alites significans dixit, Γνωσεῖ-
 ται δ' ὄρνιθας ὅς ἄσιος οἶτε πέτονται ἠλιθα. καὶ ποίων
 οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες. Itaq. Ἀγαθὰς πτέρυγας Bo-
 nam alitem apte interpretemur, uel quo modo Ver-
 gil.in.111. Aeneid. proxime ad haec accedens Cal-
 limachi, Et uolucrum linguas, & praepetis omi-
 na pinnae. alterum enim lex carminis repudiat.
 ac nescio, an aliquid de Thalassio sit intelligendū.
 Floridis uelut enitens Myrtus Asia ramulis
 Cum Myrto comparat, itaq. θαλαραὴν illam signi-
 ficat, quod succo, & uiriditate praestet, eoq. Vene-
 ri sacra sit. Caussas adfert opinor Plut.in Problem.
 Atq. ea quoq. in coniugijs adhibita, coniugalis
 dicta. Plin.in. xv. cap. xxix. Asiam Myrtum,
 uel quamcumq. intelligamus praestantem, cuius-
 modi erant Asiae, uel proprie natam illis in locis,
 in quibus multa fuisse prata, uersus, quib. Arateos
 expressit, Prisciani ostendunt illi, Nam florent
 Asiae per campos plurima prata, Sed magis ad
 fluuium Maeandri gurgite miti. Stephanus περὶ
 πόλεων, Asium pratum quod esset, demonstrans,
 Homeri uerba simul interpretatur illa, Ἀσίῳ ἐν λει-
 μῶνι. ita uero scribit, Ἐστὶ γὰρ ἄσιος λειμῶν Ὀμηρος,
 Ἀσίῳ

- » Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι , ἀντὶ τοῦ Ἀσίου . γενικὴ γὰρ ἔστι ,
 » οὐκ ἀσιανῶ . ἀγνοεῖ γὰρ Ὀμηρος τὴν ἀσίαν , ὡς καὶ
 » τὴν Ἐρώπην . ἢ μᾶλλον ἀσίας . καὶ ἰωνικῶς , ἀσίεω ,
 » καὶ ἀσίῳ , ὡς Εὐμελέω . *Intelligi etiam pos-*
sit Myrtus Asia , Italica in Apulia nata .
Vibius enim Sequester de montibus , & gentibus ,
 » *Apuli , inquit , Italici partis Asiae . primam in*
Asia produxit , ut & Hom. & Nicander in Ἀλε-
 » *ξιφαρμάκοις . Εἰ καὶ μὴ σύγκληρα κατ' ἀσίδα τεί-*
 » *χεα δῆμοι . Nutriunt humore] sic est etiā in ma-*
nuscriptis nonnullis : in alijs etiam , Nutriunt
in honore . ut & Aldus iampridem impresserat .
Sed illud omnino rectius . more enim suo Catullus
spondaeum pro dactylo posuit , ut in Hendecasylla-
 » *bo , Oramus , si forte non molestum est . Alijsq. in*
 » *locis . Sic etiam Seneca in Oedipo , in Choricis uer-*
 » *sibus , Vela nec pressae graui . Sunt , qui reiciant ,*
quod in hoc genere carminis pedem insolentem di-
cunt , & dure dictum , Roscidum humorem .
Lympha quos simul inrigat] In manuscriptis
omnibus , Nympha . quod probari etiam potest .
Ac domum dominum uoca] In manuscriptis
omnib. Ad domum . itaq. opinor , antiqui loque-
bantur . Dominam uero quod dicit , nuptiale id uer-
bum fuit . Etenim , ut Festus tradit , in Romuli
tabula scriptum erat : Mulier uiro legitime con-
iuncta fortunaeq. & sacrorum socia esto , ut il-
le dominus , haec domina uocaretur . Plutarchus
 » *in κεφαλαίων καταγραφῇ ῥωμαϊκῶν nouum mari-*
 » *tum*

22 *tum* κύριον καὶ οἰκοδεσπότην, *nouam nuptam* κυ-
 23 ρίαν καὶ οἰκοδέσποιναν. *Verba illius sunt* Διὰ τί τὴν
 24 νύμφην εἰσάγοντες λέγειν κελδύουσιν, ὅπου σὺ γάϊος
 25 ἐγὼ γάϊα. πότερον, ὥσπερ ἐπὶ ῥητοῖς εὐθύς εἰσι τῶ
 26 κοινωνεῖν τῶν ἀπάντων, καὶ σωάρχειν, καὶ τὸ μὲν
 27 δηλούμενόν ἐστιν. ὅπου σὺ κύριος καὶ οἰκοδεσπό-
 28 τής, καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα. *Si re-*
tinere priorem lectionem quis malit, legat hoc
potius modo, Ac domus dominam uoca.

Vt tenax hederā hac, & hac] Ita artificissimum
complexum significant poetae. de quo multa di-
ximus in Commentationib. in Horatium. Sed
erat in manuscriptis omnibus, Huc, & huc.

22 *Vos item simul integrae] Castae. ante, Puellae,*
 23 *& pueri integri. In manuscriptis erat, Vosq. item.*
Chorus aliquis in Epithalamijs adhibebatur fausta
omnia utriq. coniugi adprecantium. Quo ex genere
sunt illa Sapphus apud Athenaeū, ac Macrobiū:

22 Κοινῇ δ' ἄρα πάντες καρχίσι' ἔχον καὶ ἔλειβον. ἀρά-
 23 σαντο δὲ πᾶμπαν Ἐσλά τῶ λαμβρῶ. *Et illa eiusdem*
 24 *apud Heraestionem, Ολβιε γαμβρὲ σοὶ μὲν δὴ γάμος*
 25 *ὡς ἄραο Ἐκτετέλες' ἔχεις δὲ παρθένον ἂν ἄραο.*

- agite, in modum Dicite] *In numerū, ut Verg.*
 22 *in. v III. Aen. Illi inter sese multa vi bracchia tol-*
lunt In numerum. Hymen o Hymenae]
ἐπιφώνημα nuptiale. Diuus Hieronymus, si modo
eius liber est, γνήσιος in Commentario in Cantica
Canticorum Iuuenes ac puellas in nuptijs adhiberi
solitas significat: idq. Drama uocat.

Se citarier ad suum Munus] *Vocari ἐπιφωνίζι-
 κῶς. Horat. Ab Ovo usq. ad mala citaret Io Bac-
 che. Aemilius Probus, historicus, Magnis, inquit
 in laudib. tota fuit Graecia, uictorem Olympiae ci-
 tari. Dux bonae Veneris] Bonam Veni-
 rem, & bonum amorem dicit coniugalem: et, ut po-
 dicit, Fama quem bona comprobat. - bo-
 ni Coniugator amoris] Γαμήλιε. Quis deus
 magis optimus Est petendus amantibus] In
 manuscriptis omnib. Quis deus magis amatis.
 itaq. adulterinum omnino est, Optimis. Ego, quo
 stet uersus, legendum puto, Quis deus magis a ma-
 cris. Et quod sequitur, Expetendus amantibus. A-
 mantes & pallidos, & macie confectos uidemus.
 Verg. in Palaemone, Heu, heu, quam pingui macer
 est mihi taurus in aruo. Idem amor exitium est pe-
 cori, pecorisq. magistro. Et Ouid. in. I. Amorū, Lon-
 gus amor tales corpus tenuauit in usus, Aptaq. sub
 ducto corpore membra dedit. Et in. XI. Metam.
 Fecit amor maciem. Te suis tremulus pa-
 rens] In manuscriptis, pro Tremulus, Romulus,
 aut Remulus. hoc potius, si modo ferendum est.
 Zonula soluunt sinus] Verbi quoq. syllabas ipsius
 mire soluit. Te timens cupida nouos Ca-
 ptat aure maritos] Ita est omnib. in manuscriptis.
 Ea forte sententia, atq. ordine, Nouus maritus, ti-
 mens, ne uoto excidat, te cupida aure captat. Nouos
 autem pro Nouus legi nuper in uetustissimo libro Va-
 ticanae bibliothecae in oratione Philippi ex historijs
 Sallu-*

22 Sallusti, quae non extant. Adest nouos exerci-
 23 tus. uel si Timens, in Tenens, quod facile est, mutes,
 24 ea sit sententia, quae te tenet, marito suo non conten-
 25 ta, nouos maritos cupida captat. Nouus maritus
 26 sic dicitur, ut & Noua nupta. Idem alibi, Inuisen-
 27 te nouo proelia torua uiro. Et Plaut. in Casina, Lu-
 28 bet Chalinum, quid agat scire nouam nuptam cum
 29 nouo marito. Et Festus Pompeius, Noces flagitan-
 30 tur nuptijs, & iaciuntur pueris, ut nouae nuptae
 31 intranti domum noui mariti secundum fiat auspi-
 32 cium. Et in uerbo Repotia, Repotia postridie nu-
 33 ptias apud nouum maritum cenatur, quia quasi re-
 34 ficitur potatio. Verbo Captare Terent. in Phorm.
 35 sic est usus, Ad fores suspenso gradu placide ire per-
 36 rexi. accessi. asstiti. Animam compressi. aurem ad-
 37 moui. ita animum coepi attendere, Hoc modo sermo
 38 nem captans.

Tu fero iuueni in ma-
 nus] An quia mulier in manum uiri conuenit. an
 potius quod uirginem det. optanti iuueni fruendam.

Matris e gremio suae] Eundem uersum postea
 repetit. Hoc uero e ueteri consuetudine posuit, quam
 22 tradit his uerbis Fest. Pomp. Rapi simulatur uirgo
 23 ex gremio matris; aut, si ea non est, ex proxima ne-
 24 cessitudine, cum ad uirum trahitur. quod uidelicet
 25 ea res feliciter Romulo cessit.

Dedis] Idem
 26 alibi. Dedatur cupido iam dudum nupta marito.

Fama quod bona comprobet] Sic etiam Ouid.
 27 in. II. Fast. de Venere. Cum primum cupido Ve-
 28 nus est deducta marito, Hoc bibit, ex illo tempore

» nupta fuit. Illam supplicib. uerbis placate, sub illa
 » Et forma, & mores, & bona fama manet.

Nulla quit sine te domus Liberos dare] Lu-

» cret. Per te quoniam genus omne animantium Con-

» cipitur, uisitq. exortum lumina Solis. Et Theocri-

» tus, dignam deā, quae colatur in Amphiclis domo,

» cui liberos dederit, ἢ κύπρις οὐ πάνδημος. ἰλάσκειο

» τὴν θεὸν εἰπὼν οὐρανεῖν. ἀγνᾶς ἄν θεμὰ χυσογυῶας

» οἴκῳ ἐν Ἀμφικλέους, ᾧ καὶ τέκνα καὶ βίον εἶχε Ζωῶν.

» Liberos dare: Idem post, Liberos date, procreate.

» Verg. Geminā partu dabit Ilia prolem. Et Claud.

» in nuptijs Honori & Mariae, Te Laeda mallet,

» quam dare Castorem. - nec parens Stirpe

» nitier] Sophocles in Oedipo in Colono, idē, opinor,

» significans, Οὐδ' ἐν τᾷ μεγάλῳ δωρίδ' ἰνάσῳ πέλοπος

» πώποτε βλασὸν φύτλ' ἀχειρώτον αὐτόποιον. Stir-

» pe. n. ualeat quod βλασὸν φύτλ'μα dicit, siue ἔρνος.

» Idem Sophocles in eadē fabula, ᾧ φίλτατ' ἔρνη. quae

» uerba sunt Oedipi ad filias. Ex eodem prope gene-

» re est, quod Arist. posuit in. VII. ἢ θικῶν Νικομα-

» χείων, quod prouerbio dici soleret, διόφατι ταῦτον αἰ-

» μα, καὶ ῥίζαν, καὶ τὰ τοιαῦτα. Quod uero Niti dixit,

» eodem prope modo Lucret. in. IIII. Et quibus ante

» domi secundae saepe nequissent Vxores parere, in-

» uenta est illis quoq. compar Natura, ut possent gna-

» tis munire senectam. Et Prop. in. IIII. Et serie fulci

» te genus. Eusebius in primo libro de Constantini

» Imp. uita, ubi de Alexandro Macedonum rege,

» Ἀτεκνον, ἀρριζον, ἀνέσιον. Et, cū gentis totius exitium

signifi-

significant, isdem uerbis utuntur auctores utriusq.

linguae. Sophocles in *Electra*, Φεῦ φεῦ τὸ πᾶν δὴ δε
 ὡς ἔοικεν, ἐφθάρται γέ
 vos. Verg. in. XI. *Aen.* Et Euandri totam cum stir-
 pe uidebit Procubuisse domum. Finibus]

Absolute posuit, ut post, Oris, Quam maxima in o-
 ris. Ouid. in. II. *Elegiarum*, in amicam, quod aborti-
 uum fecerat, eandem paene in sententiā, Quis Priā-
 mi fregisset opes, si numen aquarum Iusta recusasset
 pondera ferre Thetys, Ilia si tumido geminos in uē-
 tre necasset, Casurus dominae conditor urbis erat.

Si Venus Aeneam grauida temerasset in aluo, Cae-
 sarib. tellus orba futura fuit. Claustra pan-

dite ianuae] Ex hoc genere est, et huic proximum,
 Sapphus illud apud Hephaestionem, περὶ σείχου, κώ-
 λου, κόμματος. Ὑψοὶ τὸ μέλαθρον ὑμῖναιον ἀείρατε
 τέκτονες ἄνδρες ὑμῖναιον γαμβρὸς ἔρχεται.

-uiden', ut faces Splendidas quatiunt co-
 mas] Nouae enim nuptae fax praelucebat, quae ra-
 pi dicebatur. Fest. Pompeius, Rapi solet fax, qua
 praelucente noua nupta deducta est ab utriusq. ami-
 cis, ne aut uxor eam sub lecto uiri ea nocte ponat,
 aut uir in sepulchro comburendā curet, quo utroq.
 mors propinqua alterutrius captari putabatur.

Plaut. in *Casina*. Primum omnium huic lucebis no-
 uae nuptae facem. Stat. in. II. *Thebaid.* idē signi-
 ficans dixit, Praemissaeq. faces festum nubentib.
 ignem Obruit. Quambrem M. Tullius in oratio-
 ne pro Cluentio Faces nuptiales has uocat.

M 2 -uiden',

– uiden^r, ut faces Splendidas quatiunt comas:

Sic Sol auricomus a Poetis dicitur. Et cometa πω-

33 γονίτης. Aeschyl. in Agamemnone, Πέμπεισι δ' αν-

33 δαίοντες ἀφ' ὄνω μένει φλογὸς μέγαν πώγωνα. Qua-

tiunt autem dixit, ut & Caluus in Epithalamio.

33 Hesperium ante iubar quatiens. Et Graece Theo-

33 dectes, Ελίσειν. Ω καλλιφεγγή λαμπάδ' ειλίσεων φλο-

33 γὸς. ἥλιε ποθεινὸν πᾶσιν ἀνδρώποις σέλας.

Prodeas, noua nupta] Ω νέα νύμφη. Fest. Pomp.

33 Nuptias dictas esse ait Santra ab eo, quod Nym-

33 pheā dixerunt Graeci antiqui γάμον. Inde nouam

33 nuptam νέαν νύμφην. Hoc autem aliud ἐπιφώνημα

nuptiale. Tardat ingenuus pudor] In ma-

nuscriptis omnibus, Tardet. illud rectius. Ingenu-

us pudor, ἀγαθὴ αἰδὼ. In scriptis grammatici uete-

33 ris, quae apud me sunt, ἀγαθὴ δ' ἐπὶ ἡθεσιν αἰδὼ.

33 ὁ τοῦ Θεοκρίτου διδάσκαλος φιλητᾶς εἶρηκε. Claudia

33 nus in Nuptijs Honori Et Mariae, Iam nuptae tre-

33 pidat, sollicitus pudor, Iam produnt lacrimas flā-

33 mea simplices. Vitruuius in Prooemio lib. VI. In-

33 genuū colorem dicit. Mihi autem, inquit, a praece-

33 ptoribus est traditum, rogatum, non rogantem, o-

33 portere suscipere curam, quod ingenuus color moue-

33 tur pudore, petendo rem suspiciosam.

Quem tamen magis audiens] Sic erat omnib.

in manuscriptis. Erit ergo sensus, Cui parens pudori.

Audire enim id nonnumquam significat. Verg.

33 Instat equis auriga, nec audit currus habenas.

Flet, quod ire necesse sit] Quo pudore impedita,

flet.

flet. Est autem isdem in libris, Quod ire necesse est.
quod est multo rectius. Saepe namq. non elidit.

- non tibi Arculeia periculum est] In manu-
scriptis omnib. Arunculeia, & Aurunculeia. le-
gendum forte. Aruncleia, ab Aruncis. itaq. uetu-
statem generis et claritatem significat. Possit etiam
legi Hirculeia, uel Herculeia, quomodo Aldus olim
impressit. Sallustius. II. historiarum, ut est apud
Nonium Marcellum in uerbo Sagum, Hirculei cu-
iusdam meminit. Occurrere, inquit duci, & proe-
lium accendere adeo ut Metello in sagum, Hircule
io in brachium tela uenirent. Non tibi periculum
est, ita prope dixit, ut Cic. Caue putes. itaq. Graeci
Κωδωδ'εν prope eodem modo dicunt.

Ne qua femina pulcrior Clarum ab Oceano
diem Viderit uenientem] Quod de die forma cu-
iusq. spectari in primis debeat. Talis in

uario solet] Hyacintho nunc, quam prius myrto,
comparat. - & audias Nostra uerba] Na-

stros cantus. Manilius in. IIII. Astronom. Et gra-
cilis calamos, & neruis insita uerba.

Nostra uerba, uiden'. faces] In manuscriptis o-
mnib. Viden ut faces. Stare autem sic uersus nequit.
legendum puto, Vide, ut faces. Aureas qua-

tiunt comas] χύσειον φάος. Bion in Bucolicis, Ε αρε
pe τὰς ἐρατὰς χύσειον φάος ἀφορρευείας.

Non tuus leuis in mala Deditus uir adulte-
ra] Vetuste dixit. Ex eodem genere est illud eiusdem
post, Sed quae se impure dedit adulterio. Mala: non

- » *casta. ut Bonas Castas uocant.* Probra tur
 pia persequens] *In manuscriptis omnib. Proca-*
 tur pia persequens . *rectius illud, si modo ueterem*
 librum Guarinus est secutus. Statius in Dauo Pro
 » brum sic uidetur accepisse, *Ea compressa parit huic*
 » puerum, sibi probrum . *Vt & Plautus in Aul. - quo*
 » pacto celem herilis filiae Probrum, propinqua par-
 » titudo quo adpetit. *Erat quodam in libro Precatur*
 pia persequens. *Legi fortasse possit, Peccat, aut pia*
 persequens. *qui enim pietati student, rebusq. diuinis*
se se totos dedunt, Venere abstinebant . Claudianus
& Catullum, & Horatium imitatus hoc ipso in ge-
nera in Epithalamio in nuptijs Honori, & Mariae,
 » *Tam iunctis manibus nectite uincula, Quam fron-*
 » *dens hedera stringitur aesculus, Quam lento pre-*
 » *mitur palmite populus .* O cubile, quot
 omine Candido pede lectuli] *Reliqui tres uer-*
 sus non in Guarini modo libro desiderantur, sed in
 omnibus ys quos uiderim. itaq. qui eorum loco legun-
 tur, alieni sunt, & coniectura positi. illi uero duo su-
 periores in Guarini libro leguntur, O cubile, quod
 homine Candido pede lectulis . in ys, quibus haec
 scribens, utebar, O cubile quod omnibus Candido
 pede lecti. *Difficilis uero coniectura, propter ea,*
 quod reliqui uersus desunt. *Hesiodus Θαλαμια δὲ*
πα δicit ligna faciendis apta lectulis .
 Quae tuo ueniunt hero, Quanta gaudia]
 » *Quae. & quanta, iungit eodem modo Flaccus, O*
 » *qui complexus, & gaudia quanta fuerunt . Gaudia*
 uero,

uero, in re Venerea, quae dicantur, doceo in meis in
Tibullum Commentationibus id est, ἢ συνουσία.

- quae uaga Nocte, quae media die, Gaudeas]

In manuscriptis omnibus, Gaudeat. ut ad herum
referatur. is enim illum amoris fructum percipit.

Gaudere gaudium, videre risum, seruire seruitutē,
& multa hoc modo, ueteres dicebant. Noctem autē

uagam dixit, ut & Sol uagus dicitur, ut in illo, Au

rora ex oriente uagi Sub lumina solis. Nam & cur

rum nox habere fingebatur. Tibul. in. 11. Ludite

iam nox iungit equos. Et uolare, Ennius apud Fest.

Pomp. in uerbo, Quando, Nox quando medijs

signis praecineta uolabat. Ennii quoq. esse existi-

mo illa apud Varronem in. 1111. de Ling. Lat. Itaq.

dicit Andromacha. Noctiq. caua caeli signiteneq.

tibus conficis bigis. Quae uerba sic distinguebam,

emendabamq. Itaq. dicit Andromache nocti, Quae

caua caeli signiteneantibus conficis bigis. ut poste-

rior uersus longus sit, eaq. sint Andromaches ad

Noctem uerba. Auctor extremi carminis in Grae-

cis epigrammatis, siue is est Mercurius, siue Or-

pheus, Noctem citam dixit, Ἦνς ἐνοσὶς γίνοιτο δο-

λὴν διὰ νύκτα. Quae media die] cum me

ridiabitur. Inde ante ad Iphitillam. Iube ad te ue-

niam meridiatum. Cubabant meridianes. Ouid.

in. 1. Amorum. Festus erat, mediamq. dies exege-

rat horam, Apposui medio membra leuāda thoro.

Ac post, ipsa hac de uoluptate. Cetera quis nescit,

lassi requieuiamus ambo, Proueniant medijs sic mi-

hi saepe dies. Tollite, o pueri, faces] Et tamen Apollonij interpretres sponsi, ac sponsae parentes ipsas in nuptijs olim faces tenere solitas scribit, in. IIII. uerba interpretans illa, Αὐτὴ δὲ σέλας, ait,

Οτι τὸ παλαιὸν τὰς μητέρας τῶν γαμουῶτων ἐν τοῖς γάμοις δαδὲχειν ἔθος ἦν, καὶ Ευριπίδης ἐν Φοινίσσας φησίν. Ergo uel ea Graecorum consuetudo fuit. uel olim

factum, postea desitum fieri. uel tum matres, tum pueri etiam faces ferebant. Romae tamen nec apud Octauianum Zenum, nec apud Capranicensem Episcopum, apud quos uidere est sculpta, atq. incisa ueterum nuptiarum simulachra, ullae matres cum facibus. Flammeum uideor uidere] In manu

scriptis omnib. Flammeum uideo uenire. quod est ipsum rectius. Ite, concinite in modum] αὐ-

σῶδετον. quale apud Verg. I, sequere Italiam uentis.

O Hymen hymenae Hymen o Hymenae] In manuscriptis semper sic hi uersus leguntur. Io Hymen hymenae io. Io hymen hymenae io. Legendum puto, Hymen o hymenae io Hymen o hymenae. Plautus in Casina sic quoq.

cantantem Hymenaeum facit. Age tibicen, dum il- lam educunt huc nouam nuptam foras, Suaui cantu celebra omnem hanc plateolam hymenaeo Io Hymen hymenae hymen. Et item post, Io Hymen hymenae hymen, Ibidem Plautus, & Occentare hymenaeum, & Cantare hymenaeum dixit.

Quod uero tibicinem adhibitum in nuptijs Plautus significat, idem etiam Claudianus ostendit in Ho-

nori,

» nori, & Mariae nuptiis, Ducant peruigiles carmi-
 » na tibiae. — procax Fescennina locutio]
 » Procax, dicax. Seneca in Medea, Festa dicax fun-
 » dat cōiucia Fescēninus. Idē, opinor, intelligens Clau-
 » dianus in Epithalamio in nuptiis Honori & Ma-
 » riae. Ducāt peruigiles carmina tibiae, Permissisq.
 » iocis turba licentior Exultet tetricis libera legibus.
 » hanc enim locutionem iocos etiam uocat Ouid. in.
 » III. Fast. de origine agens ipsa Fescenninorum uer-
 » suum. Apud quem uersus sunt. Nunc mihi cur can-
 » tent superest obscena puellae Dicere. nam coeunt,
 » certa q. probra canunt. Deinde post, Inde ioci uete-
 » res, obscena q. uerba canuntur. Legendus Seruius
 » apud Verg. ubi de Fescenninis arcibus. Et Macro-
 » bius de Fescenninis Augusti. Et Sidonius Apolli-
 » naris in epistula ad Heronium, in qua tota fere pom-
 » pa nuptialis explicatur. Quae eius uerba, quod mul-
 » tis locis Catulli sensum, ac uerba inlustrant, facere
 » non potui, quin adscriberem. Interueni enim nuptiis
 » Patricij Kicimeris, cui filiam Perhennius Augusti
 » in spem publicae seueritatis copulabat. Igitur tunc
 » in ista non modo personarum, sed etiam ordinum,
 » patrumq. laetitia transalpino tuo lateri conducibi-
 » lius uisum. quippe cū hoc ipso tempore, quo haec mi-
 » hi exarabantur, uix per omnia theatra, macella,
 » praetoria, fora, templa, gymnasia, thalassio Fescen-
 » ninus explicaretur. atq. etiamnum e contrario stu-
 » dia sileant, negotia quiescant, iudicia conticescant,
 » differantur legationes, uacet ambitus, & inter scur-
 » » rilitates

„ rilitates histrionum totus actionum seriarum sta-
 „ tus peregrinetur. iam quidem uirgo tradita est, iam
 „ corona sponsus, iam palmata consularis, iam cycla-
 „ de pronuba, iam toga Senator honoratur. iam poe-
 „ nulam deponit inglorius. & nondum tamen cuncta
 „ thalamorum pompa defremuit, quia nec dū ad ma-
 „ riti domum noua nupta migravit. Quod Traditū
 „ iam uirginem dixit, ita uero & Catullus post alte-
 „ ro in Epithalamio, Non aequū pugnare, pater cui
 „ tradidit ipse. Quod poenulam deposuisse inglorium.
 Propterea credo Praetextatum postea Catullus uo-
 cat. Quod ad mariti domum nondum migrasse di-
 cit, & ad id, quod ante posuit de domo domini, intel-
 ligendum facit, & ad id etiam, quod post sequitur,
 „ Transfer omine cum bono, Limen aureolos pedes,
 „ Rasilemque subi forem. Neu nuces pueris
 neget Desertum domini audiens Concubi-
 nus amorem] In manuscriptis nonnullis, Ne nu-
 ces pueris neget. In uno, Nec nuces. quod est ipsum
 maxime probandum. Qui sequitur uersus, uarie legi-
 tur in manuscriptis. Primum sic, Desertum deum
 audiens. deinde etiam sic, Desertum dominum au-
 diens. sed, siue, quo, impressi sunt, modo legantur, siue
 quo sunt in manuscriptis, nulla prorsus sententia
 probabilis elici potest. Ego, leuiter mutans, emenda-
 bam, Nec nuces pueris neget Defectam dominam
 audiens Concubinus amore. Nam inuita, ut supra
 significauit, ad nouum uirum noua nupta traheba-
 tur. Noli, inquit, quod eam audias parum in te pro-
 penso

penso esse animo, pueris ludentib. nuces negare.

Da nuces pueris, iners Concubine] Haec uera est iam Fescennina locutio. Nuces autem iaciebantur pueris, ut nouae nuptae intranti domū noui mariti secundum fieret auspiciū. Fest. Pomp. Plin. in.

xv. cap. xxii. Nuces iuglandes quamquam & ipsae nuptialium Fescenninorum comites. Ex quo intelligimus & cantare simul Fescenninos solitas puellas, et spargi nuces. aut statim post earum cartum id fieri solitum. Sordebant tibi uillicae] Fastidiose formosas ipsas Villicas appellabat. adeo ab omnium amore erat auersus. More uero Sabino conuicia nouo marito fiebant. Lucan. in. ii.

de Catonis, & Marciae Nuptijs, Non soliti lusere sales, neq. more Sabino Exceptit tristis conuicia festa maritus. Nunc tuum cinerarius

Tondet os] Cinerarius idem, credo, qui Ciniflo. Cato in Originibus, quo id fieret modo, ostendens.

Mulieres, inquit, nostrae capillum cinere unguiebant, ut rutilus esset crinis. Carisius in. i. & Varro in. iiii. de lingua Lat. Ornatus, quasi ab Ore natus. hic. n. maxime sumitur, quod eam deceat. itaq. ob id paratur speculum. Calamistri, quod heis calefacteis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat, a Cinere Cinerarius est appellatus. Carisius in. ii. Afranium aduocat in Cinerario. Idem uerbum legitur in ueteri monumento in D. Paulli aede, ad primum ab urbe lapidem, uia Ostiensi.

T. CLAVDIVS
 ZOSIMVS . FECIT
 LICINIAE . PRISCAE . MAMM
 CLAVDIAE ROSHODOSOR
 MASSA CVM CINERARIO
 ET . TI . CLAVDIO . VERECVN
 DO . PATRONO . ET . SIBI
 ET . SVIS . POSTERISQ . EORVM
 LONG . PED . VI . LAT . PED . VI

Tondet os: *Malas. Martial. in. VIII. Par maxil*
 „ *larum tonsa est tibi, pars tibi restat. Atq. idem ali*
 „ *bi. Tondebit pueros iam noua nupta tuos. Est*
autem sensus, Quas tu nuper fastidiebas atq.
auerfabare, is nunc os tondes, is te nunc ipsum
ornas. uel id dicit, quod ad eam diem barbam ale-
re liceret, iam marito non liceret.
 Diceris male te a tuis Unguentate glabris
 marite Abstinere] *In manuscriptis, Diceres, pra-*
 „ *ue omnino. Unguentatum dicit, mollem, atq. un-*
 „ *guentis delibutum. Et quod dixit Homerus, τὴν*
 „ *κεφαλὴν διάβροχον. Seneca hircosis unguentatos*
 „ *opponit. cuius apud Gellium in. XII. cap. II. uer-*
 „ *ba sunt, Quidam sunt, inquit, tam magni sen-*
 „ *sus. Q. Enny, ut licet scripti sint inter hircosos,*
 „ *possint tamen inter unguentatos placere. Eo au-*
 „ *tem uerbo cum ceteris. P. Africanus apud eun-*
 „ *dem Gell. in. VII. cap. XII. mollissimum homi-*
 „ *nem significat, Nam, qui, inquit, cottidie unguen-*
 „ *tatus*

,, tatus aduersum speculum ornetur, cuius supercilia
 ,, raduntur, qui barba uulsa, feminibusq. subuulsis
 ,, ambulet, qui in conuiujs adulescentulus cum ama-
 ,, tore, cum chirodota tunica inferior ad cubuerit, qui
 ,, non modo uinosus, sed uirosus quoq. sit, eum ne quis
 ,, quam dubitet, quin idem fecerit, quod cinaedi fa-
 ,, cere solent.

Glabris : uel ad aeta-
 tem referendum, uel quod se nuce, uol sellisq. depi-
 larent. cuius infamiam dedecoris subiit Augu-
 stus. Scimus, haec tibi, quae licent, Sola
 cognita] sic omnino erat omnib. in libris. Sed fri-
 gere sententia mihi uidebatur. ac legebam, Sci-
 mus, haec tibi quae licent Soli, cognita sed mari-
 to, & quae sequuntur. Haec inquit soli, nec dum
 coniungi licebant : nunc minime solus cum sis, alia
 uita alios mores postulat. Ne petitum aliun-

,, de eat] sic post, Et quaerendum aliunde foret ner-
 ,, uosius illud, Quod zonam posset soluere uirgi-
 ,, neam. En, tibi domus ut potens] Ita est

in manuscriptis, quibus utebar, non Et potens.
 Ad domum autem mariti noua nupta transibat,
 ut iam diximus. Plato in Protagora potentem ac
 ,, beatam domum sic dixit, Ἰπποκράτης ὁ δ' ἐστὶ μὲν
 ,, τῶν ἐπιχωρίων Ἀπολλοδώρου υἱὸς, οἰκίας μεγάλῃστε
 ,, καὶ εὐδαίμονος. In nuptijs quidem & quaerendo ma-
 rito, eiusmodi cōdicio in primis quaerebatur. Plau.
 ,, Ego te reduco, & reuoco ad diuitias, ubi Tu iam lo-
 ,, cere in luculentam familiam, unde tibi talenta ma-
 ,, gna uiginti pater Det dotis. Ac post. Nempe

,, istis

» istic est, qui Alcisimarcho filiam suam despondit in
 » diuitias maximas. Quae tibi sine fine erit] In
 Achillis Maffei libro est, Quae tibi, sine, seruit.
 Itaq. probabilis Pontani coniectura, qui legendum
 putauit, Quae tibi, sine, seruiat. eadem tamen
 quibusdam non probatur. Ego legendum suspica-
 bar, Quae seni tibi seruiet. Cana tempus
 anilitas] Sic omnino legendum puto. Sed omnib.
 tamen in manuscriptis libris erat, Anilis aetas.
 Nisi sic uersum metiamur, ut, Nilis aet, syllabas
 unum in pedem conferamus, As, syllabam inse-
 quentem reiciamus uersum, in quo, Omnia, pro-
 pter principem uocalem sequentis uerbi, utramq.
 uocalem perdet I & A. quod fecit non semel Hora-
 » tius. Anitas, inquit Placiades Grammaticus
 » in glossis, Adiutat, interdum senectus est. mendo-
 » se, Adiutat. emendant alij Adultas. quod non se-
 quor. legendum forte, Adnutat. Transfer
 omine cum bono Limen aureolos pedes] Li-
 men cubiculi. Sic Cic in orat. pro. A. Cluentio de
 nefarijs illis Cluentij matris agens nuptijs. Sen-
 sim scilicet, ueteri consuetudine, ac ritu. Plaut. in
 » Casina. Sensim super attolle limen pedes, noua nu-
 » pta. Plutarchus in uita Romuli nouam nuptam
 tolli manib. solitam aliorum, ita limen uiri transi-
 » re scribit, Διαμένει δὲ μεχρὸν νύκτῳ, τὸ τὴν νύμφην
 » αὐτὴν ἀφ' ἐαυτῆς μὴ ὑπερβαίνειν τὸν οὐδὸν, εἰς τὸ
 » δωμάτιον, ἀλλ' αἰρουμένην εἰσφέρεισθαι. διὰ τὸ καὶ
 » τότε κομιδῆναι βιαδείτας μὴ εἰσελθεῖν. Idem in
 Quae sit is

Quaesitis Rom. plures causas adfert, in eo quae-
 2) sito uidelicet, διὰ τί τὴν γαμουμένην οὐκ ἔωσιν αὐ-
 2) τὴν ὑπερβῆναι τὸν ἔδον τῆς οἰκίας, ἀλλ' ὑπεραίρουσιν
 2) οἱ πρόεμποντες. Aliud Varro, cuius uerba posuit
 2) Seruius, illud interpretans Vergili, Mopse nouas
 2) incide faces. Varro, inquit, ideo dicit faces prae
 2) ire nuptas, quod antea non nisi noctu ducebantur
 2) a sponsis. quas ideo dicit limen non tangere, ne a
 2) sacrilegio incoharent, si depositurae uirginitatem
 2) calcent rem Vestae, numini castissimo consecra-
 2) tam. Lucanus in. II. de nuptys Catonis, & Mar-
 2) ciae ritus prope omnes hisce non admodum multis
 2) expressit uersib. hunc uidelicet, & illum uidendi
 2) flammei, Zonae, quam ille balteum uocat, qua
 2) uestis astringeretur, ceterosq. Versus illius sunt,
 2) Festa coronato non pendent limine ferta, Infulaq.
 2) in geminos discurrit candida postes, Legitimaeq.
 2) faces, gradibusq. accliuis eburnis. Stat torus, &
 2) picto uestes discriminat auro. Turr itaq. premens
 2) frontem matrona corona, Tralata uetuit contin-
 2) gere limina planta. Non timidum nuptae leuiter
 2) tectura pudorem. Lutea demissos uelarunt flam-
 2) mea uultus, Balteus haud fluxos gemmis astringit
 2) amictus. Neq. uero tantum in nuptys, sed a-
 2) liud quoq. agentib. limen tangere ducebatur omi-
 2) nosum. Ouid. in. I. Elegiarum, Missa foras ite-
 2) rum limen transire memento Cautius, atq. alte so-
 2) bria ferre pedem. Transferre pedes sic dixit, ut
 2) & Proferre pedem Euripides dixit in Troadib.

Πρόφερε πόδα σὸν. Ἐπὶ πλάτας ἀχαιῶν. Rasilemque subi forem] sic Verg. Rasile buxum dixit.

Aspice, unus ut accubans Vir tuus Tyrio in thoro, Totus immineat tibi] In primo uersu uitium inesse iam pridem cum putassem. neq. enim quid unus in eo loco significaret, aut quæ salem ac leporem haberet, dispiciebam, & cum manuscriptos libros consulerem, & Unus, & Vnius scriptum repperiebam. Itaq. Intus legendum putavi, idq. magis etiam probavi post, cum in tertio manuscripto libro, Imus, scriptum animaduerti. Ouid. in x. Metam. simile quiddam habet, ubi de Myrrha, - thalami iam limina tangit, iamq. fores aperit, iam ducitur intus. Totus immineat tibi: In uerbo Imminere eadem prope uis est, quæ Sapphus uerbis significatur, Ταυρὸς ἐρηταίῳ ἴσοσ Απει. Arnobius in. III. aduersus gentes. O egregia numinum, & singularis interpretationis potestatum, nisi postes uirorum adipali unguine oblinerentur ab sponsis, nisi uirginalia uincula iam feruentes dissoluerent, atq. imminentes mariti. Caesar in. I. de bello Ciuili similiter, Instabat agmen Caesaris, atq. uniuersum imminebat.

Ille non minus, atq. tu, Pectore uritur intimo] In manuscriptis omnibus est, Illi non minus, ac tibi Pectore urimur intimo. ea sententia, nos illum non minus intimo pectore, idest, amore non minore amamus, quam te quoq. ipsam. Plautus in Cistell. Pectus penitissimum dixit, In latebras
abs-

abscondas pectore penitissimo Tuam Stultitiam.

Ouidius in .I. Metam. ut Catullus. Sic Deus in
flammas abiit, sic pectore toto Uritur.

O Hymen] Leguntur in manuscriptis, quo supra
modo ostendi. Mitte brachiolum te-

res Praetextate puellulae] Praetextatum uo-
cat, an quia ut Macrobius scribit in .I. Saturn.

Praetexta & Bulla ingenuorum habitus puerorum
erat, an quia uestem mutarat. Festus Pompeius nu-
bentibus pueros conuiciantes praetextas deponere
solitos scribit, quamquam etiam nubentes depositis

praetextis intellegi possunt. Praetextum, siue Prae-

textatum legere malimus, sermonem, inquit, quidam

putant dici, quod praetextatis nefas sit obsceno uer-

bo uti. alij, quod nubentibus depositis praetextis &

multitudine puerorum obscena clamentur.

Iam cubile adeat uiri] In manuscriptis omnibus,
Adeant. Et noua nupta scilicet, & qui eam dedu-
cunt praetextati tres, & pronubae duae.

Vos unis senib. bonae] In manuscriptis omni-
bus, Bonae senib. unis. Legebam ipse, Vos bonae se-
nib. uiris. & ordinem ipsum uerborum, qui est in ma-
nuscriptis conseruo, & quod est facillimum, ac ual-
de probabile, ex Unis, Uiris, feci. Bonas autem Ca-
stas uocat, ut saepe tum Catullus, tum Tibullus, ac
ceteri. Cognitae bene feminae] Bene enim

cognitas senibus uiris esse oportet. Et uerbis autem
& sententijs proxime ad hunc Catulli locum Simo-
nides, φίλη δὲ συμριλουῶτι γηράσκει πόσει τεκοῦσα

N

καλόν.

- » καλόν. Atq. his quidem uerbis etiam μονομογαρία
 significatur. Alba Parthenice uelut]
 Sic insignem sponsae pulchritudinem significat. Ti
 bullus sponsae comparauit egregiam iuuenis for-
 mam, ut illam flori Catullus. est enim apud illum in.
- » 1. Candor erat, qualem praefert Latonia luna, Et
 » color in niueo corpore purpureus, Ut iuueni primum
 » uirgo deducta marito, Inficitur teneras ore rubente
 » genas. Ut cum contexunt, amaranthis alba puellae
 » Lilia, & autumnno candida mala rubent. Miscet
 enim hos etiā colores Catullus, addens, Luteumue
 papauer. Non diu remoratus es] In manu-
 scriptis omnibus, Remorata, sed illud rectius. Re-
 » morari autem absolute, & idem post, Perge, ne re-
 » morare. Et Plautus in Casina protulit, Nam, quid
 » illaec tam diu intus remoratur quasi ob industriā.
 » Et in Pseudolo, Uter remoratur. Quod
 cupis, capis] Eadem prope παρονομασία, quae an-
 te, Cato Catullum. At marita tuum ta-
 men Celites, nihilo minus Pulchrae res] Gua-
 rinus hoc modo. Sed idem tamen legit, Pulchrae res.
 Auātius legisse se adfirmat in ueteribus libris, Ad
 Martem tamen iuuenem. In duobus autem manu-
 scriptis, quibus utebar, legebatur, Ad maritum ta-
 men iuuenem Celites nihilominus Pulchre res. Lo-
 cus ipse difficillimus ad interpretandum. Ego ta-
 men quam poteram proxime ad eā lectionem, quā
 in manuscriptis reperiēbam, restituere conabar, ac
 distinguere, Admetum iuuenem tamen Celites ni-
 hilo

hilo minus, Pulchra res. E superioribus enim puerorum conuicijs intelligimus, sponsum puerorum amore flagrasse. Suadent igitur, ut, cum amorem in sponsum suum non abscondat, Admetum tamen ipsum, cuius amore tenebatur, siue is libertus eius erat, quem in delicijs haberet, siue quisquis alius, minime prodat. quem pulchrum esse significat. Credibile uero est formoso iuueni Formosi nomen impositum. Admetum enim insigni forma ab Apolline adamatū Poetae fingunt. Sed, ne cui duriter iuncta uideantur, Tamen, & Nihilominus. Sic enim etiam Cic.

- » Et tamen nihilominus αὐτὸν ἀπίσδειν. Et pro Cluent.
- » Tamen nihilominus putabat se. Pulchra res, nominandi casu posuit, cū accusatiuus praecessisset idem significans, ut & Horat. in. II. Serm. Sat. VIII. Vidimus & merulas poni, & sine clune palumbos.
- » Suavis res, si non causas narraret earum, & naturas dominus. Nisi quis esse accusatiuos etiam uelit, Suavis res, pro Suauis. Graeci sic quoq. καλὸν χεῖμα dicunt. Et Aristophanis interpres hanc ἐπαγωγὴν Atticorum propriam esse dicit. in illud enim Poetae in Nebulis, ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τὸ χεῖμα τῶν νυκτῶν, ὅσον ἀπέρατον, sic scribit, Ἔθος δὲ τοῖς ἀπικοῖς ἐπαγωγὴ χεῖμα. οἶον, ἵππος, ἀνιόντι χεῖμα. καὶ γυνή, ἀνιόντι χεῖμα. καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως. Cic. pro Murena oratoris munus ac facultatem similiter
- » laudat, Magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, summa etiā gratia. Liuius in. XXXI. ab v. C. eodem prope modo, quo Catullus, & Horatius,

Quod si tantum militum Romanorum fuisset, ut &
 Chalcis teneri, & non deseri praesidium Athenarum
 potuisset, magna res, principio statim belli, Chal-
 cis & Euripus adempta regi forent. Cic. quoq. in.
 XII. ad Atticum sic admirari uidetur. Ego etiam
 atq. etiam cogitabo, teq. ut idem facias, rogo. Ma-
 gna res, simplex est manere, illud anceps. Et Plin.
 in. XXXV. cap. III. Decora res, utiq. si liberorum
 turba. & quae sequuntur. Cic. in. VI. Epist. ad Tor-
 quatum, et alios, similiter, et quidem per parenthesin,
 Reliquum, inquit, est, ut te angat, quod absis a tuis,
 res molesta, praesertim ab ijs pueris. &c.

-neq. te Venus Negligit] ille quidem pulcher,
 neq. tu inuenustus. Ille puluis Erythraei
 Siderumq. micantium Subducatur numerum
 prius] Sic Guarinus. an ueterem librum secutus,
 non explicat. Et genitiuum esse facit Puluis. Ego ue-
 ro omnib. in manuscriptis, Pulueris legebam. tum
 quod sequitur, Eritei, & Ericei. Auantius legendum
 docet, Erythrii. Qua de re cum diu multumq. dubi-
 tarim, quae mihi in mentem uenerint, qualiacumq.
 ea sint, ingenue proferam. Primum, Erythraei, non
 placebat ipsum, et quod longe arcessitum uidebatur,
 & quod diphthongus corripereetur. Nam, Dionae-
 us alibi legendum non esse, docui. itaq. uarie conie-
 cturam feci. primum sic, Ille pulueris interim, ea sen-
 tentia, Ille qui nostros lusus, ac delicias numeratas
 uult, eas interim dum facimus, prius & puluerem,
 & stellas numeret. E. namq. mutabam in. I. proxi-
 mam

nam uocalem, ex R. & I. consonantem N. faciebā,
 sequitur T, in manuscripta lectione, deinde E, post
 quam litteram, R. interponebam, & I. extremo a-
 picem imponebam. Deinde etiam succurrebat, Pul-
 uerem, arenamq. Libycam hoc in genere prouer-
 bio celebratam. Idemq. memineram illud eiusdem
 Catulli ante, huic sententiae ualde consentaneum.
 Quæris, quot mihi basiationes Tuæ Lesbia sint
 satis superq. Quam magnus numerus Libyssæ a-
 renæ Læserpiciferis iacet Cyrenis Oraclum Iouis
 inter æstuosi, Et Batti ueteris sacrum sepulcrum,
 Aut quam sidera multa, cum tacet nox, Furtiuos
 hominum uident amores. Itaq. aliquid huiusmodi
 subesse suspicabar. faciebamq. Ille pulueris Antæi
 Antæum enim terrigenam Libyn appellat Sta-
 tius in. VII. Thebaid. diphthongonq. inuitus corri-
 piebam. quod me tamen adeo non mouebat. Tertium
 illud fuit, ut Eretri, quod proxime ad scriptam le-
 ctionem accedebat, legerem, quasi Eretrij. alterum
 enim. I. & consuetudo ipsa, & figura tollebat. Ere-
 trium autem puluerem ab Eretria ciuitate mariti-
 ma in Euboea. E. uero correptam ab eo Homeri ex-
 emplo, Χαλκίδ' ἐρετρίαν τε. quod si sequimur, I. an-
 tepenultimam in. E. mutandam, & penultimam
 I. in. E. quæ sunt mutationes omnes facillimæ, ual-
 deq. probabiles. Quod si quis propter syllabam a-
 pud Homerum scribit, Εῖρετρίαν, idem faciat hoc lo-
 co. Carisius Erythrum mare dici etiam ostendit, il-
 lis Plinij uerbis, Ab Erythro mare orti. quo auctore

licebit etiam hic, si mare rubrum intelligamus, dicere, Pulueris Eritri. Sic tamen ut prima in Eritri producat^{ur} ἐμπύκνωσ. Qui uestri numerare uult] In manuscriptis omnibus, non Vult, sed Volunt. Credo, quod ante scriptum fuerat, Volt. quod nō intelligentes, praeuē mutarunt in Volunt. Sed isdem in libris non Vestri, sed Nostri, sic, ut haec ab sponsis, non a pueris, dicta accipiamus. Sed, cum sponsus & sponsa in nuptiis non loquantur, Vestri potius legamus. Multa millia lusuum] Auantius in ueterib. libris fuisse dicit, & Lusum pro Lusuum, contracte, & Lusius. In ijs, quibus utebar, omnibus, Ludere. Et sequens uersus ita legebatur, Et ludite, utrumq. uitiose. Ego uero scriptum fuisse opinor totum uersum, Multa mollia ludi. At ludite. Ut At principium sit orationis & cantus, quem pueri sponsis respondent. Millia uero in Mollia mutandum puto, quod parum Latine dici putem Millia ludi, ut Millia cum genitiuo numeri singularis coniungatur, deinde uero quod mollia, id est deliciae, siue τὰ πάλυια Latine sic dici putem aptissime. itaq. omnis illa in amore lasciuia commodissime significatur. Ludere autem lasciuire, ac libidinari. idē post,

» Lusimus satis. Horat. in. II. Epistular. Lusisti satis,

» edisti satis, atq. bibisti. — non decet Tam uetus sine liberis Nomen esse] Nomen, pro Familia, & gente, ac populo. Verg. in. VI. Inlustres animas, nostrumq. in nomen ituras. Et Liuius in. I.

» Per se ipsum nomen Ceninum impetum facit.

Sed

Sed indidem] Eodem uerbo usus Plautus. Indi-
dem unde oritur facito ut facias Stultitiam in sepeli-
bilem. Dulce rideat ad patrem.] Politia-

nus apud Verg. legit, Qui non risere parentes. Ser-
uium damnat, Quintilianum opponit. Et sunt ta-
men qui nihil a Seruio Quintilianum putent dissi-
dere. Certe Catulli locus hic, & ille apud Rufum Fe-
stū Auianū in Orbis terrae descriptione, Nascen-
ti Baulo risit pater, undiq. fulsit Caelicolum sedes, fa-
uere ac subscribere Serui sententiae uidentur. Et
Qui, pro Cui, scripserunt antiqui.

Sed micante labello] Sic correxit Auantius, cū
esset in manuscriptis, Sed mihi ante. Micans label-
lum: id est, patens, saliens. Hoc ipsum exprimens

Poeta uetus apud Atilium Fortunatianum, Pa-
tens labellum diffido Iugare rictu. Et Martialis
in. I. in Maximinam, Laxat per spicuo labello ri-
su. Et Ouid. de arte Amandi, Sint modici risus,
paruaeque utrimque lacunae. Rabanus Maurus de
Magorum praestigijs, Salifatores, inquit, uocati
sunt, quia dū eis membrorum quaecumque salierint,
aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari
praedicunt. Sit suo similis patri] Statius

in. I. Siluar. in Epithalamio Stellae, & Violantil-
lae, Multum de patre decoris, Plus de matre ca-
pis. Basilus in Epistula ad Gregorium Nazianze-
num, Επέγνων σοῦ τὴν ἐπιστολὴν, ὡς περ οἱ τῶν φί-
λων παῖδας ἐκ τῆς ἐπιφανομένης αὐτοῖς ὁμοιότητος
πρὸς τοὺς τεκόντας ἐπιγινώσκουσι. -bene uiui-

te] Idem aliquando simplici ipso uerbo *Viuere* signifi-
 21 ficatur. Horat. ut Catul. Si bene qui cenat, bene ui-
 22 uit, lucet, e amicus, Quo ducit gula. Munere
 adsiduo ualentem Exercete iuuentam] Sue-
 23 ton. in Domitiano, Adsiduitatem concubitus, uelut
 24 exercitationis genus Clinopalen uocabat. Statius
 in. I. Siluar. in Epithalamio Stellae, & Violantil-
 25 lae in eandem sententiam, Exerce formam, & fu-
 26 gientib. utere donis. Ac post, Ergo age iunge tho-
 27 ros, atq. otia deme iuuentae. Valentem iuuentam
 uocat, ut Hesiodus ἡβην πολυκρατῆ. illius enim uer-
 28 sus est ἐν ἡρωϊκῇ γενεαλογίᾳ, ut Lycophronis addu-
 29 cit interpret, Αὐτὰρ ἐπεὶ ἡβης πολυκρατῆς ἵκετο μὲ
 30 πρὸν. Plautus in Casina Valentulam eodem modo
 31 uidetur dicere, Obsecro, ut ualentula est?

CARMEN. NVPTIALE

VESPER adest, iuuenes, consurgite, uesper Olym̄o,
 Expectata diu uix tandem lumina tollit.
 Surgere iam tempus, iam pingues linguere mensas.
 Iam ueniet uirgo, iam dicetur Hymenaeus.
 Hymen o Hymenae Hymen ades o Hymenae.
 Cernitis, innuptae iuuenes. consurgite contra.
 Nimirum eos ostendit noctifer imbres.
 Sic certe. uiden' ut perniciter exsiluere.
 Non temere exsiluere. canent quos uincere par est.
 Hymen o Hymenae Hymen ades o Hymenae.
 Non facilis nobis, aequales, palma parata est.
 Aspiciate,

Aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt .

Nō frustra meditatur, habēt memorabile quod sit.

Nec mirum : tota penitus quae mente laborant .

Nos alio mentes, alio diuisimus aures :

Iure igitur uincemur. amat uictoria curam .

Quare nunc animos saltem committite uestros .

Dicere iam incipient, iam respondere decebit .

Hymen o Hymenaeae Hymen ades o Hymenaeae.

Hesperere, qui caelo fertur crudelior ignis .

Qui natam possis complexus auellere matris .

Complexu matris retinentem auellere natam,

Et inueni ardenti castam donare puellam .

Quid faciunt hostes capta crudelius urbe .

Hymen o Hymenaeae Hymen ades o Hymenaeae .

Hesperere, qui caelo lucet incundior ignis .

Qui desponsa tua firmes conubia flamma .

*Quod pepigere * uiri, pepigerunt ante parentes ,*

Nec iunxere prius, quam se tuus extulit ardor .

Quid datur a diuis felici optatius hora .

Hymen o Hymenaeae Hymen ades o Hymenaeae .

Hesperus a nobis aequales abstulit unam .

*

Namq. tuo aduentu uigilat custodia semper .

Nocte latent fures, quos idem saepe reuertens

Vespere mutato comprehendis nomine eosdem .

At lubet innuptis ficto te carpere questu .

Quid tum si carpunt, tacita quod mente requirunt .

Hymen o Hymenaeae Hymen ades o Hymenaeae .

Ut

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
 Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
 Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber,
 Multi illum pueri, multae optauere puellae:
 Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
 Nulli illum pueri, nullae optauere puellae:
 Sic uirgo, dum intacta manet, dum cara suis. sed,
 Cum castum amisit polluto corpore florem,
 Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis.
 Hymen o Hymenaeae Hymen ades o Hymenaeae.
 Ut uidua in nudo uitis quae nascitur aruo,
 Numquam se extollit, numquam mitem educat uirgā,
 Sed tenerum pronò deflectens pondere corpus,
 Iam iam contingit summum radice flagellum:
 Hanc nulli agricolae, nulli accoluere iuueni:
 At si forte eadem est ulmo coniuncta marito,
 Multi illam agricolae, multi accoluere iuueni:
 Sic uirgo, dum intacta manet, dum inculta senescit:
 Cum par conubium maturo tempore adeptae est,
 Cara uiro magis, & minus est inuisa parenti.
 At tu ne pugna cum tali coninge uirgo.
 Non aequum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
 Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
 Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est:
 Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
 Tertia sola tua est. noli pugnare duobus,
 Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
 Hymen o Hymenaeae Hymen ades o Hymenaeae.

Hoc

Hoc quoq. Epithalamion ad Mallij nuptias pertinere puto. Sic Claudian. in Honori, & Mariae nuptiis uarie lusit numero modo hoc, modo illoc.

Vesper adest, iuuenes] Lege enim cauebatur, ne nisi de nocte nuptiae fierent. Seruius, interpres Vergilij in Bucol. de Varronis sententia, Varro, inquit, ideo dicit faces praeire nuptias, quod ante non nisi noctu ducebantur a sponsis. Vesper autem uerbum esse Ennianum, Censorinus demonstrat in lib. de die Natali, siue de humana Origine, his quidem uerbis. Post supremam dicitur Vesper, ante ortum scilicet eius stellae, quam Plautus Vesperuginem, Ennius Vesperum, Vergilius Hesperon appellat. - confurgite] Cum hora nona accubuissent, ad horam ferme. XII. conuiuium produxerant.

Vesper olympo Expectata diu uix tandem lumina tollit] Eodem prope modo Claudian. in Honori, & Mariae Epithalamio, Attollens thalamis Idalium iubar Dilectus Veneri nascitur Hesperus. Surgere iam tempus] Sic multum tempus praeterisse significabant. Verg. Et iam tempus equum fumantia soluere colla. Iam dicetur

Hymenaeus] Eundem numerum celebrauit Vergilius, Ille latus niueum molli fultus hyacintho. Et in Georg. ut est in omnium, quotquot usquam sunt, librorum uetustissimo. Ille comam mollis iam tondebat hyacinthi. Atq. idem Catullus alibi, Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos.

Nimirum eos ostendit noctifer imbres] Hic

ronymus

ronymus Auantius in libro Antoni Moreti scriptum fuisse testatur, Nimirum aetherios ostendit noctifer ignes. Quod si ita est, non est quod multa loquamur. In meis omnib. erat, Nimirum hec eos ostendit noctifer imber. Unde faciebā, Nimirum Oetaeas obtendit noctifer umbras. Oetaeas autem umbras dixerit, ut certum montem pro multis posuerit incertis, atq. idem prope dicat, quod Vergilius.

» Maioresq. cadunt altis de montibus umbrae. uel
 » propter illud etiam apud eundem, Tibi deserit He
 » sperus Oetam quamquam Vmentes malim quam
 » Oetaeos. Sin illo modo malumus, ignes astra ipsa
 » uocat, ut & Verg. Nam neq. erant astrorum ignes.
 » Bacchylides, ut quidem adducit interpres Apollonij
 » in. III. noctem δαδοφόρου appellat, aut quia tum
 » lumina solemus accendere, aut quia nox terris stel-
 » las inducit. uersus illius est, Εκάλτα δαδοφόρου νυκ-
 » τὸς μεγαλοκάρπου δύγατερ. Cur autem Eoos quidā
 » reiciant, non uideo. cum Euripides dicat, Εἴωος ἠνίχ
 » ἰππότας ἐξέλαμψεν ἀσῆρ. Sic certe] In
 » manuscripto uno tres litterae uidentur erasae post
 » haec uerba. suspicor autem fuisse, Est. Sic enim et a-
 » libi idem, Sic certe est, clamant uictoris rupta mi-
 » selli Ilia. Aspiciate, innuptae secum ut
 » meditata requirunt] Est in manuscriptis duo-
 » bus, Aspiciate innuptae quae secum ut meditare que-
 » runt. in tertio, Aspice innuptae quae secum ut medi-
 » tare quaerunt. Emendabam, Aspice quae innu-
 » ptae secum ut meditata requirunt. Nam & singu-
 » lariter

lariter ante dixit, Viden ut perniciousiter exsiluere.
 Sin ipsum uerborum ordinem conseruare uolumus,
 legendum fortasse sit, *Aspicite innuptae quae so-
 ut meditata requirunt. Priorem lectionem si sequi-
 mur, Secum requirere sic forte dixit, ut Cic. aliq.*
 Cogitate cum animis uestris. Guarinus legi posse
 dicit, *Meditamina quaerat, quod idem opinor
 legerat suo illo in libro, quod ego in meis. Fie-
 ri autem potest, scriptum ut fuerit, Meditamina
 quaerunt, quod corruptum postea sit in Me-
 ditare quaerunt. Legendum igitur mea qui-
 dem sententia, aut hoc modo, Aspice quae in-
 nuptae secum ut meditamina quaerunt. Aut hoc,
 Aspicite innuptae quae so ut meditamina quae-
 runt.* Non alio mentes, alio diuisimus
 aures] sic Ouidius *Mentem sectam dicit, in. II.
 de remedio amoris, Secta bipartito cum mens dis-
 currit utroq. Alterius uires subtrahit alter a-
 mor.* Quae animos saltem com-
 mittite uestros] In manuscriptis omnibus, *Qua-
 re non animos. quod uidetur probabile, perinde
 ac si dicat, ne saltem animos uestros prorsus re-
 mittite. - qui caelo fertur crudelior ig-
 nis] Fertur, uoluitur, propter caeli motum. Ig-
 nes autem Stellae dicuntur. Verg. Nam neq. e-
 rant astrorum ignes.* Complexu matris
 retinentem] sic erat omnib. in manuscriptis. *In-
 gendum igitur, Retinentem matris. He-
 spero qui caelo lucet iucundior ignis]* Home-

ricum illud expressit, Ἐσπερος ὃς κάλλιστος ἐν οὐ-
 ρανῶ ἴσεται ἀσὴρ. Nec iunxere prius, quā
 se tuus extulit ardor] Noctu enim nouae nuptae
 a sponsis ducebantur, ut scribit Varro.

Quid datur a diuis felici optatius hora] ἐπι-
 φώνημα. Euripides in eandem sententiam apud
 Stobaeum. ὅσοι γὰρ ἐρωτι πίπῃσι. Ἐρωτῶν Ἐδλῶν
 ὅταν τύχῃσι τῶν ἐρωμένων, Οὐκ ἔσι ποίας λείπεται
 τόδ' ἠδονῆς. Sic Hora fortunari dicitur ab Hora-
 tio. Qualemcumq. Deus tibi fortunauerit horam.
 Grata hora, alibi apud eundem Flaccum. Grata
 superueniet, quae non sperabitur, hora.

Hesperus a nobis aequales abstulit unam]
 Varie legitur hic uersus in manuscriptis. primum
 sic, Hesperus est nobis aequalem abstulit unam.
 Deinde etiam sic, Hesperus hic nobis aequa-
 lem abstulit unam. Postremo sic, Hesperus e no-
 bis aequales abstulit unam. Quod est ipsum rectū.
 Legerem etiam libenter, si per ueteres libros lice-
 ret, Hesperus e nostris aequalibus abstulit unam.
 Vel illo modo, Hesperus ex nostris aequalem hinc
 abstulit unam. Aequales autem Graeci sic quoq. di-
 cunt ἡλικας. Sic Pacuuius in Hermiona, ut ad-
 ducit Nonius Marcellus in uerbo Dignani, Cum
 neq. me aspicere aequales dignarent meae. Post
 hunc uersum septem uersus alios desiderari scribit
 Auantius. Credo numerum definisse, quod spatij
 tantum uacare aliquo in libro animaduertisset.
 Namq. tuo aduentu uigilat custodia semper]

id enim erat primae uigiliae noctis initium. Custodia: οἱ φύλακες. Euripid. Nocte latent fu-

res] κλεπτῶν γὰρ ἡ νύξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς.

Euripid. in Iphigenia. Video idem esse adumbratum in Bionis uersib. apud Stobaeum, Εσπερε τὰς ἑρα-

τὰς χρυσέον φάος ἀφρογενήας. Εσπερε κυανέας. ἱερὸν οἶ-

λε νυκτὸς ἀγαλμα τόσον ἀφαιρότερον μῆνας, ὅσον ἔξο-

χος ἄσρων. χαῖρε φίλος κ' μοι ποτὶ ποιμένα κῶμον ἄγον

τι, Ἀντίσελαναίας τυδίδε φάος ὠνακαίτην ἄσάμερον

ἀρχομένα τάχιον δ' ἔν. ἐκ ἐπὶ φωρῶν Ερχομαι, ἐδ' ἵνα

νυκτὸς ὁδοιπορέοντ' ἐνοχλήσω. - quos idem

saepe reuertens Vespere mutato comprehendis

nomine eisdem] Ut fures, sic etiam amantes, &

& sponfos simul cubantes deprendit.

Mutato comprehendis nomine: Plato in Epinom.

ὁ μὲν γὰρ ἑωσφόρος, ἑσπερός τε ὁ αὐτὸς ὢν τῆς ἀφροδί-

της. sic enim est in ueterib. libris. At lu-

bet innuptis ficto te carpere questu] Idem ali-

bi de Coma Beronicae, Νῶ ἰτα με διυῖ uera gemunt

iuerint. Et Claudianus in. 1. de raptu Proserpinae,

- tenerum iam pronuba flamma pudorem Sollici-

tat, mixta aq. tremat formidine uotum. Quid

tum si carpunt, tacita quod mente requirunt]

An mirandum, si sponfos deprehendas, qui, quem

diu cupuerant, amoris fructum capiunt. Sed

in manuscriptis omnibus, Tacita quam mente re-

quirunt. Quibus uerbis ea, quam supra posui,

sententia efficitur. In eandem uero sententiam

Pindarus in Pythys. ode. VIII. Πλεῖστα νικῆσαντ' ἄ-

- » σε καὶ τελεταῖς Ωρίαις ἐν παλλάδος εἶδον. Αἰωνοὶ θ
 » ὡς ἐκάστα φίλτατον Παρθεναὶ πόσιν, ἢ ἤδ' ἔυχοντ'
 » ὧ ἑλεσίκρατες ἔμμεν. *Carpere, idest, pari uerbo*
 » *eodem loco Pindarus utitur, & ut hic quoq. Ca-*
 » *tullus puellam multis expetitam describit, Τὰν μάλιστα*
 » *πολλοὶ ἀριστῆες ἀνδρῶν αἴτεον Σύγχοι, πολλοὶ*
 » *δὲ καὶ Ξείνων, ἐπεὶ θάπτον εἶδος Επλετο. χρυσοεφά-*
 » *νου δὲ οἱ ἦβας Καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι ἔδελον.*
 » *Quem mulcent aurae] Sic Propert. in. IIII.*
 » *Mulcet ubi effusas aura beata rosas. Edu-*
 » *cat imber] Callimachus in Hymno in Delum,*
 » *Νύμφαι μὲν χαίρουσιν ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει. ac pro-*
 » *pterea Καρποφόρους ὄμβρους dicit uetus auctor in*
 » *Hymnis. πέμπειν καρποφόρους ὄμβρους ἐπὶ μητέρα*
 » *γαῖαν. Ex eodem genere est & quod ante dixit i-*
 » *dem Catullus, Quos Hamadryades deae Ludi-*
 » *crum sibi roscido Nutriunt humore, Et illud Lu-*
 » *creti in. v. Quod sol atq. imbres dederant, quod*
 » *terra creatat Sponte sua, satis id placabat pecto-*
 » *ra donum. Et Ouid. in. IIII. Metam. Gramen e-*
 » *rat circa, quod proximus. Multi illum*
 » *pueri] Sic Verg. de Lauinia, Multi illam ma-*
 » *gno e Latio, totaq. petebant Ausonia. Et de Ca-*
 » *milla, Multae illam frustra Tyrrena per oppi-*
 » *da matres Optauere nurum. Idem cum te-*
 » *nui carptus defloruit ungui] Sic Propert. in I.*
 » *Quae modo decerpens tenui pueriliter ungui.*
 » *Nulli illum pueri, nullae optauere puellae]*
 » *Eodem modo Ouid. in. IIII. Metam. & superiorē*
 »

& hunc uersum totidem prope uerbis exprimit, de
 » Narcisso, Multi illū iuuenes, multae optauere puel-
 » lae. Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
 » Nulli illum iuuenes, nullae optauere puellae. Simi-
 » liter etiam Callimachus de amore, Ἀλλ' ἐχθρὸς μὲν
 » παισὶν, ἀτίμασος δὲ γυναιξὶν. ὅπως ἀργαλέον γῆρας
 » ἔθηκε θεὸς. Sic uirgo, dum intacta manet,
 dum cara suis] Nulla probabilis ex his uerbis e-
 » lici potest sententia. at si, quo modo est in Maffei
 » libro, legas, ea facilis atq. apta existet, ut Dum po-
 » sterius mutes in Tum. Manere intactam, sic di-
 » xit, ut Euripides quoq. in Electra, Παρθέρον μένειν.
 » est. n. apud illū, Φασὶ γάρ νιν ἐν γάμοις Ζαχθεῖσαν οὐ
 » κείν, ἢ δὲ παρθέρον μένειν. nisi interpreteris ἐν γάμοις
 » μένειν. - polluto corpore florem] Sic Te-
 » rentius, Flos ipse. - in nudo uitis quae
 » nascitur aruo] In quo arbores non sint adsitae,
 sitq. is ager incultus, & ἀδενδρος. Hanc
 » nulli agricolae, nulli accoluere iuueni] In
 » duobus manuscriptis, & hic, & post, cum repetitur
 » hoc ipsum uerbum, Coluere, non Accoluere.
 » - ulmo coniuncta marito] Ulmus marita hoc in
 » genere dicitur. Horat. in. v. Carm. Altas maritat
 » populos. Iuuenal. Stratus humi palmes uiduas desi-
 » derat ulmos. Cum par conubium maturo
 » tempore adeptā est] Conubium etiam apud Poe-
 » tas per. N. unum scribendū. Sic in ueteribus libris,
 » atq. in illo omnium uetustissimo libro Vergily. Ma-
 » turo tempore, & Lucretius dixit in. v. Quos ubi
 O » tempore

» tempore maturo patefecerit aetas. Par conubium
 opinor intellegit, quem Aeschylus in Prometheo di-
 » cit ὀμαλὸν γάμον. est enim apud illū, Ἐμοὶ δ' ὅτι μὲν
 » ὀμαλὸς γάμος ἀφοβός, οὐδέδεια. & quae sequuntur,
 atq. ante haec leguntur. quem locum huic similem
 putabat Iacobus Corbinellus, mihiq. primus osten-
 dit. Cara uiro magis] Sic uno in manu-
 scripto. In alijs, Cara uirgo magis minus est inuisa
 parenti. ἀσωδέτως uitiose. Deesse uidetur hoc loco
 ἐπιφώνημα. Hymen o Hymenaeae hymen ades, o Hy-
 menaeae. quod tamen nullo in manuscripto legeba-
 tur. At tu ne pugna] In manuscriptis omni-
 bus, Et tu nec pugna. - pater cui tradi-
 dit ipse] Proprie dixit, & ex consuetudine. quam
 significat Pomponius Mela. in. II. de Getis. Nuptu-
 rae, inquit, uirgines non a parentibus uiris tradun-
 tur, sed publice aut locantur ducendae, aut ueneunt.
 Ex his enim uerbis intelligimus Romae uirgines
 uiris a parentibus tradi solitas. Liuius libro. XXX-
 IIII. non sui iuris feminas fuisse dicit, sed in potesta-
 te parentum, fratrum, uirorum. itaq. nihil habent,
 » ut uidetur, mere suum. Maiores nostri, inquit Li-
 » uius, nullam ne priuatam quidem rem agere femi-
 » nas sine auctore uoluerunt, in manu esse parentum,
 » fratrum, uirorum. Menander, Ἀλλὰ θυγάτηρ κτῆμα
 » ἐργῶδες πατρὶ. Atq. alibi, Χαλεπὸν θυγάτηρ κτῆμα,
 » δυσδιάδετον. Tertia pars matri data,
 pars data tertia patri] Rectius omnib. in manu-
 scriptis, Tertia pars patri data, pars data tertia
 matri.

DE. BERECYNTHIA. ET ATTI

SVPER alta uectus Attis celeritate maria,
 Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit,
 Adijtq. opaca siluis redimita loca deae,
 Simulatus ut furenti rabie, uagus animi,
 Diuellit ille acuto sibi pondera silice.
 Itaq. ut relicta sensit sibi membra sine uira,
 Etiam recente terrae sola sanguine maculans.
 Niveis citata cepit manib. leue tympanum,
 Tympanum tubam Cybelles tua mater initia:
 Quatiensq. terga tauri teneris caua digitis,
 Canere haec suis adorta est fremebunda comitibus.
 Agite. ite ad alta Gallae Cybetes nemora simul,
 Simul in Dindymenae dominae uaga pecora,
 Aliena petentes pede, ut exsules, loca celeri,
 Sectam meam executae duce me, mihi comites
 Rabidum salum tulistis, truculentaq. pelagi,
 Et corpus euirastis Veneris nimio odia.
 Hilarate excitatis errorib. animum.
 Mora tarda mente cedat, simul ite, sequimini
 Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemo-
 ra deae,
 Vbi cymbalum sonat uox, ubi tympana reboant,
 Tibicen ubi canit Phryx curuo graue calamo,
 Vbi capita Maenades ui iaciunt hederigerae,
 Vbi sacra sancta acutis ululatib. agitant.
 Vbi suenit illa diuae uolitare uaga cohors,

Quo nos decet citatis celerare tripudijs .
 Simul haec comitib. Attis cecinit noua mulier,
 Thiasus repente linguis trepidantib. ululat,
 Leue tympanū remugit, caua cymbala recrepant,
 Viridem citus adit Idam properante pede chorus .
 Furibunda simul, anhelās, uāga uadit, animo egēs.
 Comitata tympano Attis, per opaca nemora dux,
 Veluti iuuenca uitans onus indomita iugi .
 Rapidae ducem sequuntur Gallae pede propero.
 Itaq. ut domum Cybelle tetigere lassulae,
 Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
 Piger his, labantes langore, oculos sopor operit .
 Abit in quiete molli rabidi furor animi .
 Sed ubi oris aurei sol radiantib. oculis
 Lustrauit aethera album, sola dura, mare ferum,
 Pepulitq. noctis umbras uegetis sonipedibus,
 Ibi somnus excitum Attin fugiens citus abiit :
 Eugientem eum recepit dea Pasithea sinu.
 Ita de quiete molli rabida sine rabie,
 Simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit .
 Liquidaq. mente uidit sine quis, ubiq. foret,
 Animo aestuante rursus reditum ad uada tetulit .
 Ibi maria uasta uisens lacrymantib. oculis,
 Patriam adlocuta est ita uoce maesta miseriter .
 Patria o mea creatrix, patria o mea genetrix,
 Ego quam miser relinquens, dominos ut herifugae
 Famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem,
 Ut apud niuem, & ferarum gelida stabula forem,
 Et earum omnia adirem furibunda latibula :
 Vbinam,

Vbinam, aut quib. locis te positam patria rear.
 Cupit ipsa puppula ad te sibi dirigere aciem,
 Rabie fera carens dum breue tempus animus est.
 Ego ne a mea remota haec ferar in nemora domo.
 Patria, bonis, amicis, genitoribus abero.
 Abero foro, palaestra, stadio, & gymnasijs.
 Miser, a miser querendū est etiā atque etiā anime.
 Quod. n. genus figurae est. ego num quid abierim.
 Ego mulier, ego adulescens, ego ephebus, ego puer,
 Ego gymnasi sui flos. ego eram decus olei.
 Mihi ianuae frequentes, mihi limina tepida,
 Mihi floridis corollis redimita domus erat,
 Linquendum ubi esset orto mihi sale cubiculum.
 Ego ne deum ministra, & Cybeles famula ferar.
 Ego Maenas, ego mei pars, ego uir sterilis ero.
 Ego uiridis algida Idae niue amicta loca colam.
 Vbi cerua siluicultrix, ubi aper nemoriuagus.
 Ego uitam agam sub altis Phrygiae columinibus.
 Iam iam dolet, quod egi, iam iam quoq. paenitet.
 Roseis ut huic labellis * sonitus abiit.
 Geminas deorum ad aures noua nuntia referens,
 Vbi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus,
 Laeuumq. pecoris hostem stimulans, ita loquitur.
 Agedum, inquit, age ferox, hunc agedum aggredere
 furor,
 Face, ut furoris ictu reductum in nemora ferat.
 Mea libere nimis qui fugere imperia cupit,
 Age, caede terga cauda, tua uerbera patere.
 Face, cuncta mugienti fremitu loca retonent.

Rutilam ferox torosa ceruice quate iubam.
Ait haec minax Cybelle, religatq. iuga manu.
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animū,
Vadit, fremit, refringit uirgulta pede uago.
At ubi ultima albicantis loca litoris adijt,
Tenerumq. uidit Attin prope marmora pelagi,
Facit impetum. ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne uitae spatium famula fuit.
Dea magna, dea Cybelle, dea domina Dindymeī,
Procul a mea tuus sit furor omnis hera domo:
Alios age incitatos, alios age rabidos.

SVNT, qui putent, aut adfirment etiam, poema se hoc
 uidisse adscriptū Caecilio, quod probabile propter-
 ea ducunt, quod idem ante Catullus dixerit, Est e-
 nim uenuste Magna Caecilio incohata mater. Ego
 uero in alia omnia eundum censeo, qui sciam Atti-
 lium Fortunatianum ueterem grammaticum, ubi
 de Calliampo, sic dicere. Et Catullus, Phrygium ne-
 mus citato cupide pede tetigit. Ad ea uero, quae eru-
 dite copioseq. collegit Lilius Gyraldus de Atti, &
 Cybele, addam etiam & quae scribit Stephanus,
 περι πόλεων, in uerbo, Πάλλος. Sic enim scribit. Πά-
 λλος ποταμός Φρυγίας. οἱ περίοικοι προμαδίδαν ποταμό
 γαλληνοί, οὗς παρατίθεται ὁ Πολυΐτωρ ἐν τῷ περι Φρυ-
 γίας τῆς τῶ. καὶ ὅτι τὸν Πάλλον καὶ τὸν Ἀπην ἀποκόψαι
 τὰ αἰδοῖα. καὶ τὸν μὲν γάλλον ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν τηρίαν
 ποταμὸν, καὶ οἰκῆσαι, καὶ τὸν ποταμὸν γάλλον καλέ-
 σαι. ἀπ' ἐκεῖνον γὰρ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα γάλ-
 λους

22 λους καλοῦσι. *De Atti uero ipso proprie haec inter-*
 23 *pres Nicandri. Ισορεῖται ὅτι ποιμὴν ἦν φρυξ ὁ Ἀπῖς.*
 24 *ποιμαίνων, δὲ καὶ ὑμῶν τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἦτοι*
 25 *τὴν ῥέα, ἐφιλήθη ὑπ' αὐτῆς. καὶ δὴ φανομένη πολλά-*
 26 *κις, τιμῆς ἠξίωσεν. ὁ Ζεὺς δὲ ἐπὶ τέτρῳ δυσαναχετῶν,*
 27 *ἀνείλεν αὐτὸν, ἔφανερῶς, δι' αἰδῶ Ἰῆς μητρὸς, σὺν ἄ-*
 28 *γριον πέμψας. ἡ δὲ κατολοφυρομένη αὐτὸν, ἔδαψεν. οἱ*
 29 *δὲ φρύγες κατὰ τὸ ἑαρθρηνοῦσιν αὐτὸν. De genere*
 30 *autem ipso carminis multa Hephaestion, Terentia-*
 31 *nus, ceteriq. Addam tantum Atily Fortunatiani*
 32 *pauca, de trisyllabo penultimo. Sed quoniā, inquit*
 33 *Atilius, hic uersus matri sacer est Ideae, ut vibra-*
 34 *re uideatur, proximum ab ultimo pedem brachysyl-*
 35 *labon fecerunt, ἔ Graeci, ἔ hic ipse Maecenas. In-*
 36 *terpres Hephaestionis cur Galli ἰβicon dicat, caus-*
 37 *fam adfert, Γαλλιαμβικὸν δὲ ἐκλήθη, ἐπεὶ λελυμέ-*
 38 *νον ἐστὶ τὸ μέτρον. οἱ δὲ γάλλοι διαβάλλονται, ὡς θήλει-*
 39 *αν νόσον ἔχοντες. διὸ καὶ σώματα, φόρον ἐτέλωσιν. ῥω-*
 40 *μαῖοις εἰς τοῦτο. οἱ τοιῆτοι δὲ, ἱερεῖς εἰσὶ δῆμητρος.*
Sunt, qui alium in locum reiciant hoc poema, quo cō-
stet ordo trium Epithalamiorum, quae sunt ex eo-
dem genere. Ego, ne hac quidem in parte, a manu-
scriptis esse discedendum putauī.

Super alta uectus Attis celeri rate maria] *Ar-*
nobius in. v. aduersus gentes cum fabulam narrat
omnem a capite arcessens, nihil tamen de nauiga-
tionē, nihil ulla de rate. itaq. obscurius, magisq. hoc
reconditum, ἔ de ueteri poeta aliquo Graeco su-
mptū. Versus ipsi ad primam usq. τομὴν sunt Ana-

creontis persimiles, aut idem potius is, qui dudum
 vulgati sunt. ostenduntq. Anacreontaei illi quod
 Atilius scribit, ea iambo nasci Galliambum. ac pro
 pterea sic uocatum. Atilius autem ipse Catullum ci
 tat in Anacreontaeo, cuius illa sunt de Galli am-
 » bo. Et Catullus. Phrygium nemus citato cupide pe-
 » de tetigit. Et illud alterius auctoris. O qui chelyn ca-
 » nor amplectro regit Italo. Ut si facias illud ex Lepi-
 » dianometro ad hanc legem. Mea Vatiens amabo
 » mea cura, mea uenus. Catullus in Anacreontaeo.
 » Ades inquit o Cybelle. Quibus rebus adducor, ut
 » existimem, hoc poema e graeco expressum Ana-
 » creontis. Nonius, in uerbo Anima, huius generis
 » uersum Varronis adducit, Phrygios per ossa cantus
 » liquida canit anima. Semiuersus autem ille, Ades
 inquit o Cybelle, quem Catullo tribuit Atilius, cum
 eum ante Maecenati tribuerit, alieno loco ponitur.
 & scribae librarij culpa Catullinus desideratur,
 qui hoc e poemate fortasse fuerit. Celeri
 rate: Perpetuum fere epithetum. ut apud Home-
 rum δοαὶ νῆες. apud Gellium in. x. cap. xxvi. sic
 quoq. Sallustium arbitror locutum. nam illa uerba,
 » Furtim, aut celeritate uitare proelium in transgres-
 » su conatus est: emendabam, Furtim, ac celeritate.
 » Et uetus poeta, Typhin aurigam celeres fecere ca-
 » rinae. Phrygium ut nemus citato] Eo e-
 nim conueniebant, qui se Opi consecrarant. Hoc in-
 lusibus in Priapum uetus poeta significans, dixit in-
 » Priapi persona, Quae si perdidero, patria multa-
 » bor,

bor, & olim, Ille tuus ciuis Lamphace, Gallus ero.
Et uero Gallus fluuius, & mons Cybelus erant in
Phrygia. auctor Vibius Sequester.

- filuis redimita loca deae] sic post, Niue amicta
loca, dicit. Stimulatus ut furenti] Vt, pro

Vbi, ut ante. Sed erat omnib. in manuscriptis, Sti-
mulatus ubi furenti, ut secundo loco pro iambo esset
tribrachys. Diuellit ille acuto sibi pon-

dera filice] In manuscriptis omnib. Deuoluit. quod
idem significat. Sic enim uidetur in. VI. Verg. acce-

pisse Aduoluo uerbum. Procumbunt piceae, sonat

icta securibus ilex, Fraxineaeq. trabes, cuneis &

fissile robur Scinditur, aduoluunt ingentis montib.

ornos. Legendum fortasse etiam sit, Deuouit. Qui

se enim castrabant Galli, pudenda Rheae ipsi, atq.

Adonidi sacra reponebant. interpres Nicandri,

Λοβρίνης δάλαμοι, τόποι ἱεροὶ, ὑπόγειοι, ἀνακείμενοι

τῆ ῥέα, ὅπου ἐκτεμνόμενοι τὰ μῆδεα κατετίθεντο οἱ

τῶ ἀπὸ καὶ τῆ ῥέα λατρῶντες. Sic autem se Magnae

matri sacrabant. Sex. Aurel. Victor in Aurel. He-

liogabalo, Vestalem, inquit, uirginem, quasi matri-

monio iungens suo, abscissisq. genitalibus Matri se

magnae sacrauit. Ille: Verbum uarie legi-

tur in manuscriptis, Illectus, Illetus, Iletas, Lactus.

Ego legendum putabam, Icta. glossema enim fuerat

Ille propter uerbum Deuoluit. Scriptores deinde li-

brarij coniunxerunt utrumq. Ille icta. Ex eoq. na-

ta uarietas, Illectus, & Illetas, & Lactes.

Acuto sibi pondera filice: Acuto filice. Ouid. in.

- 6) IIII. *Fast. de eodem Atti. Ille etiam saxo corpus in-*
 7) *niavit acuto. Testa, Iuuen. Sat. vi. Mollia qui ru-*
 8) *pta secuit genitalia testa. Pondera: Idem O-*
 9) *uid. in eodem. A pereant dicebat adhuc, onus in-*
 10) *guinis aufert. Nullaq. sunt subito signa relicta uiri*
 11) *Iuuen. Sat. 11. Phrygio quos tempus erat iam Mo-*
 12) *re superuacuum cultris abscindere carnem.*
 Itaq. ut relicta sensit sibi membra sine uiro] *Vir-*
rum, Virilia dicit, ut Arnob. in. v. aduersus her-
 13) *tes, Pinus illa solemniter, quae in matris infertur*
 14) *sanctum deae, nonne illius imago est arboris, sub*
 15) *qua sibi Attis uirum demessis genitalibus abstulit.*
 Etiam recente terrae sola sanguine maculās]
In manuscriptis omnibus, Et iam, duae uoces scili-
cet. Niueis citata cepit manib. leue tym-
panum Tympanum tubam Cybelles] Pri-
mam in Tympanum corripuit, ut Homerus, &
Maecenas in eo carmine, quod adducit Atilius,
 16) *Ades & sonante tympano quate flexibile caput.*
 17) *Homerus, Ρύμβω καὶ τυμπάνῳ ρείνιν Φρύγες ἰλάσκον*
 18) *ται. auctor uetus in Hymno posteriore in Cybelem,*
 19) *Τυμπανοτέρπη eam propterea uocat, quod in eius sa-*
 20) *cris adhibeantur tympana. Ερχεο πρὸς τελετὴν ᾧ*
 21) *πότνια τυμπανοτέρπη. Et in priore, Τυμπανόδου πε,*
 22) *φιλο Ἰσρομανές, Χαλκόκροτε κόρυνη. Quae singula il-*
 23) *lius uerba cōferenda sunt cū Catullinis. Tubam au-*
 24) *tem dicit Tympanum, quod sit βαρύβρομον. Euri-*
 25) *pid. in Bacch. Βαρυβρόμων ὑπὸ τυμπάνων. Sed in*
sacris Cybeles quae sonum ederent sex fere inuenio,
 26) *ρύμβον,*

ῥύμβον, τύμπανον, cymbalum, tibiā, cornu, & κρό-
 τάλον. Colligam locos aliquot ueterum poetarum.
 Primum illum quem supra posui Homeri, deinde
 Lucretij in. II. Tympana tenta sonant palmis, &
 cymbala circum Concaua, raucisonoq. minantur
 cornua cantu, Et Phrygio stimulat numero quae ti-
 bia mentes, Telaq. praeportant uiolenti signa furo-
 ris. Ouid. in. IIII. Metam. Impulsaq. tympana
 palmis. Concauaq. aera sonant, longoq. foramine
 buxus. Et idem in. IIII. Fast. Quererere multa
 libet, sed me sonus aeris acuti Terret, & horren-
 do lotos adunca sono. Ac post. Cymbala pro galeis,
 pro scutis tympana pulsant, Tibia dat Phry-
 gios, ut dedit ante, modos. Ac post, Protinus infle-
 xo Berecynthia tibia cornu Flabit. Et tamen Oui-
 dius Cornu non secernit a Tibia; ut fecit Lucre-
 tius. De rhythmo in Etymologico magno, Ρύμβος
 καὶ τυμπάνω ῥεῖν φρύγες ἰλάσκονται. μουσικῶς σανα-
 δίω ὃ σρέφουσιν εἰς τὸν ἀέρα, καὶ ἦχον ἐμποιοῦσι. ρύμ-
 βος δὲ καὶ ῥόμβος διχῶς λέγεται. ἐσι δὲ τροχισκός,
 ὃν τύπτοντες ἱμάσι καὶ σρέφοντες ποιοῦσι περιδονεῖσθαι
 καὶ φόρον ἀποτελεῖν. ρύμβον δὲ αὐτὸν Ευπολις εἶπε.
 καλεῖται δὲ καὶ βρυτήρ. Pindarus autem Rhyth-
 mos a Cymbalis non uidetur distinguere, cuius
 uersus sunt apud Strabonem in. X. Σοὶ μὲν κατάρχει
 μᾶτερ πάρα μεγάλοι ρύμβοι κυμβάλων ἑνδεκ' ἀχλά-
 δων κρόταλ' αἰδόμενατε δαΐς ὑπὸ ξαντῆσι πέλκαις.
 Docet eodem loco Strabo, Eι Cybeles apud Phry-
 gas, & Liberi patris apud Graecos sacra prope
 eadem

eadem fuisse. — tua mater initia] *Initia*,
 » *sacra ipsa*, Varro in II. de re rust. Ab suillo enim
 » genere pecoris immolandi initium sumptum uide-
 » tur, cuius uestigia, quod initijs Cereris porci im-
 » molantur, & quod initijs pacis foedus cum feritur,
 » porcus occiditur. Quo uerbo saepe utitur Iulius
 Firmicus in proemijs, lib. V. VI. VIII. Arno-
 bins in V. Unde igitur probamus historias has om-
 nes esse rerum gestarum conscriptiones. Ex sol-
 lemnib. scilicet sacris, atq. initiorum mysterijs,
 uel quae statis fiunt temporib. ac dieb. uel quae in
 abdito tradunt genitis, moris proprij proprietate
 » seruata. Iustinus in V. Interim concitator & dux
 » eius Alcibiades absens Athenis insimulatur, my-
 » steria Cereris, initiorum sacra, nullo magis, qua
 » silentio solemnia enuntiauisse. Quatiensq.
 » terga tauri] Tympanum ipsum. Ouid. in Ibin.
 » Attonitusq. secus, ut quos Cybeleia mater Incitat,
 » ad Phrygios uilia membra modos. Deq. uiro fias,
 » nec femina, nec uir, ut Attis, Et quatiens molli
 » tympana rauca manu. Terga uero & idem Ouid.
 » sic dixit in. IIII. Fast. Aera deae comites, rau-
 » caq. terga mouent. Agite, ite ad alta Gal-
 lae Cybeles nemora simul] *Alta*: δασὴ καὶ οὐμ-
 » ρυτα. Auctor uetus in Hymno Curetum, Ma-
 » trem deum propterea uocat ὀρειομανῆ. Erran-
 » tem, & bacchantem montibus. cuius ab amorem
 » insaniae ab eodem etiam dicitur φίλοισπος. Atq.
 » idem auctor in priore in Rheam Hymno, Ουρεσιν
 » ἢ χαίρειν.

ἢ γαίπερ. Vibius Sequester de montib. Cybelum
 montem Phrygiae esse scribit. itaq. legi etiam pos-
 sit, Cybeli nemora. Simul ite] sic apud Eu-
 rip. in Bacch. Chorus idem uerbum iterans, Ite
 ἄλλοι, ἴτε βάρχοι. Aliena petentes pe-
 de ut exules loca celeri] In manuscriptis uarie,
 Alienaq. petentes uelut exules loca celeri. Et, A-
 lienaq. petens uelut exules loca celeri. Et, Alie-
 naq. petentes uelut exules loco celeri. Guarinus,
 quiq. eum post secuti sunt, legunt, Aliena quae pe-
 tentes uelut exules loca. In priore Aldi editione est,
 Aliena petentes uelut exilio loca celeri. Guarinus,
 nec ij, qui eius sectam secuti sunt, non uiderunt de-
 siderari pedem ad extremum tribrachyn, pro quo
 pyrrichium locant. etiam si nec illam. S. litterae
 in uerbo Exules elisionem ualde probo. At ea, quae
 tum in manuscriptis, tum quae in impressis libris
 lectio est, legitimos huius carminis numeros sub-
 ruit, atq. euertit. itaq. & de priore Aldi editio-
 ne, & de manuscriptis quod commodum uisum est
 carpens, nec a manuscriptorum lectione longe ab-
 iens uersum conficiebam, quasiq. compingebam,
 quomodo poetam ipsum scripsisse suspicabar, Alie-
 naq. petite pede exilio loca celeri. Nam, quod Gal-
 las Attis properare iubet, tribrachy citissimo pe-
 de, quibus locis potuit, uersum Poeta frequentauit,
 & quam potuit, maxime crispum reddidit. cri-
 spos enim uersus huius generis Atilius uocat, in
 quib. iambs in brachysyllabum soluitur. Pede au-
 tem

- tem est quidem uox ipsa & in Aldi priore editione, & omittendā non esse declarat idem Catullus post,
- » *Rapidae ducem sequuntur Gallae pede propero.*
 Exilio autem dandi casu, cum uulgo minus, quid id esset, intelligerent, glossēma quod interpretaretur, erat appositum, uelut exules quod in κείμενον ipsum post inrepens uersum corruptit. At Aldi liber alterum retinuit, altero cessit. Hilarate excitatis errorib. animum] sic etiā in duob. manuscriptis, ut uocales libere concurrant inter se, extrema uerbi Hilarate, & princeps uerbi, Excitatis. In libro Achillis Maffei erat, Hilarate crocitatis. Ex quo faciendum omnino, Concitatis. Phrygiam ad domum Cybelles]
- » Sic post. Itaq. ut domum Cybelles tetigere lassulae.
 » Et in Epithalamio, Crononisq. domos. Intelligit
 » autem idam, dindymum, & τὰ λόβρινα ὄρη. de quib. Nicandri interpres! Vbi cymbalum sonat uox] τῶν κυμβάλων. & scriptum fuisse puto aut Graece, aut Latine Cymbalon, ut post, Chalybon, siue χαλύβων. in manuscripto tamen uno, non Vox, sed Nox; ut dicat, Nox ipsa sonat cymbalum. quod ferendum etiam uidetur. Cymbala uero Deum matris esse sacra declarat etiā in. IIII.
- » Georgicor. Vergil. Et Matris quate cymbala circum.
 » cum. Et absolute matrem dixit, Cybellem intelligens. Tibicen ubi canit Phryx curuo graue calamo] Canit graue. ut, Canit indoctum. & Dulce canit, more Graecorum. Graue fortasse

tasse dixit, quod Phrygijs modis tristia canerent.
 ut auctor est Acron interpres Horati. Sed idem
 tamen paulo ante dixit, Hilarate concitatis erro-
 rib. *animum*. Non conuenit igitur triste Gallas
 canere, quas esse uult hilares. an potius soni ma-
 gnitudinem sic significat, ut Eurip. de Tympanis
 eodem modo, Βαρυβρόμων ὑπὸ τυμπάνων.

Vbi capita Maenades] *Anapaestus primus, in*
proceleusmaticum solutus. Ut post, Ego mulier, ego
 adulescens. Et, Ego uiridis algida idae. nisi legi
 etiam uelis, Ut capita. pro, Ubi. quod tamen nul-
 lis manuscriptorum suffragantibus fieret. Vi au-
 tem capita iacere, idest rotare. Quintilianus de
 gestibus, & oratoris pronuntiatione. Maecenas
 in superiore uersu dixit, Quatere flexibile caput.
 Vbi sacra sancta acutis ululatib. agitant] Pul-
 sant. Horat. Zephyris agitata tempe. Ululatibus:
 ὀλολύμασι. Poeta uetus in priore in Rheā Hymno.
 ὄυρεσιν ἢ χαίρεις, θνητῶντ' ὀλολύμασι φρικτοῖς. Ve-
 tus Poeta apud Atilium, Latus horreat flagello,
 comitum chorus ululet. Acutis: εὐνήσει.
 claris. catis. Sic enim uidetur Ennius apud Varro
 nem de lingua Lat. accipere. Iam cata signa strae
 sonitum dare uoce parabant. Sed hoc docti uide-
 rint. Ouidius, sicut Catullus; Sonus aeris acuti.
 Simul haec comitib. Attis cecinis noua mu-
 lier.] In manuscriptis omnibus, Nota mulier. in-
 terpone aspirationem, & fac, Notha. multo concin-
 nius feceris. Sic ante, Et notho Luna lumine luces.

Nec

Nec enim uere mulier erat, quamuis aberant uirilitatis signa. Aldus ante sic impressit, ut esse imprimendum iudicamus. - linguis trepidantib.]

Vertentib. salientibus, sonantibus. quo modo saepe Horatius eodem uerbo est usus. - caua cymbala recrepant] in nonnullis manuscriptis, Increpant. quod idem nonnumquam significat.

» Horat. in. I. Carm. Quis post uina grauem militiam
 » aut pauperiem increpat. Quo loco plura nos in nostris in Horatium Commentationibus. Erit ergo & hoc loco uocalium liber ipse concursus.

Viridem citus adit Idam] Crispus uersus, ut
 » & sequens, Furibunda simul anhelans.

Animo egens] In manuscriptis, Animi geris. & Annea gens. Quae etsi sunt praua omnia, legendum tamen arguunt, Animi egens, magis quam Animo egens. Animi agens, ut Inops animi dicitur. Et Virtutis egens apud Lucret. & Vergilium. Animum uero etiam post pro Mentis sanitate ipsius dixit.

» Sic Seneca in Hercule furente. Ut possit animo captus
 » Alcides agi. Dum breue tempus animus est,
 » idest, animi ratio. Sic Macrob. in. III. Saturn.
 » Sed qui diligentius eruunt ueritatem, penates esse
 » dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus,
 » per quos rationem animi possidemus. idem credo quod dicit alibi Catullus, & saepe
 » Lucretius, Mens animi.

Itaq. ut domum Cybelle tetigere lassulae] Et diphthongos, & tempora partitur in syllabas. tempora quidem.

quidem, ut hic, in uerbo *Lassulae*. *Lae* enim syllabae longae tempus alterum dactylo antecedenti, subsequenti tribrachy alterum tribuit. Idem fecit in uerbo, *Leonibus*, illo post in uersu, *Ubi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus*. Diphthongum uero diuisit idem post, *Iam iam dolet, quod egi, iam iamq. paenitet*. *Ae* enim diphthongum in uerbo *Paenitet* diuisit, ac soluit in uocales duas.

Sine Cerere]
Cereris sine munere. *Ouid. in Metam. Terent. eodem modo, Sine Cerere, & Baccho*.

Piger his, labantes langore, oculos sopor operit] *Quod ex labore accidit. Terent. in Eunucho,*

Opus faciam, ut defatiger, usq. ingratis ut dormiā.

In Maffei libro, ac Patauino, Labante. itaq. stat

uersus, quasi in labēte, uel labare qui facit. Propert.

tamen in. II. Labantes ocellos dixit in eadem sententia.

Quamuis labentes tegetet mihi somnus ocellos. Vergil. eodem fere modo in. IIII. Georg. In cae

pto tegetet cum lumina somno. Et in. XII. Ac uel

ut in somnis oculos ubi languida pressit Nocte quies. Eodem modo. Q. Calaber in. I. de dormiente Pen

thesilea, ὕπνος δὲ οἷός ἐσ' ἐκάλυψεν Νήδυμος ἀμφοτε

σών. Auantius tamen legit, Piger his labori nantes

oculos. Et quae sequuntur. Librosne ueteres secutus non explicat. Languorem pro somno dixit Ouid. in.

XI. Metam. Quo cubat ipse deus membris languore solutis. Ac postea, Et rursus molli languore solutus.

- rabidi furor animi] Sic Vergil. in.

VI. de Sibylla furente, & ἐνθεομένη. Tanto magis

P

» ille

- „ ille fatigat Os rabidum, fera corda domans. Et i-
 „ dem post Catullus, Rabie fera carens dum breue tē-
 „ pus animus est. Et item post, rapida sine rabie. Et
 „ in extremo, *Alios age rabidos*. Sed ubi
 oris aurei] Ita fecerunt, opinor, homines ingeniosi
 ex *Horis aureis*, & *Oris aureis*, & *Heris aureis*.
 quae est omnis in manuscriptis uarietas. Verg. etiā
 „ similiter in. IIII. Georg. Taygete simul os terris of-
 „ tendit honestum Pleias. Atq. alibi idem Vergil.
 „ Ergo ubi purpureum nitidis Sol aureus undis Extu-
 lit os. At Auantius, Sed ubi ortus aureus sol. incer-
 tum, an librorum ueterum fidem secutus.
 Lustrauit aethera album] Sic *Albae luces a*
 „ *Martiali* dicuntur in. x. *Albae leone flammeo ca-*
 „ *lent luces*. Et *Ennius de Sole*, Interea sol albus re-
 „ cessit in infera noctis. Et in. vi. Ut primum tene-
 „ bris abiectis in albat dies. *Venustissima* posuit epi-
 „ theta, *Aethera album, Sola dura, Mare ferum*.
 Sola dura] *Phrygiae loca aspera, Idam montem*
 scilicet. Mare ferum] *Bassus in epigrama*
 „ *mate πόντον θρασύ* dicit. Μήτέ με χείματι πόντος
 „ ἔργοι θρασύς. Vbi somnus] In manuscriptis o-
 „ mnibus, Ibi somnus. Simul ipsa pectore
 Attis sua facta recoluit] In manuscriptis omnib.
 Ipse. atq. in *Patavino* pro *Recoluit, Reuoluit*. quod
 probandum uidetur. ut ultimam soluas in duas, *Ca-*
 „ *tulli more ipsius*. Liquidaq. mente]
 Pura, uacua ab insania. Sic opinor *Euripides in*
 „ *Hippolyto coronato*, Οὐ ἔτι γὰρ καθάρων φρέν' ἔχω.
 Et

Et Plautus in Epidico, Animo liquido, & tranquil-
 lo es, tace. Verg. in. XII. idem significans, Ut primum
 discussae umbrae, & lux reddita menti.

- reditum ad uada tetulit] In manuscriptis, Re-
 tulit. Illud rectius. Sic enim alibi, Si reditum tetulis-
 set.

Vbi maria uasta uifens] In manuscri-
 ptis omnib. Ibi. quod est rectius.

Patriam ad-
 locuta est ita uoce maesta miseriter] Auantius
 legit, Patriam adlocuta maesta est ita uoce miseri-
 ter. nec tamen exprimit, an libris hoc ueteribus fa-
 ciat auctorib. In manuscriptis omnib. quib. utebar,

erat, Patriam adlocuta est ita uoce miseritus maie-

stas. nisi quod in Patavino pro, Miseritus, Miser-

tus. Ego uero cum docuerim ante in manuscriptis

omnib. esse, Simul ipse peccatore Attis, ut constet ge-

nus, Adlocutus hoc loco legendum censeo. Et ante

enim Poeta ipse masculino genere extulit, Trepidā

tem eum recepit, & cetera. Et de se Attis ipse post,

Ego quam miser relinquens. Itaq. totum sic lego, Pa-

triam adlocutus, & se est ita uoce miseritus. Se e-

nim quoq. ipsum adloquitur, Egone a me a remota,

& quae sequuntur. Et post, Miser, a miser, & reli-

qua. Miseritus autem antique dictum pro Miser-

tus, uel aduerbium, quale Humanitus, Diuinitus,

& id genus multa. Supra Miseritus, scriptum opi-

nor fuit Maestus glossema, quod corruptum post in

Maestas, & in contextum inrepsit.

Patria o mea creatrix] Creatrix idem quod Gene-

trix, quod statim addit, sic Verg. in. VII. Hoc signū

» cecinit missuram diua creatrix. Ut apud ni-
uem, & ferarū gelida stabula forem] Est enim

» Phrygia βόρειος. quod ostendit Nicander in Αλεξι-

» -φάρμακοις. η γὰρ δὴ σὺ μὲν ἄγχι πολυτροίβοιον θα-

» λάσσης Ἀρκτον ὑπ' ὀμφαλόεσσαν ἐνάσασο, ἢ χίτε ρείης

» Δοβρίνης θαλάματε, καὶ ὄργασήριον ἄπλω.

Et earum omnia adirem furibunda latibula]

Sic etiam in manuscriptis omnib. Legendum puto,

Et earum ut omnia adirem furibunda latibula. Vo-

cales uero duae extrema in uoce Omnia eliduntur.

quod fecit etiā Flaccus non semel, ut in. III. Carm.

» Vos lene consilium & datis, & dato.

Cupit ipsa puppula ad te sibi dirigere aciem]

Sic Puppulam pro oculo ipso posuit Manilius. in.

» IIII. Paruula sic totum peruisit pupula caelum.

- dum breue tempus animus est] Breue tempus,

ἐπιρρήματικῶς, ut, V num diem, Duos annos, & id ge-

» nus cetera. Idem post, Ibi semper omne uitae spatium

» famula fuit. Et Lucret. in. IIII. Sed minimum quod

» nis nequeat consistere tempus. Quod more Graeco-

» rum dixit Hom. Οὐ Νέμεσις πρῶάστε καὶ Δικνημίδας

» ἀχαιούς τοιῆ δ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πά-

» χειν. Ego ne a mea remota haec ferar in

nemora domo. Patria, bonis, amicis] Simili e-

numeratione utitur apud Euripidem Hippolytus.

» Ἀλλὰ χαίρετο πόλις καὶ γαῖ' Ἐρεχθέως ὠπεδον προίξῃ

» νιον ὧς ἐγκαθησῶν πολλ' ἔχεις δ' δαίμονα. χαῖρ' ὕσα-

» τον γὰρ σ' εἰσορῶν προσφθέγγομαι. ἰτ' ὦ νέοι μοι τῆςδε

» γῆς ὀμήληκες. Et quae sequuntur. Et idem in Me-

dea

» dea sic domum patriamq. coniunxit. Ω πάτρις, ὅ
 » δῶμάτ' ἐμόν. Et paulo post, quam sit sua cuiq. cara
 » patria. Μόχθων δ' οὐκ ἄλλος ὑπερθεῖν, ἢ γὰρ πα-
 » τρίας σέρεσαι. Abero foro, palaeſtra,

ſtadio, & gymnasiis] Sic etiam est in manuscri-
 ptis. bene omnino *Quantius*, quo ſtet uerſus, *Atq.*
gymnasiis. Sunt, qui legi poſſe putent, *Abero foro, pa-*
laeſtra, ſtadioq. gymnasiis.

Quod enim
 genus figurae est, ego numquid abierim] In
 manuſcriptis est, *Quod enim genus figura est, num-*
quid abierim, Et, Quod enim genus figura est, ego
non quod haberim. Et, Quod enim genus figura est,
ego non quid abierim. Quarum omnium optima im-

preſſa lectio, niſi quod mihi mutandum uidebatur
Abierim, in, Obierim, ut ſe diem obiffe addubitet,
 & in figuram longe aliam mutatum. *Ouid. in. I.*

» *Amorum ſic figuram dixit, Nunc mentis uitio lae-*
 » *ſa figura tua eſt. Ego gymnaſii fui floſ]*

Gymnaſi malim per. I. ſimplex, quae uetus erat ſcri-
bendi conſuetudo. Sic autem poſt Iuuentium ipſum
Veronenſium dicit iuuenum florem. In gymnasiis
autem iuuenes uerſari ſolitos, etiam Ibycus demon-

» *ſtrat apud Stobaeum, Γυμναſίων τε νέοις, αὐλῶν τε*
 » *καὶ κόμων μέλει. Ego eram decus olei] Pa-*

laeſtrae. dicuntur enim propterea unctae palae-
ſtrae, quod qui iſ certabant, oleo ungebantur.

- mihi limina tepida] Sic quoq. *ſummam frequē-*

» *tiam Cic. ſignificat in. II. Philipp. Calebant, inquit,*
 » *in interiore aedium parte totius reip. nundinae.*

- ,, idest frequentes erant. multi uenibant, multi eo con-
 ,, fluebant. Sic enim legitur in optimo Philippicarum
 exemplo, quod est secutus Gabriel Faernus. Eodem
 ,, prope modo Statius in. i. Thebaid. Laetatur Adra-
 ,, stus obsequio feruere domum - Simile quiddam mi-
 ,, hi uidetur Ibycus significare apud Stobaeum de pa-
 ,, ce, Συμποσίων δ' ἐρατῶν βριδόντ' ἀγχαί, παιδικοῖς δ'
 ,, ὕμνοι φλέγονται. Mihi floridis corollis
 redimita domus erat] In manuscriptis omnibus,
 Circulis, pro Corollis. Sed praeue, opinor. Legendum
 etiam fortasse Floreis, ut apud Tibullum in. ii. in
 ,, manuscriptis est, Te meminisse decet, quae plurima
 ,, uoce peregi Supplice, cum postea florea ferta darem.
 ,, Et apud Plautum in Aulul. Nunc tusculum emi,
 ,, & coronas floreas. Sic enim in ueteri Prisciani li-
 ,, bro in. ii. hic uersus scriptus exstat. Lucret. in eo-
 ,, dem genere, in. iiii. At lacrimis exclusus amator
 ,, limina saepe Floribus, & sertis operit, postesq. super
 ,, bos Vngit amaracino, & forib. miser oscula figit.
 Ego ne deum ministra, & Cybeles famula fe-
 rar] Tribrachyn primo loco posuit, cum semper aut
 anapaestum, aut spondaeum posuerit. Sic proprie di-
 cebantur Galli famuli Idaeae matris. Cic. in. iiii.
 ,, de Legib. Praeter Idaeae matris famulos. Et Ma-
 ,, nil. in. iiii. Phrygia Nemeae potiris Idaeae ma-
 ,, tris famulus. Idem Catull. post, Ibi semper omne ui-
 ,, tae spatium famula fuit. - niue amicta lo-
 ,, ca] Simile huic. illud Horatianum, Hebrusq. niua
 ,, li compede uinctus. Vbi cerua siluicultrix, ubi
 aper,

aper nemoriuagus] Sunt haec dithyrābica, Sil-
 xicultrix, Nemoriuagus. quo de genere Dionysius
 Halycarn. in Arte. Docui autē, Strabone auctore,
 eadē prope esse apud Graecos Liberi patris sacra,
 quae apud Phrygas Matris deum. itaq. & nume-
 rus ipse, & uerborum idem genus. Lucret. in. II.

Montiuagū genus dixit, feras ipsas: Vnde etiā flui-
 das frondes, & pabula laeta Montiuago generi
 possit praebere ferarum. Iam iam quoq.

paenitet] In manuscriptis, ut & olim Aldus im-
 pressit, Iam iamq. atq. hoc modo uersus etiam
 ipse stat. Roseis ut huic labellis palam fo-

nitus abiit] In manuscriptis omnibus Palam,
 nullum uerbum. quod etiam monuit Auantius.
 itaq. praestat uacuum locum relinquere, quam a-
 lieno uerbo occupare. in isdem libris, Adijt, non
 Abijt. Sed illud rectius. Geminas deorū

ad aures noua nuntia referens] Deorum dixit,

cum ante etiam posuerit, Ego ne deum ministra
 uel quemadmodum Graeci opinor quasi prouerbio,

ἢ ἄδεν εἰς ὦτα θεῶν. Et Vergil. Partem aliquam uen-

ti diuum referatis ad aureis. Et Horat. Et Iouis

aurib. ista Seruas. Vbi iuncta iuga resol-

uens Cybele leonibus] Verg. in. x. de Cybele,

Cui Dindyma cordi, Turrigeraeq. urbes, biu-

gig. ad frena leones. Et Manil. in. II. Iuppiter &

cum matre deum regit ipse leonem. Gabriel Faer-

nus nummum habebat aereum, in quo imago Com-

modi Imp. & a parte altera Cybele ipsa leoni insi-

dens cum inscriptione, MATER. DEVM. CON-
SERVATRIX. Laeuumq. pecoris hostē].
Omnia etiam animalia Pecus uideatur Horat. ap-
pellare in. I. Serm. Cum prorepserunt primis ani-
malia terris Mutum, & turpe pecus. Age-
dum, inquit, age ferox, hunc agedum ag-
gredere furor] Sic Auantius, aliter Guarinus.
Sed neutro modo in manuscriptis, in quib. erat
hoc modo scriptum. in uno, Agedum, inquit, a-
ge ferox fac ut hunc furor. In duobus, Agedum in-
quit age ferox ut hunc furor. In quo cum non sylla-
bae tantum, sed uoces integrae ipsae, ac pedes de-
siderentur, ea sum religione, ut audendum aliquid
non putem. in optimis enim emendandis auctori-
bus sine ueterum subsidio libror. mihi quidem non
licet esse tam disertus, nec, si liceat, libet. Apud
Plautum in Menaech. eodem prope modo equos A-
pollinis adloquitur Menaechmus, usus pari nume-
rorum celeritate, Agite equi facitote sonitus un-
gularum appareant. Cursu celeri facite in flexu
sui pedum pernicitas. Fac, ut furoris ictu
reditum in nemora ferat] Plutarchus in libro
cui titulus πρὸς κολοτήν, hunc furoris ictum ἀσραγα-
λωτήν dictum fuisse significat opinor his uerbis,
Ἄλλ' οὐκ ἐλεύθερος οὗτος ὧ μνηστέωρ ἐστίν, ἀλλ' ἀνε-
λεύθερος καὶ ἀνάγωγος, καὶ ἔδ' ἐμάστιγος ἐλευθέρας,
ἀλλὰ τῆς ἀσραγαλωτῆς ἐκείνης, ἢ τοὺς γάλλους πλημ-
μελοῦντας ἐν τοῖς μνηστέωσις κολλάζουσιν. nam Ασρα-
γάλος inter alia significare etiam tradunt παι-
σικόν

σιχὸν βόλον. qui Attin ipsum haec memorantem ac
dum cessantem ferit. Mea libere nimis qui

fugere imperia cupit] Sic Horat. Imperium

videtur dixisse in. I. epist. ad Torquatum, Sin me-
lius quid habes, arcesse, uel imperium fer.

Age, caede terga cauda] Quo te incites ipse,

& iram colligas. Hesiodus in Scuto. πλεῦράν τε

καὶ ὤμους ὀυρή μασιγῶν ποσσὶ γράφει, οὐδέ τις αὐ-

τὸν ἔπλη ἐς ἄντα ἰδὼν, χεδὸν ἐλθεῖν οὐδὲ μάχεσθαι.

- tua uerbera patere] ita omnino esse debet, itaq.

est in Maffei libro, & Patavino, nisi quod Veru-

uera pro Verbera uitiose. - loca retonent]

Sic in duob. manuscriptis. in uno, Redundent,

praeue. Rutilā ferox torosa ceruice qua-

te iubam] Sic Alcaeus, Ἐκ δὲ τενοῦλων Ἐνθα ῥυμ-

ἑπτην ἐσροβάλιζε φόβην. - religatq. iuga ma-

nu] Religare hoc loco Soluere, contrarium simpli-

ci, ut Refigo quoq. & Refodio aliud, ac simplex

significant. Ferus ipse sese adhortans] In

manuscriptis omnibus idem uitium insedit, Ador-

talis, pro Adhortans. Quod autem Ferum dicit,

ita bestias fere uocabant omnes. Verg. in. II. Aen.

de equo, In latus, inq. feri curuam compagib. al-

uum. Et in. VII. de ceruo, Peḗtebatq. ferum. Lu-

cretius in. II. Cybele leones feras dicit. Hanc uete-

res Graium docti cecinere Poetae Sedibus in curru

biuges agitare leones Aeris in spatio magnam

pendere decentes Tellurem, neq. posse in terra si-

stere terram. Adiunxere feras, quod quamuis ef-

fera

- » fera proles, Officijs debet molliri uicta parentum.
 » Callimachus de sue, in Hymno in Dianam, Εχει
 » δ'έτι θηρὸς ὀδόντας. Atq. alibi de leone idem Cal-
 » limachus, Θηρὸς ἀερίάζων δέρμα καταμάδιον. Eu-
 » ripides in Hercule furente de leone quosq. Πρῶτον μὲν
 » δειὸς ἄλσος ἠρήμωσε λέοντος Πυρσῶ δ' ἀμφικαλύφθη
 » Ξανθὸν κράτ' ἐπινώτισας Δεινῶ χάσματι θηρὸς.

Vadit, infremit, refringit] In manuscriptis
 omnib. Vadit, fremit, refringit. itaq. legit Auan-
 tius suis in libris. qua de lectione dubitandum non
 est. nam si Vadit, infremit, legamus, erit pro ana-
 pæsto creticus, quod non licet. Refringit autem
 » eodem modo. Statius in. I. Thebaid. dixit, Et
 » prono uirgulta refringit Pectore. - ille de-
 » mens] Exterritus, attonitus. Dea ma-
 » gna, dea Cybelle] Hac deprecatione poema fi-
 » nit. Sic Callimachus in Hymnis ad extremū pre-
 » cationem adhibet. Magnam deam hanc proprie-
 » uocabant. Propert. in. III. Vertice turrigero iux-
 » ta dea magna Cybelle. Et Stephanus περὶ πόλεων
 » in uerbo, Λῆμνος, hoc ipsum apertius, Λῆμνος, νῆστος
 » πρὸς τῆ Θράκη, δύο πόλεις ἔχουσα, Ηρακλίαν, καὶ Μύ-
 » ριναν, ὡς ἐκατάϊος Ευρώπη. ἀπὸ τῆς μεγάλης λεγο-
 » μένης θεοῦ, ἢ Λῆμνόν φασι. Macrobius in. III. Sa-
 » turn. de sententia Cassii Heminae Penates Μεγά-
 » λους θεοὺς uocari scribit. in quibus esse Iunonem
 » Vergilius significans dixit, Iunonis magnæ pri-
 » mum prece numen adora. Et Antimachus Ne-
 » mesim magnam deam dixit, Εσι δέ τις Νέμεσις με-

ἡρα θεός . . . - dea Dindymi domina] In manus
scriptis, Domina Dindymei. quam ille pedum com-
mutationem fecit, quod de syllabarum temporibus
nihil amittebatur. Quod autem in manuscriptis
est, Dindymei, hoc est solum uestigium ueteris scri-
pturae. I. enim longum per. EI. antiqui scribebant.

» Domina Dindymi & idem ante dixit, Nam quo
» tempore legit incohatam Dindymi dominam.

» - hera] Deos Heros alibi uocat, Hostia caelestes
» pacificasset heros. Et Ennius, Vos ne uelit, an me,
» regnare hera. - alios age rabidos] Hunc

esse uersum suspicor, quem Festus Pomp. adducebat
Catulli, in uerbo, Rabidus. Superest enim tantum

» uestigium, Catullu

DE NVPTIIS. PELEI. ET. THETIDOS

PELIACO quondam prognatae uertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus, & fines Aeaetaeos:
Cum lecti iuuenes, Argiuae robor a pubis,
Auratam optantes Colchis auertere pellem,
Ausu sunt uada salsa cita decurrere puppi,
Caerula uerrentes abiognis aequora palmis:
Diua quib. retinens in summis urbib. arces,
Ipsa leui fecit uolitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexae texta carinae.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quae simul ac rostro uentosum proscidit aequor,
Torta q.

Fortaq. remigio spumis incanuit unda,
 Emergere feri canenti e gurgite uultus,
 Aequoreae monstrum Nereides admirantes.
 Illaq. atq. alia uiderunt luce marinas
 Mortales oculi nudato corpore nymphas,
 Nutricum tenus extantes e gurgite cano.
 Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore:
 Cum Thetis humanos non despexit Hymenaeos:
 Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.
 O nimis optato saeculorum tempore nati
 Heroes saluete, deum genus: o bona mater:
 Vos ego saepe meo uos carmine compellabo.
 Teq. adeo eximie, aedis felicib. aucte,
 Emathiae columen Peleu, cui Iupiter ipse,
 Ipse suos diuum genitor concessit amores.
 Te ne Thetis tenuit pulcherrima Neptunine.
 Te ne suam Thetis concessit dicere neptem.
 Oceanusq. pater, totum qui amplectitur orbem.
 Quae simul optatae finito tempore luces
 Aduenere, domum conuentu tota frequentat
 Thessalia, oppletur laetanti regia coetu.
 Dona ferunt prae se, declarant gaudia uultu.
 Deseritur Scyros, relinquunt Phthiotica tempe,
 Graiugenasq. domos, ac nitenis alacrifera.
 Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant:
 Rula colit nemo: molescunt colla iuuenicis:
 Non humilis curuis purgatur uinea rastris:
 Non glaebam prono conuellit uomere taurus:
 Non falx attenuat frondatorum arboris umbram:
 Squalida

Squalida desertis robigo infertur aratris .
Ipsius at sedes, quacumq. opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atq. argento :
Candet ebur solijs: conlucent pocula mensis :
Tota domus gaudet regali splendida gaza .
Puluinar uero diuae geniale locatur
Sedib. in medijs, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylis purpura fuco.
Haec uestis priscis hominum uariata figuris,
Heroum mira uirtutes indicat arte .
Namq. fluentisono prospectans litore Diae
Thesaea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores :
Nec dum etiam seseq. sui tum credidit esse,
Vtpote fallaci quae tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena .
Inmemor at iuuenis fugiens pellit uada remis,
Inrita uentosae linquens promissa procellae :
Quem procul ex alga maestis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis prospicit euoe :
Prospicit, & magnis curarum fluctuat undis,
Non flauo retinens subtilem uertice mitram,
Non coniecta leui uelatum pectus amictu,
Non tereti strophio lactentis uincta papillas .
Omnia quae toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis allidebant .
Sed neq. tum mitrae, neq. tum fluitantis amictus
Illa uicem curans, toto ex te pectore Theseu,
Toto animo, tota pendeat perdita mente .

A misera,

*A misera, assiduis quam luctibus extenuauit
 Spinosa Ericyna serens in pectore curas.
 Illa tempestate, feroxq. & tempore Theseus
 Egressus curuis e litoribus Piraei,
 Attigit iniusti regis Gortynia tecta.
 Nam perhibent olim crudeli peste coactam
 Androgeoneae poenas exoluere caedis,
 Electos iuuenes, simul & decus innuptarum
 Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauris.
 Quis angusta malis cum moenia uexarentur,
 Ipse sum Theseus pro caris corpus Athenis
 Proicere optauit potius, quam talia Cretam
 Funera Cecropiae, ne funera portarentur.
 Atq. ita naue leui nitens, ac lenibus auribus,
 Magnanimum ad Minoam uenit, sedesq. superbas.
 Hunc simul ac cupido conspexit lumine uirgo
 Regia, quam suauis exspirans lectus odores
 Lectulus in molli complexu matris alebat,
 Quales Eurotae progignunt flumina myrtos
 Aura ue distinctos educit uerna colores,
 Non prius ex illo flagrantia declinauit
 Lumina, quam toto concepit pectore flammam
 Funditus, atq. imis exarsit tota medullis.
 Heu misere exagitans immitti corde furores
 Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
 Quaeq. regis Golgos, quaeq. Idalium frondosum,
 Qualib. incensam iactastis mente puellam
 Fluctibus, in flauo saepe hospite suspirantem.
 Quantos illa tulit languenti corde timores:*

Quanto

Quanto saepe magis fulgore expalluit auri:
 Cum saeuum cupiens contra contendere monstrū,
 Aut mortē oppeteret Theseus, aut praemia laudis.
 Non ingrata tamen frustra munuscula diuis
 Promittens, tacito suspendit uota labello.
 Nam uelut in summo quatientem bracchia Tauro
 Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum
 Indomitus turbo contorquens flamine, robur
 Eruit: illa procul radicib. extirpata
 Prona cadit, lateq. & cominus omnia frangit:
 Sic domito saeuum prostrauit corpore Theseus.
 Nequiquam uanis iactantem cornua uentis.
 Inde pedem uictor multa cum laude reflexit.
 Errabunda regens tenui uestigia filo,
 Ne Labyrinthis e flexib. egredientem
 Tecti frustraretur inobservabilis error.
 Sed, quid ego, a primo digressus carmine, plura
 Commemorem. ut linquens genitoris filia uultum,
 Ut consanguineae complexum, ut deniq. matris.
 Quae misera ignaro fleret deperdita lecto,
 Omnib. his Thesei dulcem praeferret amorem:
 Aut ut uecta ratis spumosa ad litora Diae:
 Aut ut eam dulci deuinctam lumina somno
 Liquerit inmemori discedens pectore coniux.
 Saepe illam perhibent ardenti corde furentem
 Clarisonas imo fudisse e pectore uoces,
 Ac tum praeruptos tristem conscendere montes,
 Vnde aciem in pelagi uastos protenderet aestus.
 Tum tremuli salis aduersas procurrere in undas,
 Mollia

*Mollia nudatae tollentem tegmina surae,
 Atq. haec extremis maestam dixisse querellis,
 Frigidulos udo singultus ore cientem.
 Siccine me patrijs abductam perfide ab oris,
 Perfide deserto liquisti in litore Theseu.
 Siccine discedens neglecto numine diuum,
 Inmemor, a deuota domum periuria portas.
 Nulla ne res potuit crudelis flectere mentis
 Consilium. tibi nulla fuit clementia praesto,
 Inmite ut nostri uellet miserescere pectus.
 At non haec quondam blanda promissa dedisti
 Voce mihi: non hoc miseram sperare iubebas,
 Sed conubia laeta, sed optatos Hymenaeos:
 Quae cuncta aerij discerpunt inrita uenti.
 Tum iam nulla uiro iuranti femina credat:
 Nulla uiri speret sermones esse fideles.
 Qui dum aliquid cupiens animus praegestit apisci.
 Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt:
 Sed, simul ac cupidae mentis satiata libido est,
 Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.
 Certe ego te, in medio uersantem turbine leti,
 Eripui, & potius germanum amittere creui,
 Quam tibi fallaci supremo in tempore deesse.
 Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusq.
 Praeda, nec iniecta tumulabor mortua terra.
 Quaenam te genuit sola sub rupe laeena.
 Quod mare conceptum spumantib. expuit undis.
 Quae Syrtis, quae Scylla uorax, quae uasta Cha-
 Talia qui reddis pro dulci praemia uita. (rybdis,
 Si tibi*

Si tibi non cordi fuerant conubia nostra,
Saeua quod horrebas prisca praecepta parentis:
Attamen in uestras potuisti ducere sedes,
Quae tibi iucundo famularer serua labore,
Candida permulcens liquidis uestigia lymphis,
Purpurea ue tuum consternens ueste cubile.
Sed, quid ego ignaris nequiquam conqueror auris
Externata malo. quae nullis sensib. auctae,
Nec missas audire queunt, aut reddere uoces.
Ille autem prope iam medijs uersatur in undis:
Nec quisquam apparet uacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore saeua,
Fors etiam nostris inuidit questib. aures.
Iupiter omnipotens, utinam nec tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes,
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Persidus in Cretam religasset nauis a funem.
Nec malus hic, celans dulci crudelia forma
Consilium nostris quaesisset sedib. hospes.
Nam, quo me referam. quali spe perdit a nitar.
Isthmoneos ne petam montes. at gurgite lato
Discernens patriam truculentum diuidit aequor.
An patris auxilium sperem. quem ne ipsa reliqui,
Respersum iuuenem fraterna caede secuta.
Coniugis an fido consoler memet amore.
Qui ne fugit lentos incuruans gurgite remos.
Praetereo litus: nullo sola insula tecto.
Nec patet egressus, pelagi cingentib. undis.
Nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta,

Q Omnia

Omnia sunt deserta : ostentant omnia letum .
 Non tamen ante mihi languescunt lumina morte ,
 Nec prius a fesso secedent corpore sensus ,
 Quam iustam a diuis exposcam prodita multam ,
 Caelestumq. fidem postrema comprecet hora .
 Quare facta uirum multantes uindice poena
 Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
 Frons exspirantis praeporat pectoris iras ,
 Huc huc aduentate, meas audite querelas ,
 Quas ego ue miserae extremis proferre medullis
 Cogor inops, ardens, amenti caeca furore .
 Quae quoniam uere nascuntur pectore ab imo ,
 Vos nolite pati nostrum uanescere luctum :
 Sed, quali solam Theseus me mente reliquit,
 Tali mente deae funestet seque, suosque .
 Has postquam maesto profudit pectore uoces,
 Supplicium saeuis exposcens anxia factis ,
 Annuuit inuidto caelestum numine rector ,
 Quo tunc & tellus, atq. horrida contremuerunt
 Aequora, concussitq. micantia sidera mundus .
 Ipse autem caeca mentis caligine Theseus
 Consitus, oblito dimisit pectore cuncta,
 Quae mandata prius constanti mente tenebat :
 Dulcia nec maesto sustollens signa parenti ,
 Sospitum, & ereptum se ostendit uisere portum .
 Namq. serunt, olim classi cum moenia diuae
 Linquntem gnatum uentis concrederet Aegeus,
 Talia complexum iuueni mandata dedisse .
 Gnate, mihi longa iucundior unice uita ,

Gnate,

Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus ,
 Reddite in extremae nuper mihi sine senectae ,
 Quandoquidem fortuna mea, ac tua feruida uirtus
 Eripit inuito mihi, te cui languida nondum
 Lumina sunt gnati cara saturata figura :
 Non ego te gaudens laetanti pectore mittam ,
 Nec te ferre sinam fortunae signa secundae :
 Sed primum multas expromam mente querelas ,
 Canitiem terra, atq. infuso puluere foedans :
 Inde infecta uago suspendam lintea malo ,
 Nostros ut luctus, nostraeq. incendia mentis .
 Carbasis obscura dicat ferrugine Ibera .
 Quod tibi si sancti concesserit incola Ithyni ,
 Quae nostrum genus, ac sedes defendere sueta ,
 Annuerit, tauri ut respergas sanguine dextram :
 Tum uero facito, ut memori tibi condita corde
 Haec uigeant mandata, nec ulla oblitteret aetas :
 Ut, simul ac nostros inuisent lumina colles ,
 Funestam antennae deponant undiq. uestem,
 Candidaq. intorti sustollant uela rudentes ,

*

Quamprimum cernens, ut laeta gaudia mente
 Agnoscam, cum te reducem sors prospera sistet .
 Haec mandata prius constanti mente tenentem
 Thesea, ceu pulsae uentorum flamine nubes
 Aerium niuei montis liquere cacumen .
 At pater, ut summa prospectum ex arce petebat ,
 Anxia in assiduos absumens lumina fletus ,
 Cum primum inflati conspexit lintea ueli,

Q 2 Praecipitem

Praecipitem sese scopulorum e uertice iecit,
 Amissum credens inmiti Thesaea fato.
 Sic funesta domus ingressus tecta paterna,
 Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
 Obtulerat mente inmemori, talem ipse recepit.
 Quae tum prospectans cedentem maesta carinā,
 Multiplices animo uoluebat saucia curas.
 At parte ex alia florens uolitabat Iacchus,
 Cum thiaso satyrorum, & Nisigenis Silenis,
 Te quaerens Ariadna, tuoq. incensus amore.
 Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
 Euae bacchantes, euae capita inflectentes.
 Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos,
 Pars e diuulso iactabant membra iuueno,
 Pars sese tortis serpentib. incingebant,
 Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis.
 Orgia, quae frustra cupiunt audire profani.
 Plangebant alij proceris tympana palmis,
 Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant,
 Multaq. raucisonos efflabant cornua bombos,
 Barbaraq. horribili stridebat tibia cantu.
 Talibus amplifce uestis decorata figuris,
 Puluinar complexa suo uelabat amictu.
 Quae postquam cupide spectando Thessala pubes
 Expleta est, sanctis coepit decedere diuis.
 Hic qualis flatu placidum mare matutino
 Horrificans zephirus procliues incitat undas,
 Aurora ex oriente, uagi sub lumina solis,
 Quae tarde primum clementi flamine pulsae
 Procedunt,

Procedunt, leuiterq. sonant plangore cachinni,
Post, uento crescente, magis magis increbrescunt,
Purpureaq. procul nantes a luce refulgent:
Sic tum uestibuli linquentes regia tecta,
A se quisque uago passim pede discedebant.
Quorum post abitum, princeps e uertice Peli
Aduenit Chiron, portans siluestra dona.
Nam quoscumq. ferunt cāpi, quos Thessala magnis
Montib. ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi secunda Fauoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus iucundo risit odore.
Confestim Peneos adest uiridantia Tempe,
Tempe, quae siluae cingunt superim pendentes,
Nereidum linquens claris celebranda choreis,
Non uacuus: namq. ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano, lentaq. sorore
Flammati Phaethontis, & aerea cupressu.
Haec circum sedes late contexta locauit,
Vestibulum ut molli uelatum fronde uireret.
Post hunc consequitur solerti corde Prometheus,
Extenuata gerens ueteris uestigia poenae,
Quam quondam, silici restrictus membra catena,
Persoluit, pendens e uerticib. praeruptis.
Inde pater diuum sancta cum coniuge, natisque,
Aduenit, caelo te solum Phoebere relinquens,
Unigenamq. simul cultricem montibus Idae:
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est.

Nec Thetidis taedas uoluit celebrare iugales,
 Qui postquam niueos flexerunt sedib. artus,
 Largae multiplici constructae sunt dapae mensae.
 Cum interea infirmo quatientes corpora motu,
 Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.
 His corpus tremulum complectens undiq. uestis,
 Candida purpurea talos intinxerat ora.
 At roseo niueae residebant uertice uittae,
 Aeternumq. manus carpebant rite laborem.
 Leua collum molli lana retinebat amictam:
 Dexter a tum leuiter deducens fila supinis
 Formabat digitis, tum, prono in pollice torquens,
 Libratum tereti uersabat turbine fusum:
 Atq. ita decerpens aequabat semper opus dens,
 Lanaeq. aridulis haerebant morsa labellis,
 Quae prius in leui fuerant extantia filo.
 Ante pedes autem candentis mollia lanae
 Vellera uirgati custodibant calathisci.
 Hae tum clarisona pellentes uellera uoce
 Talia diuino fuderunt carmine fata,
 Carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas.
 O decus eximium, magnis uirtutib. augens,
 Emathiae columen Peleu, clarissime nato.
 Accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores,
 Veridicum oraculum. sed uos, quos fata sequuntur,
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Adueniet tibi iam portans optata maritis
 Hesperus: adueniet fausto cum sidere coniux,
 Quae tibi flexo animo mentis perfundet amorem,
 Languidulosq.

Languidulosq. parex tecum coniungere somnos,
 Lenia substernens robusto brachia collo.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Nulla domus tales umquam contexit amores:

Nullus amor tali coniunxit foedere amantes:
 Qualis adest Theridi, qualis concordia Peleo.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Nascetur vobis expers terroris Achilles,

Hostib. haud tergo, sed forti pectore notus:
 Qui persaepe uago uictor certamine cursus
 Flammea praenertet celeris uestigia ceruae.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Non illi quisquam bello se conferet heros,

Cum Phrygi Teucro manabunt sanguine riuu,
 Troicaq. obsidens longinquo moenia bello
 Periuri Pelopis uastabit tertius heres.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Illius egregias uirtutes, claraq. facta

Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres,
 Cum tremulo incanos soluent a uertice crines,
 Putridaq. infirmis uariabunt pectora palmis.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Namq. uelut densas prosternens messor aristas,

Sole sub ardenti flauentia demetit arua,
 Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Testis erit magnis uirtutib. unda Scamandri,

Quae passim rapido diffunditur Helleſponto,
 Cuius iter caesis angustans corporum aceruis,

Alta tepefaciet permista flumina caede.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Deniq. testis erit morti quoq. dedita praeda,
 Cum teres excelso coacervatum aggere bustum
 Excipiet niveos percussae uirginis artus.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Nam simulac fessis dederit fors copiam Achivis
 Urbis Dardaniae Neptunia solvere uincla,
 Alta Polyxenia madescient caede sepulchra,
 Quae uelut ancipiti succumbens uictima ferro,
 Proiciet truncum submisso poplite corpus.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Quare agite, optatos animi coniungite amores,
 Accipiat coniux felici foedere diuam,
 Dedatur cupido iam dudum nupta marito.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Non illam nutrix orienti luce reuisens,
 Hesterno collum poterit circumdare filo.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Anxia nec mater discordis maesta puellae
 Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
 Currite ducentes subtemina, currite fusi.
 Talia praesentes quondam, felicia Pelei
 Carmina diuino cecinerunt pectore Parcae.
 Praesentes namq. ante domos inuisere castas
 Saepius, & sese mortali ostendere coetu,
 Caelicolae, nondum sprete pietate, solebant.
 Saepe pater diuum templo in fulgente reuisens,
 Annua dum festis uenissent sacra diebus,
 Conspexit

Conspexit terra Cretum procurrere currus .
 Saepe uagus Liber Parnassi e' uertice summo
 Thyadas effusis euantes crinib. egit,
 Cum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
 Acciperent laeti diuum fumantib. aris.
 Saepe in letifero belli certamine Mauors,
 Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia uirgo
 Armata hominum est praesens hortata cateruas .
 Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
 Iustitiamq. omnes cupida de mente fugarunt,
 Persudere manus fraterno sanguine fratres,
 Destitit extinctos natus lugere parentes,
 Optauit genitor primaeui funera nati,
 Liber ut innuptae poteretur flore nouercae,
 Ignaro mater substernens se impia nato,
 Impia non uerita est diuos scelerare penates,
 Omnia fanda, nefanda malo permista furore
 Iustificam nobis mentem auertere deorum.
 Quare nec tales dignantur uisere coetus,
 Nec se contingi patiuntur lumine claro.

Epithalamium in Pelei ac Thetidis nuptijs Agamestora Pharsalium primum scripsisse, tradit Lyco-
 phronis interpres. Quod etiam fecisse constat Hesio-
 dum, cuius ex epithalamio Thetidis, ac Pelei uer-
 sus citantur, quos suo loco ponemus. Quod autem Pe-
 leum, cum in Colchos iter haberet, Thetidem com-
 pressisse dicit, credo secutum eū aut, quem dixi, Aga-
 mestora, aut Hesiodum, aut utrumq. etiam. Apollo
 dor us

dorus quidem certe nihil, quod huic repugnet sententiae, scribit. Sunt, qui Epithalamium hoc esse nolint, quod abest pueror. puellarumq. canentium chorus. Peliaco quondam prognatae uertice pinus]
 ,, Sic ante, Nam cytorio in iugo Loquente saepe sibi-
 ,, lum edidit coma. Dicuntur liquidas
 Neptuni nasse per undas] Ouid. in. II. Amoris
 ,, prope ad haec accedens uerba, Prima malas docuit
 ,, mirantib. aequoris undis Peliaco pinus uertice cae
 ,, sa uias. Natate naues dixit ipsas, ut & Tibullus,
 ,, In liquida nat tibi linter aqua. Phasidos ad
 ,, fluctus] Manilius in. IIII. Phasidos ad ripas, &
 ,, Colchica regna reuexit. At Ouid. in. VII. Metam.
 ,, Multaq. perpeffi claro sub Iasone, tandem Contige
 ,, rant rapidas limosi Phasidis undas.
 ,, Cum lecti iuuenes] Sic Vergil. Cunctis nam lecti
 ,, nauibus ibant. In manuscriptis tamen nonnullis,
 Laeti. Apollodorus in. I. Bibliothecae hos ἀρισεῖς
 ,, proprie uocat. τῶν δὲ βεβρῦκων ὀρμησάντων πρὸς αὐ-
 ,, τὸν, ἀρπάσαντες οἱ ἀρισεῖς τὰ ὄπλα πολλοὺς φέρον-
 ,, τας φονδύουσιν αὐτῶν. Atq. alibi. Καὶ τότε μὲν εἰς
 ,, ἰδιμόν μετὰ τῶν ἀρισεῶν πλεῦσας, ἀνέθηκε τὴν ναῦν
 ,, ποσειδῶνι. Iuuenes autem hoc modo Graeci poetae,
 Κούρους uocant, Ennius eodem modo, quem omnino
 ,, imitatus Catullus uidetur, cuius uerba sunt, Qua
 ,, Argiui dilecti uiri uecti petebant pellem inauratā
 ,, arietis. Graeci poetae fortes uiros sic iuuenes fere
 ,, uocant. Vetus poeta apud Hephæstionem, Ἄγερ' ὦ
 ,, πᾶρτας ἔνοπλοι κούροι ποτὶ τὰν ἄρεως κίνασιν. Εἰ

Hom.

Hom. *την χεῖ' ἀλλ' ἀγαθὴν κουροτρόφος*.
 - Argiuae robor a pubis] *In manuscriptis omnibus, Puppis, non Pubis. Illud rectius. Sic Vergil. in.*
 VII. *Arcadas huic equites bis centum robor a puppis Lecta dabo.* Auratam optantes Colchis auertere pellem] *Sic idem Vergil. dixit in.*
 I. *Aeneid. Ardentesq. auertit equos in castra. Et incertus auctor in Ciri, Ausa quod est mulier numen fraudare deorum, Et dictam Veneri uotorum uertere poenam.* Ausi sunt uada falsa cita decurrere puppi] *Sic etiam Vergil. Currimus aequor. Cita puppi, vñi θεούση. Callimach. in Hymn. in Delon. Et saepe Hom. ἐπὶ νηῶσι δοαῖς. et Euripides ὀκυπόροις. Maiore uiro celeritate decurritur, quam curritur. Seneca in. IIII. declam. Itaq. diuus Augustus optime dixit, Aterius noster sufflamināndus est, adeo nedum currere, sed decurrere uidebatur.* Caerula uerrentes] *Et Catullus, & Vergilius Ennium uidentur imitati, cuius uersus ponit A. Gellius in. XXVI. cap. II. Uerrunt exemplo placide mare marmore flauo Caeruleū spumat sale conferta rate pulsu Per mare.*
 Diua quib. retinens in summis urbib. arces] *Quae praeest arcibus. Sic Attius apud Priscianū in. VI. Maia nemus retinens grauido concepit in aluo.* Ipsa leui fecit uolitantem flamine currum] *Vehiculum dixit Cic. in libris de Diuin. aut apud illum Attius. Atq. ille apud Attium inquit pastor, qui nauem numquam ante uidisset, ut*
 » procul

- » procul diuinum, & nouum uehiculum Argonautarum
 » e monte conspexit. Pacuuius Plaustrum dixit
 » Omnem non meo Oceano fulgerat citro Abrept
 » plastro Boreas bacchatur Rheno. Hesperio zephy
 » ro, Orion uoluitur Austro. Fulua paraetoni
 » iuga Cynthia proruit Austro. Quae si corrupta
 » sunt, quod uolo tamen apparet. Ex hoc genere
 » tralationis est, quod in. VI. Aeneid. Vergil. dixit,
 » Classiq. immittit habenas. Curru enim equi iun-
 » gebantur, quos regit auriga. Et Tiphis Argus
 » ipsius gubernator auriga dictus. Vetus Poeta apud
 » Carisium in. IIII. ac Diomedem de Metaphora in.
 » II. Tiphin aurigam celeres fecere carinae. Μετα-
 » φορικῶς opinor etiam Lycophron nauem dixit αὐ-
 » τουργότ & κτον βάριν. qua de re consulendus eius in-
 » terpres. Significat enim idem uerbum ἑρόνους, πύρ-
 » γους, αὐλάς, σοῦς, καὶ τεῖχος. Euripides in Iphigenia
 » uehiculum dixit, νῆϊον ὄχημα. Interpres Phaeno-
 » menon eorum, quae uertit Germanicus Arati, alios
 » aliud tradidisse scribit, Pallada quidem ipsam na-
 » uem Argo fabricatam, sed quosdam Danao puta-
 » re, alios Argonautis. Pineae coniun-
 » gens inflexae texta carinae] Carina quae pro-
 » prie dicatur, ostendit interpres Germanici in
 » Signo nauis. Texta autem dixit, de materia
 » ut & Vergil. in. II. Aeneid. Sectaq. intexunt
 » abiete costas. Illa rudem cursu pri-
 » ma imbuit Amphitriten] Rudem: intempta-
 » tum. aut figurate, pro rudis ipsa nauis. Amphitrite

trite autem Neptuni coniux, ut tradit idem Germanici interpretes in signo Delphini. in manuscriptis omnib. Primam. legendum forte, Illa rudis cursu primam imbuit Amphitriten. Quae

simul ac rostro uentosum profcidit aequor]

Et Verg. in Georg. dixit, Ventosa per aequora.

Totaq. remigio spumis incanuit unda] Sic est omnib. in manuscriptis, probior tamen lectio;

Torta q. Sic Vergil. in. IIII. Georg. Spumantem

undam sub uertice torsit. Et Ouid. in Fastis, Ille

meas remis nauita torsit aquas. Pro Incanuit au-

tem est omnib. in libris, Incanduit. quod idem o-

mnino est. Vergil. in. V. II. idem significans, Flu-

ctus uti primo coepit cum albescere ponto Paulatim

attollit sese mare. Et in. VIII. Sed fluctu spuma-

bant caerulea cano. Sic Mare canum a Graecis

poetis dici solet. Theogn. Πήθησεν δὲ βαδὺς πόντος

ἀλὸς πολίης. Et uetus Poeta, apud Hephæstio-

nem, Θῆν' ἐφ' ἀλὸς πολίης. Et apud eundem Ana-

creon. Ἀρδεῖς δ' ἤυτε ἀπὸ λευκάδος πέτρης εἰς πο-

λιὸν κύμα κολύμβω μεθύων ἔρωτι. Simili uerbo u-

sus Euripides in Iphigenia, idem, quod hic Ca-

tullus, expressit. λάβεθε κόπας, ῥόδια τε λευκαί-

νετε. Et apud Stobaeum Moschus. Ἀλλ' ὅταν ἀχῆ

ση πολιοῦς βυθός. Catullus autem expressit illud A-

pollonij in. I. σπάπτε δ' ὑπ' ἡελίῳ φλογὶ εἴκελα νηὸς ἰού

σης τεύχεα. μακρὰ δ' αἰὲν ἐλευκαίνοντο κέλευθοι.

Probabilem uero lectionem manuscriptorum libro-

rum facit id, quod sequitur, Candenti e gurgite.

quam-

» quamquam etiam post, *E gurgite cano. Lucretius*
 » idem significans in. II. dixit, *Vertitur in canos can-*
 » *denti marmore fluctus.* - monstrum] *Rem*
ante minime uisam. inusitatam. Illa atq.
 alia] *In manuscriptis omnib. Illa atq. alia, ut*
nihil elidatur, uel ut ego quidem existimo, Illac
 » atq. alia. Sic ante, *Ludentes numero modo hoc,*
 » modo illac. - uiderunt luce marinas Mor-
 tales oculi nudato corpore nymphas] *In*
duob. manuscriptis, Oculis. Earum, inquit, na-
turam, & quales quantaeq. essent, uiderunt. Sic
 » enim *Pindari interpres in illud Δῶρα καὶ κράτος*
 » *ἐξέφανεν. τουτέστι τὴν ἐαυτῶν φύσιν καὶ δύναμιν καὶ*
 » *τὸ εὐγενές αὐτοῖς, οὐ μεταβάλλοντες τὴν μορφήν ὡς*
 » *ἔδος θνητοῖς φαντάζεσθαι θεοῦς, ἀλλ' ἐν ταῖς ἰδίαις*
 » *μορφαῖς ᾤφθησαν αὐτῷ. Versus autem Apollonij,*
quos expressisse uidetur Catullus, etsi paulo alia
 » *sententia sunt, Πάντες δ' οὐρανόθεν λεῦσον θεοὶ ἡμᾶ*
 » *τι κείνω Νῆα. καὶ ἡμιθέων ἀνδρῶν μένος. οἷτοτ' ἀρι-*
 » *σοι Πόντον ἐπιπλώεσκον ἐπ' ἀκροτάτοισι δὲ νύμφαι*
 » *Πυλιάδες κορυφῆσιν ἐδάμβειον εἰσορώσασα Ἐργον ἄθη-*
 » *ναίης ἰτώνιδος, ἢ δὲ καὶ αὐτοῦς ἦρωας.* *Iam*
crurum tenuis] In manuscriptis omnibus, ut &
Aldus olim impressit, Nutricum tenuis. itaq. suo
in ueteri libro fuisse testatur Auantius, ut sit id,
quod Graeci dicunt, μέγρι τροφῶν. Cum The-
 » *tis] In manuscripto uno, & in hoc, & in sequenti*
uersu, Tum Thetidi. Iugandum Pelea
sensit] Iugandi uerbo sic etiam usus Horat. in Sae-
culari

2) culari carmine, Patrumq. Prosperes decreta su-
 2) per iugandis Feminis. Sensit autem Pontanus mi-
 tauit in Sanxit: quod in manuscriptis non est. ip-
 2) sae uero nuptiae Pelei Thetidisq. narrantur ab
 Apollodoro in. III. Bibliothecae. Pater ipse]
 Nereus. Heroes saluete deum genus]
 2) Hesiodiū expressit illud, Ἀνδρῶν ἠρώων θεῖον γένος,
 2) οἱ καλέονται Ἀθάνατοι. Teq. adeo eximie,
 taedis felicib. aucte Emathiae columen Pe-
 leu] In manuscriptis omnib. Thetis, pro T ae-
 dis. praeue. Hesiodum uero imitatus haec scripsit,
 2) cuius ex epithalamio uersus citantur, Τρὶς μάκαρ
 2) αἰακίδη καὶ τετράκις ὄλβιε Πηλεῦ, ὅς τοῖς δ' ἐν μεγά-
 2) φοῖς ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνεις. Cui Iupiter ipse,
 Ipse suos diuum genitor concessit amo-
 res] Eam enim amatam Ioui scribit Apollodorus,
 sed causas adfert, cur Peleo suos amores concesserit.
 2) scribit enim sic, Ἀυθὶς δὲ Πηλεὺς γαμῆι Θέτιν
 2) τὴν Νηρέως, περὶ ἧς τοῦ γάμου Ζεὺς, καὶ Ποσειδῶν
 2) ἤρισαν. Θέτιδος δὲ θεαπιόδουσης ἔσεσθαι τὸν ἐκ ταύ-
 2) τῆς γεννηθέντα κρείττονα τοῦ πατρὸς, ἀποχρόντας.
 2) ἔνιοι δὲ φασὶ Διὸς ὄρμῶντος, ἐπὶ τὴν ταύτης σωκσίαν,
 2) εἰρηκέναι προμηθεῖα τὸν ἐκ ταύτης αὐτῷ γεννηθέντα,
 2) οὐρανοῦ δυασδέειν. τινὲς δὲ λέγουσι μὴ βουληθῆναι
 2) Θέτιν δι' ἰσωελαθεῖν ὑπὸ ἥρας τραφεῖσαν. δία δὲ ὄργι-
 2) θέντα θνητῷ ἐβελῆσαι αὐτὴν σωοικῆσαι. Te
 ne Thetis tenuit] Διαπόρσις poetica in rebus
 optatissimis. Sic apud Terentium amator, Teneo
 ego te mea Antiphila. Ac Tenendi uerbo eodem
 prope

prope modo est usus. Te ne suam Tethis cō-
cessit ducere neptem] Etenim Oceano ac Te-
thide nati Nereus ac Doris. quorum filia Thetis.
Auiæ nomen scribi debet, Τήθυσ. Neptis, Θέ-
τις. differunt enim non scriptura tantum, sed &
quantitate syllabarum. Apollodorus in .I.

Oceanusq. pater, totum qui amplectitur or-
bem] In manuscriptis omnib. Oceanusq. mari to-
tum qui amplectitur orbem. quam probam rectāq.
iudico lectionem. Manil. in. IIII. in eandem sen-
tentiam, Ipsa notat tellus pelagi lustrata corona
Cingentis medium liquidis amplexib. orbem. Et
Poeta uetus, Κύκλον ἀκαμάτου καλιρρόου ὠκεανοῖο ὅς
γαῖαν δίνῃσι περιτρέχει ἀμφιελίξας. Opple-
tur laetanti regia coetu] similiter Statius in. I.
Thebaid. Diffuderat Argos Expectata dies, lac-
to regalia coetu Atria complentur. Lin-
quunt Phthiotica tempe] Phthiotica dixit, opi-
nor, ea, quae sint ad Sperchium, ad differentiam
eorum, quae sunt ad Peneum. Graiugenasq.
domos] Cum in manuscriptis omnib. legatur, Gra-
uinonisq. domos: & in Vaticano, Graninonisq.
domos: erudite Petrus Victorius, acuteq. mutauit
in Crannonisq. domos. quam esse Thessaliae ur-
bem, praeter Strabonem, Stephanum, ceterosq.
Cosmographos, ostendunt illa Ciceronis uerba in:
II. de Orat. Dicunt enim, cum cenaret Cran-
none in Thessalia Simonides. Campi Crannony me-
minit Callimachus in Hymnis. Εἴθε με δ' ὄσσης

Ουρεα,

22 Ουρεα, καὶ πεδῖον κραννώνιον. *Corbinellus in manu*
scripto fuisse ait, Gritonisq. domos. eãq. lectione con
 23 *firmari testimonio Apollonij in. I. Argon. ἤλυθε δ'*
 24 *ἀφνειὸν πόλιπῶν γυρτῶνα κόρων. Et interpretes ur-*
bem esse Thessaliae dicit. Quod sequitur, Ac moe-
nia Larissea, uarie legitur in manuscriptis. primũ
sic, Ac nitens Alacrissa. deinde sic, Ac nitentis
alacrissa. deinde etiã sic, Ac nitenis alacrissaea.
in Vaticano autem sic, ac Nycenis alarissa. Mihi
uero legendum uidebatur, Arne tenus ac Larissa.
Nihil enim manuscriptae lectioni propius commi-
nisci potui. utraq. uero est urbs Thessaliae.

Pharsaliam coeunt] *Pötannus syllabae consuluit,*
probabiliterq. legit, Pharsalum coeunt.

Non glaebam] *Per diphthongum omnino scriben-*
dum. sic enim in uetustissimis quibusq. libris scri-
ptum reperio.

Robigo] *Hoc quoq. sic scri-*
bendum eadem de caussa.

Quacumq.
 opulenta recessit Regia] *Imitatus Vergilius di-*

22 *xit, At domus interior regali splendida luxu. Et*

23 *Ouid. in. II. Metam. Pars secreta domus, ebore, et*

24 *testudine cultos Tres habuit thalamos.*

- fulgenti splendent auro, atq. argento]

25 *Al-*
 26 *caeus apud Athenaeum in. XIII I. similiter. Μαρ*

27 *μαίρει δὲ μέγας δόμος χαλκῶ. Candet*

ebur foliis] sedibus. aut mēsis. utrumq. enim signi-

ficatur eodem nomine. I. mensis, lectis. Cic. in Pifo-

28 *nem, Graeci stipati in lectulis, ipse solus bibiturus,*

29 *quae eodem de solio ministrentur. Horat. eodem in*

R genere

- 33 genere in. II. Serm. idē prope dixit alijs uerbis, Ru-
 33 bro ubi cocco Tincta super lectos canderet uestis e-
 33 burnos. Tota domus gaudet regali splen-
 33 dida gaza] Renidere dixit Horat. Non ebur, nec
 33 aureum Mea renidet in domo lacunar. Theognis,
 33 Ἰνδῖνος δὲ γαῖα πελώρη. Puluinar uero
 diuae geniale locatur] ἡπασάς, siue, ut Aristo-
 phanes in Auibus dicit, λέχος γαρῆσιον. ab Horat.
 atq. alijs Lectus genialis dicitur. - Indo
 quod dente politum] Indum ebur & Vergil. di-
 33 xit, Indum sanguineo si quis uiolauerit ostro Forsan
 33 ebur. Idem in Georg. India mittit ebur. - con-
 33 chylis purpura] Dictū fortasse ad differētiā pur-
 purae terrestris, quae Bacis legitur. Hoc Catullinū
 33 quale sit, ostendunt illa Lucretiana in. VI. Purpu-
 33 reusq. color conchyli iungitur una Corpore cum la-
 33 nae, dirimi qui nō queat usquam. Haec uestis]
 Ἀποπυῖν huius poematis prope totius, usitata quidem
 illa Homero, primum in Achillis scuto describendo,
 deinde Vergilio in Aeneae quoq. scuto. Ouidius in.
 VI. Metamorph. simile quiddam imitatur in Phi-
 33 lomelae fabula, & auctor incertus in Ciri, Sed ma-
 33 gno intexens, si fas est dicere peplo, & quae sequun-
 33 tur. Varro, opinor, hinc transferens Pelographian
 33 opus scripserat. Verg. idem significans, Purpurea in
 33 texti tollunt aulaea Britanni. Heroum mi-
 ra uirtutes indicat arte] Argumentosum opus uo-
 33 cant. Vergil. Argumentum operis.
 - prospectans litore Diae] Litus etiam in uersu
 faciendo

faciendo scribendum simplici. τ. *Diam uero absolute Naxon dixit, Homerum & Callimachum secutus. de quo sic interpres Apollonij in illud Poetae in.*

III. Δίη ἐν ἀμφιάλω Δίη ἐν τῇ νάξω Καλλίμαχος, Ἐν Δίη τὸ γὰρ ἔχε παλαιότερον ὄνομα νάξω. *Homerus in. λ. Odyss. Δίη ἐν ἀμφιρύτ η. quo loco interpres Homeri, Δία νῆσος πρὸς Ἰῆ κρήτη. ἣτις νάξος καλεῖται. ἰε ρὰ δὲ αὐτῇ τῆ Διονύσει. Atq. idem fabulam eodem prope modo expositam a Pherocyde tradit. Servius quoq. in. III. Aeneid. in illud Verg. Bacchatāq. iugis Naxon, Diam hanc insulam uocatam fuisse tradit. Et Hygin. in Corona, Dicitur enim in insula Dia, cum Ariadne Libero nubere.*

Nec dum etiam seseq. sui tum credidit esse]
Varie quoq. hic uersus in manuscriptis legitur. Primum sic, Nec dum etiam seseq. sui tui se credit. Deinde sic, Nec dum etiam seseq. sui se credit. Vereor itaq. quid huic desit uersui. iam si priorem lectionē sequimur, legendum puto, Nec dum etiam sese quae sit, tum credidit esse.

Inrita uentolae linquens promissa procellae] *id est in uento scripta. Saxea ut effigies] Ariadna apud Ouid. in epistula,*

Quamq. lapis sedes, tam lapis ipsa sui.

- & magnis curarum fluctuat undis] *Vergil. in.*

III. *Aeneid. Et magno curarum fluctuat aestu.*

Et Herodianus de Commodo. Κυμαίνουσαν οὐδ' ἔχων

ποσαύταις φροντίσι τὴν ψυχὴν. Et is, qui uirgo Muses creditur,

Ἰσατο κυμαίνουσα πολυκλαύτοις μερῆ

μναις. Non flauo retinens subtilem uerti

ce mitram] Retinere uerbo sic est usus auctor in-
 23 certus in Ciri, Non niuea retinens bacchat a moni-
 23 lia colle. Atq. alibi, Purpureas flauo retinentem uer-
 23 tice uittas. Non tereti strophio lacten-
 tis uincta papillas] Sic in manuscriptis quoq.
 praeterquam in uno, in quo erat, Lacentis. Legendum
 forte, Lucentis. Sic enim pulchras significat. ut &
 Statio Lucidus euan dicitur Bacchus formosus in
 primis deus. Alij legunt, Luctantis. ut quasi lucten-
 tur papillae turgentes. Nonius Marcellus in Ver-
 23 bo Strophium. Strophium, inquit, fascia breuis, quae
 23 uirginalem errorem cohibet papillarum.
 Sed neq. tum mitrae neq. tum] Idem numerus
 23 apud auctorem Ciris. Sed neq. tunc ciues, neq. tunc
 23 rex ipse ueretur. - fluitantis amictus]
 23 Sic Tacit. de morib. Germanorum, Non fluit ante
 23 ueste, sicut Sarmathae, ac Parthi, sed stricta, ac sin-
 23 gulos artus exprimente. Omnia quae toto
 delapsa e corpore passim] Sic etiam loquitur
 23 Ouid. umeris pallia lapsa meis. Ipius
 ante pedes fluctus salis allidebant] Legendum
 omnino, ut est in manuscriptis. Adludabant. Sic in
 definitione Litoris apud Cic. in Topicis. Iure consul-
 tus Fluctum dixit eludere. Eodem modo Ouid. in
 23 Metam. - & in adludentib. undis Summa pedum,
 23 taloq. tenuis uestigia tingit. Et Arnobius in. VIII.
 23 aduersus gentes, Nostris pedibus adluderet fluctus.
 - toto te pectore Theseu] In manuscriptis om-
 nib. Toto ex te pectore Theseu. Aldus ante edido
 rat,

rat, Toto te ex pectore . Perdita] Sic Ver-
 gil.in Bucol. Perdita, nec serae meminit decedere
 nocti . A misera] nominandi casu, ut etiam
 est omnib. in manuscriptis . - adfiduis
 quam luctib. extenuauit] In manuscriptis, ut &
 Aldus ante ediderat, Externauit . quo uerbo alibi
 utitur. Externata malo . Et Nonius uerbum Ex-
 ternauit, agnoscit, & idem legit, Spino-
 sas Erycina serens] Sic Ouid. ut opinor, hoc imita-
 tus in. II. Amor. Quid geminas Erycina meos in
 corde dolores. Et Horat. in. I. Carm. Sine tu manis
 Erycina ridens. Similiter autem Theocritus, Κού-
 ρας δὲ δίδοι ποθέοντι μεριμνάς . Illa tempe-
 state feroxq. & tempore Theseus.] Sic etiam
 est omnib. in manuscriptis. Aldus impressit ante, Il-
 la tempestate ferox, & tempore. Ego, ut minimum a
 scripto discedam, legendum puto, Illa tempestate fe-
 rox qua, & tempore. uel, quo & tempore, ut existat
 illa prisca dicendi ratio, Poetae aptissima . Cic. in.
 III. de Orat. Inusitata sunt prisca fere, ac uetusta,
 et ab usu cotidiani sermonis iā diu intermissa, quae
 sunt Poetarum licentiae liberiora, quam nostra, sed
 tamen raro habet etiam in oratione poeticum ali-
 quod uerbum dignitatem. neq. enim illud fugerim
 dicere, ut Caelius, Qua tempestate Poenus in Italiā
 uenit. Ut sit hoc loco, Illa tempestate ac tempore, quo
 & cet. Androgeoneae poenas exoluere
 caedis] In manuscriptis omnib. Cū Androgeoneae.
 legendum, Androgenaeae. Cum autem in omnib. li-

bris praepositum, indicat fortasse sic intelligendum. Cum exoluere, pro Exoluebāt. cuiusmodi nullum exemplum alibi reperio. Sententia quidem certe multo sic esset facilius ad intelligendum, & oratio ipsa nullo modo impediretur. Quis angusta malis cum moenia uexarentur] Angusta etiam in manuscriptis. sunt tamen qui legi uelint, Augusta. in duobus paulo uetustiorib. libris pro Vexarentur, Versarentur. id est iactarētur. Moenia autem, ipsis pro ciuibus. Funera; Cecropiae, ne funera portarentur] In manuscriptis duob. Nec funera. in uno, Ne funera. Illud rectius. Nec tamē sic dictū accipio, ut illa alia, Innuptas nuptias, Insepultam sepulturā. neq. enim est eadem compositio. Legendū uero suspicor, Funera Cecropiae nec funere portarentur. ut Efferrī funere optimi dixerunt auctores. Funus autem pompam ipsam significat, & amicorum frequentiam in efferēdo mortuo. Cic. pro Quir-
 33 Etio. Si funus id habendum sit, quo non amici conue-
 33 niunt ad exequias cohonestandas. Et Lucilius, Nul-
 33 lo honore disp̄letu, nullo funere. Quae uerba sic esse corrigenda arbitror, Nullo heredis fletu, nullo funere. Ouid. ad Liniā, Funera pro sacris tibi sunt
 33 ducenda triumphis. Vel, Nec funere, cum uiui eo uenirent, non mortui, quod uere demum funus esset. Imitatus tamē uidetur Manilius in. v. Astronom. de Andromeda. & priorem confirmare lectionem.
 33 Induiturq. sinus non haec in uota paratos, Virginis
 33 & uiuae rapitur sine funere funus. - quam suauis

suavis exspirans lectus odores] Non dissimilis
 videtur huic loco, ille alter apud Vergil. in. 1. *Ae-*
 neid. At Venus Ascanio placidam per mēbra quie
 tem Inrigat, & fœtum gremio dea tollit in altos Ida
 liae lucos, ubi mollis amaracus illum Floribus, &
 dulci adspirans complectitur umbra.

Non prius ex illo flagrantia declinavit Lu-
 mina] Sic etiam apud Vergilium Dido Cupidinem
 falsa in imagine Ascanij spectans Expleri mentem
 nequit, ardescitq. tuendo. - quam toto

concepit pectore flammam] In manuscriptis
 omnib. Cuncto, pro Toto. Vergil. Toto pectore sic di-
 xit in. VII. Toto percepit pectore flammam.

Heu misere exagitans] Sic etiā in manuscriptis
 duob. In uno, Cum misere. quod reijciendum vide-
 tur. Curis hominum qui gaudia misces]

Amorib. In eandem sententiam alibi, Qui dulcem
 curis miscet amaritiam. Quaeq. regis

Golgos] In duob. manuscriptis, Quiq. ut &
 Aldus ante impresserat. Golgos autem hoc esse le-
 gendum loco, Petrus Bembus iam diu docuit. & es-
 se hanc Theocriti imitationem, cuius alij uersum po-
 suere. Qualib. incensam iactastis mente

puellam Fluctibus] In manuscriptis omnib.
 Qualibet. itaq. ueram lectionem desidero.

- in flauo saepe hospite suspirantem] pulchro.
 Sic ξανθὸν Homerus dicit. Eodem modo etiam In

uenal. Sat. v. Et flauo ferro dignus Meleagri Fu-
 met aper. Corbinellus non ἀτέχως Hospitem ac Sit

spirare simul positas esse uoces putabat. S. litterae
 frequentia quasi suspirantes ipsas. Sic Horat. in.
 » III. Carm. Atqui sollicitae nuntius hospitae Suspi-
 » rare Chloen - Quanto saepe magis ful-
 » gore expalluit auri] Idem alibi. Hospes inauratae
 » pallidior statua. Gabriel Faernus legendū putabat,
 Quam tum saepe magis. Aut mortem
 oppeteret Theseus] Subaudiendum, Vt. At in ma-
 nuscriptis omnib. Oppeteret. Non in-
 grata tamen frustra munuscula diuis Promit-
 tens] Munera, pro Votis, & ijs reb. omnib. quae dis
 » offerebantur. Idem alibi, Quam iucunda mihi mu-
 » nera libet Onyx. Incertus auctor in Ciri, Non acce-
 » pta pijs promittens munera diuis. Et Promittere
 » pro Vouere, ut & Catullus hoc loco, & idem ille in-
 » certus auctor. Et alibi Catullus, Leuia protendens
 » brachia pollicita est. Ouid. haec eadē dona dixit,
 » Grata ferunt Nymphae pro saluis dona maritis.
 » Et in. VII. Metam. Aemoniae matres pro natis do-
 » na receptis, Grandaeuiq. ferunt patres.
 - tacito suspendit uota labello] In manuscri-
 ptis duob. pro Suspendit, Succedit. in Maffei libro,
 Succendit, quod probabile uidetur. Ego aut hoc reti-
 nendum puto, ut eam multa magno studio uouisse in-
 telligamus: aut pro, Succedit, Suscepit, legendum. in
 ueterib. enim libris, Succedit, pro Suscepit, scribi nō
 numquam solet. Sic in meo ueteri libro Vergily,
 » Succeditq. ignem folys. Nam uelut in
 summo quatientem brachia Tauro] Vergil.
 eodem

eodem genere contentionis usus in. II. Aeneid. dixit. Ac ueluti summis antiquam in montib. ornum,
 Cum ferro accisam, crebrisq. bipennib. instant Erue
 re agricolae certatim, illa usq. minatur, Et tremefacta
 comam concusso uertice nutat, Vulneribus donec
 paulatim euiecta, supremum Congemuit, traxitq. uis
 gis auulsa ruinam. Et Electra apud Sophoclem de
 occiso Agamemnone, Μήτηρ δ' ἦ μιν, χῶ κοινολεχῆς
 Αἰγιδος, ὅπως δρῶν ὑλοτύμοι χίζκει κἀρα φονίω πε-
 λέκει. Taurus, mons notissimus - - sudanti
 cortice] In manuscriptis duob. Sudanti corpore. in
 uno, Cortice. Indomitus turbo contor-
 quens flamine] Interponendam hoc loco distinctio-
 nem censeo. - illa procul radicib. ex-
 tirpata] In manuscriptis omnib. Radicibus extur-
 bata. Prona cadit, lateq. & comminus o-
 mnia frangit] Hoc uero minime Catullinū esse cō-
 tendam. In manu enim scriptis duob. est, Lateq. cū
 eius obuia frangens. In uno, Lateq. eius eius obuia
 frangens. Ego legendum suspicor, Late quaecumq.
 sibi obuia frangens. quod est ipsum apertius, & scri-
 ptae lectioni propius. tamen si, Sibi, quod posui, a lit-
 teris Ius, aliquanto, quam illud, longius discedit.
 Sed comminisci tamen aptius non potui.
 Inde pedem uictor multa cum laude reflexit]
 In manuscriptis omnib. ut et Aldus olim impressit,
 Inde pedem sospes. Sed, quid ego, a primo
 digressus carmine] In manuscriptis omnib. Sed
 quid ego in in primo. illud tamen usitatius.

Vt

Vt consanguineae complexum] Sic etiam in
manuscriptis duobus. In uno, Ut consanguineum
complexu. Legendum opinor, Ut consanguineum cō
plexum, pro, Consanguineorum.

Quae
misera ignaro fleret deperdita lecto] Nec hoc
quidem Catullinū, ac γνῶσιον est. in manu enim scri
ptis erat, in alijs, Quae misera ignara deperdita
laeta. In alijs, Quae misera ignata deperdita leta.
In alijs, Quae misera ignata deperdite leta. Ignara
autem In gnata duas uoces fuisse suspicor. reliqua,
quae desiderantur, nisi inuenta restitui non possunt.
Uno in manuscripto libro legisse se Faernus adfir
mat, Quae misero gnatae fleret deperdita luctu.

Quod si Ignaro lecto legeremus, simile id quidem es
set eius, quod alibi, Sed quid ego ignaris neququam
conqueror auris.

Omnib. his The
fei dulcem praeferret amorem] In manuscri
ptis omnib. Portaret, non Praeferret. legendum su
spicor, Omnib. his Thefei dulcem praeoptarit amo
rem. Erit enim dicendi ratio facilior, atq. aptior ad
sententiam efficiendam, & a manuscripta lectione
non multum dissidens.

Aut ut eam dul
ci] Nullo in manuscripto erat, Dulci. itaq. aut hoc,
aut aliud eiusmodi uerbum desideratur.

- deuiētam] In manuscriptis omnib. Deuinetam.
Ac tum praeruptos tristem cōscendere mon
tes] Ariadna in epistula apud Ouidium, Mons
fuit, apparent frutices in uertice ruri. Nunc sco
pulus raucis pendet aquosus aquis. Ascendo, uires

» animus

animus dabat, atq. ita late Aequora prospectu me-
 tior alta meo. In manuscriptis uero omnib. Tristis,
 non Tristem. sed hoc tamen probabilius.

Siccine me patriis abductam perfide ab oris]
 In manuscriptis omnib. pro Abductam, Auectam
 legebam. idq. probabilius uidetur.

Siccine discedens neglecto numine diuum]
 Sic post, Diuum ad fallendos numine abusum ho-
 mines. Inmemor a deuota domum per-

iuria portas] Auctor incertus in Ciri Portare lu-
 ctum sic dixit, Aut amor insanæ luctum portauit
 alumnae. - tibi nulla fuit clementia

praedo] In manuscriptis omnib. non Praedo, sed
 Praesto. idq. sequendum iudico. - Ut no-

stri uellet miserescere pectus] In omnib. manu-
 scriptis, Mitescere, non Miserescere. Sed hoc ta-
 men probabilius.

At non haec quon-
 dam blanda promissa dedisti Voce mihi] In
 manuscriptis omnib. non Blanda, sed Vobis. Legen-
 dum forte, At non haec quondam, non haec pro-
 missa dedisti Voce mihi. quo nihil omnino propius
 manuscripto reperire potui. ut aliqua ex eo senten-
 tentia elici, & constare posset. - non hoc mi-

seram sperare iubebas.] Praue in manuscriptis.
 Nec hoc miserae sperare iubebas. Verbo Iubere sic
 ante est usus, Certe tute iubebas animam tradere
 me.

Sed conubia laeta, sed optatos
 Hymenaeos] Nō hoc quoq. non imitatus uidetur.
 Vergilius in. IIII. Aeneid. Numerus quidem certe

idem

- » idem apud ipsum, & similia uerba. Per conubia no-
 » stra, per incoeptos hymenaeos. Tum
 iam nulla uiro iuranti femina credat] *Legen-*
dum forte, Nunc iam. quam lectionem confirmare
uidentur Ariadnae uerba ipsius apud Ouidium in
 » *Epistula. Nunc quoq. nulla uiro clamabo femina cre-*
 » *dat. Aut iteremus, Iam iam, quod irati solent. Au-*
ctor incertus in Ciri, Iam iam scelus omnia uincit.
 Nulla uiri speret sermones esse fideles] *Orato-*
 » *rie neminem excipit. Aristoteles in. II. Rhetor. Κα-*
 » *θόλου δὲ μὴ ὄντος, καθόλου εἰπεῖν, ἀρμόπει μάλιστα ἐν*
 » *χετλιασμῷ καὶ δεινώσει, καὶ ἐν τῶ τοῖς ἢ ἀρχόμενον, ἢ*
 » *ἀποδείξαντα. In eandem uero sententiam Teren-*
 » *tius in Andria, Ita pol quidem res est, ut dixi, Le-*
 » *sbia, Fidelem haud ferme mulieri inuenias uirum.*
 » *Et in Hecyra. Per pol quam paucos reperias mere-*
 » *tricibus Fideles euenire amatores Syra. Vel hic Pan-*
 » *philus iurabat quotiens Bacchidi Quam sancte, ut*
 » *quiuis facile posset credere. Et quae sequuntur.*
 Qui dum aliquid cupiens animus praegestit
 » *apisci] Ibidem Terentius, Nam nemo illorum*
 » *quisquam, scito, ad te uenit, Quin ita paret sese,*
 » *abs te ut blanditijs suis, Quam minimo pretio suū*
 » *uoluptatem expleat. Apisci autem, pro Adipisci,*
 » *ueteres dicebant. Fabius Max. apud Priscianum*
 » *in. VIII. Amitti magis, quam apisci. In manuscri-*
 » *ptis legitur hic uersus hoc modo. Quis cum aliquid*
 » *cupiens animus praegestit apisci. Quis: sermonib.*
 » *scilicet. Dicta nihil metuere] Is numerus*

in tertio pede, qui apud Vergil. in Bucol. Nil nostri
 miserere. Et in. IIII. Aeneid. Tecta metu petie-
 re, ruunt de montib. amnes. - in medio uer-
 santem turbine laeti] Versari eodem prope modo
 dicit idem post, Ille autem prope iam medys uersa-
 tur in undis. εροφάλιγγα sic propemodum Graeci
 dicunt. Anacreon, in. III. Epigram. Ούτινα γὰρ
 τοιόνδε νέων ὁ φιλάμαλος ἄρης ἠνάρισε συγερῆς ἐν ερο-
 φάλιγγι μάχης. Potius germanum amittere
 creui] Decreui. Plautus in Cistell. Tum antehac
 te amaui, & mihi amicam esse creui mea Gymna-
 sium. Et Lucil. Satyr. lib. v. Postquam praesi-
 dium castris educere creuit. Quam tibi fal-
 laci supremo in tempore deesse] In manuscri-
 ptis omnib. Deesse. - nec iniecta tumula-
 bor mortua terra] In manuscriptis omnibus pro
 Iniecta, Intacta. illud omnino rectius. Simile, o-
 pinor, uitium apud Cic. in libris de Legib. Ter-
 ra facta, pro lacta. Quod mare conce-
 ptum] Ante dixit Mare ferum. Et Tibullus, Na-
 tam Is Venerem e rapido sentiet esse mari.
 Quae Syrtis, quae Scylla uorax] In manuscri-
 ptis omnib. Quae Scylla rapax. - prisci
 praecepta parentis] Artificiose eodem ab elemen-
 to incipientes litteras contexit. tum carmen aspe-
 ravit ipsum de industria uocib. R. littera strepenti-
 bus. - in uestras] χετλιασικῶς, ut post doce-
 bimur. Quae tibi iucundo famularer ser-
 ua labore] Quod effugisse se laetatur apud Vergi-
 lium

2) *lium Creusa. Non ego Myrmidonum sedes, Do-*
 2) *lopum ue superbas Aspiciam, aut Graiis seruitum*
 2) *matribus ibo. Candida permulcens liqui-*
 2) *dis uestigia lymphis] Hoc ipso in genere eodem*
 2) *est usus uerbo apud Gellium in. II. cap. XXVI. Pa-*
 2) *cuius, Cedo tamen pedem lymphis flauis, flauis*
 2) *ut puluerem Manibus isdem, quibus Ulixi saepe*
 2) *permulsi, abluam, Lassitudinemq. nimiam ma-*
 2) *nuum mollitudine. Itaq. etiam canes, ac ferae suos*
 2) *fetus cum lingunt, Mulcere dicuntur. Silius Ita-*
 2) *licus in. V. Tum clypeum quatit, aspersum quem*
 2) *caedibus olim Celticus ornarat cruor, umentiq.*
 2) *sub antro Ceu fetum lupa permulcens puerilia mem-*
 2) *bra Ingentem Assarici caelo nutribat alumnum.*
 2) *Idem uero Catullus ante tamquam de re liquida,*
 2) *de floribus ipsis dixit, Quis permulsa domus incun-*
 2) *do risit odore. Manere enim, ac fluere odores, di-*
 2) *cit Lucretius. Sed, quid ego ignaris ne-*
 2) *quiquam cōqueror auris] In manuscriptis duo-*
 2) *bus, Conquerar. Ignaras auras sic dicit, ut Cice-*
 2) *ro Inanima quaedam stolidia dixit. At Callima-*
 2) *chus leuari quoq. dolore adfectos putat, si ignaris*
 2) *etiam auris conquerantur, atq. in solitudine. Ver-*
 2) *sus illius apud Stobaeum sunt, Κουφοτέρω τότε φῶ-*
 2) *τα διαδλίβουσιν ἀνία. Εκ δὲ τριηκόντων μοῖραν ἀφεί-*
 2) *λεμίαν ἢ ὅτ' εἰς ἄνδρα σωέμπορον, ἢ ὅτε κωφαῖς Ἀλ-*
 2) *γεα μὰ ἄστυς ἔχευον ἔξερῶν. Quibus in uersib.*
 2) *tertius mancus apud Stobaeum legitur. Et auctor*
 2) *incertus in Ciri, Vos ego, nos adeo uenti testabor, &*
 2) *aurae.*

1) *aurae.* Externata malo] *In manuscriptis om-*
 2) *niib. Extenuata. Sed illud probabilius. Eodem*
 3) *uerbo idem ante usus est, & Ouid. in Ibin, Atq. ali-*
 4) *quid facias a uespere Solis ad ortus Cur externat;*
 5) *rursus agatur equi. - quae nullis sensib. auctae]*
 6) *praeditae. Sic Lucretius, in. III. Quin ut opinor*
 7) *eam faciundum est sensib. auctam. Et alibi, Sic*
 8) *animas introduxerunt sensib. auctas. Nec*
 9) *missas audire queunt, aut reddere uoces] I-*
 10) *mitatus Vergil. in. VI. Datur ora tueri Nate tua,*
 11) *& missas audire, & reddere uoces. - pro-*
 12) *pe iam mediis uersatur in undis] Eodem mo-*
 13) *do etiam Horat. loquitur. Et uersor ciuilib. undis.*
 14) *Sic nimis insultans] Uno in manuscripto, Sed*
 15) *nimis. - faeua Fors etiam nostris inuidit*
 16) *questib. aures] In manuscriptis, Auris. quae uetus*
 17) *est scriptura, pro Aures. Utinam nec] Imi-*
 18) *tationem Vergily Macrobius ostendit. In manuscri-*
 19) *ptis autem omnib. Utinam ne. quale illud Enni,*
 20) *Utinam ne in nemore Pelio. Et quae sequuntur.*
 21) *Perfidus in Cretam religasset nauita funem]*
 22) *Horat. eodem modo in. I. Carm. Siue iactatam reli-*
 23) *garat udo Litore nauim. Sed, quod In Cretam dicit,*
 24) *itaq. in manuscriptis est, ita dictum fortasse uideri*
 25) *possit, ut a Caesare, Naues, quae erant ad anchoras*
 26) *deligatae. Consilium nostris quaesisset se*
 27) *dib. hospes] Sic uno in manuscripto, in alijs, Requi-*
 28) *sisset. sed praue. Nam quo me referam] Quo*
 29) *me uertam. Admonuit me Iacobus Corbinellus si-*
 30) *miliam*

milium Medae uerborum apud Euripidem, horum,

- 2) Νῦν ποῖ τράπωμαι; πόλερα πρὸς πατρὸς δόμους Οὐς σοὶ
 2) προδοῦσα καὶ πατρὸν ἀφικόμην. Ἡ πρὸς ταλαίνας πε-
 2) λιάδας; καλῶς γ' ἂν οὐδ' Δέξαντο μ' οἰκας ὄν πατέρα
 2) κατέκτανον. Cic. in extrema oratione pro Muraena
 simili figura est usus orationis uel eadem potius cū
 sequentibus.

Isthmoneos ne petam
 montes] In manuscriptis omnib. Idmoneos. Ex
 quo alij Isthmoneos, alij Idaeos fecerunt. Isthmoneus
 a quo dicatur, nescio. certe Isthmiaeus a Statio, a-
 lijsq. dictum animaduerti. Iā quod Idaeos an mon-
 tes petat, dubitare se dicit, frigidum id quoq. Ego,
 aliquid ut auderem, legebam, Immanes ne petam
 montes. referoq. ad montes Diae insulae. Sic uero
 Immanes montes dicit, ut Vergil. quoq. Immania sa-
 xa. Eiusq. insulae, in qua sit, montes intelligendos
 esse, uersus qui sequitur, ut uno in manuscripto est,
 ostendit. nam, cum alijs in manuscriptis sit, Disce-
 dens Pontum turbulentum ubi diuidit aequor, in il-
 lo est, Discurrens Pontum truculentum ubi claudit
 aequor. Ego legendum suspicabar, A gurgite uasto
 Discurrens penitus truculentum ubi clauditur ae-
 quor. Claudi autem intra mōtes mare ipsum dixit,
 quod νάξον, ut scribit Dionysii interpres Eustathius,
 ἀμπέλου φύλλω εἰκάξουσι. In eosq. sinus ac recessus
 influens mare obiectu montium laterumq. conclu-
 ditur ac desaeuit. nam, quod nihil respondet, hoc ue-
 ro quanti faciendum sit, cum sententiam id nihil
 impediatur, alij iudicent. Truculentum aequor dixit,

ut ante, *Truculentaq. pelagi.* An patris
 auxilium sperem] Inepte superiore illo loco Cretā
 intellexissemus, cum hic patris qui sit in Creta, me-
 minerit, atq. eum se potius fugere debere significet.
 Quem ne ipsa reliqui] Ne, παρέλκον, ut quod se-
 quitur, Qui ne fugit. pro Quem, Qui. Priscianus
 ualere additum Ne putat, ad confirmandum. nam
 in. XVI. ubi de Ne particula, sic scribit. Haec ea-
 dem, inquit, inuenitur & pro confirmatiua, ut Ho-
 rat. in. II. Serm. O seri studiorum, qui ne putetis
 Difficile, & mirum Rhodio quod Pitholeonti Con-
 tigit. Haec Priscian. Eodem prope modo posuisse Se-
 neca uideri potest in Epist. Vis, inquit, scire quid il-
 la eruerit, quid ne effecerit. nisi legendum sit, quid
 ue. Et Verg. in. IIII. Aeneid. Quia ne auxilio iuuat
 ante leuatos. id est, ut interpretantur, re uera. Ex
 eodem genere uidetur esse & illud Terentij, Faciunt
 ne intellegendo, ut nihil intellegant. Qui ne fugit
 lentos incuruans gurgite remos] In manuscri-
 ptis omnib. non Lentos, sed, Ventos. legendum forte,
 Ventoso. - nullo sola insula tecto] Similiter
 Sophocles in Philoctete, ut putabat Corbinellus, Τάδ'
 ἄλλ' ἔρημα, κ' ἔδεν ἔδ' ὑπόσερον. Nulla fugae ra-
 tio, nulla spes] Vno in manuscripto, Nulla est spes.
 - ostentant omnia letum] imitatus Verg. dixit,
 Praesentēq. uiris intēptant omnia mortē. Plautus
 in Rudēte similiter, Hic saxa sunt, hic mare sonat,
 nec quisquam homo uenit mihi obuiam. &c.
 Quā iustā a diuis exposcam prodita multam]

S

Idem

Idem post, Supplicium saeuus exposcens anxia poenis.
 - comprecet] Vno in manuscripto, Conprecet. quae
 sunt ueteris scripturae monumenta. - expiran-
 tis praeportat pectoris iras] πνεῦν Homericū uide-
 tur expressisse. Quas ego ue miserae] In manu-
 scriptis omnib. *Ve misera.* Sic Vergil. *Mantua ue*
miseræ nimium uicina Cremonae, idest, Ve Mantua,
et quae sequuntur. Quae quoniam uere nascun-
 tur pectore ab imo] *Lucret. Nam uerae uoces tum*
demum pectore ab imo Eliciuntur - idq. de dolentibus.
Vos nolite pati] Sic Cic. loquitur pro Milone. *Noli*
te, obsecro uos, pati, mihi acerbiorē reditum esse, quam
fuerit ille ipse discessus. Sed, quali solam The-
 feus me mente reliquit, Tali mente] Similiter
 Corn. Tacitus, ut putabat Corbinellus, *Et luisse*
eam poenam ea conscientia, qua scelus parauisset.
Annuat inuictō caelestium numine rector] In
 manuscriptis duob. *Inuito, non Inuictō.* ut Homeri-
 cum illud expresserit, *Ἐκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ.* Idem
 ipsum Euripid. *φθὶ γὰρ πρόπον δῆτιν' οὐχ ἔκων, ἔκων.*
 Quo tunc & tellus, atq. horrida contremue-
 runt Aequora] *Homericum est, μέγαν δ' ἐλέλιξεν*
ὄλυμπον. Vergilius exprimens dixit, *Annuat, & to-*
tum nutu tremefecit olympum. Versus utriusq. in-
 ter se contulit Macrobius. Idem Vergilius alibi lo-
 quente Ioue terram ipsam tremere dixit, *Infit,*
eo dicente, deum domus alta sitescit, Et treme-
facta solo tellus, silet arduus aether, Tum zephi-
ri posuere, premit placida aequora pontus.

Ipse

Ipse autem caeca mentis caligine Theseus
 Confitus] *In manuscriptis omnib. Mente, legen-*
dum omnino puto, Métem, ut sit Confitus mentem.

Qua de lecttione ne dubitandum quidem esse existi-
mo.

Sospitem, & ereptum] *Sic in Maj*
fei libro. in duob. alijs, Sospitem erectum itaq. putant
nonnulli legendum, Sospitem & erectum.

Namq. ferunt, olim classi cum maenia diuae]
 Sic etiam est omnib. *in manuscriptis. Pontanus in*
alieno opere tantum sibi permiserat, ut, quae nō pro
baret ipse, deleret, sua poneret. itaq. pro Classi Ca-
stae fecerat. Classi autem pro Classe dixit. ut alibi,

Per medium classi barbara nauit Athon. Et Ver-
 gil. in. VIII. Aduectum Aenean classi. Et Sisen-
 na, apud Nonium Marcellum in uerbo, Centones,
 Perpetua classi. Linqueret & gnatum] *In*
manuscriptis omnib. Linquentem gnatum.

-concrederet Aegeus] *Eodem in genere & Ho-*
rat. in. I. Carm. Navis quae tibi creditum Debes
Vergilium finibus Atticis.

Gnate, mihi
 longa iucundior unice uita, Gnate] *Eadem*
iteratione usus est etiam Vergil. in. I. Aeneid. Na-
te, meae uires, mea magna potentia solus, Nate pa-
tris summi, qui T ela T yphoea temnis.

-languida] *Vel fletu, uel diu inspectando filio.*

Lumina sunt gnati cara saturata figura] *In eo*
dem genere Vergilius uerbo Explere est usus, Exple
ri mentem nequit, aegrescitq. tuendo. Et Terentius
in Phormione, Oculos pascere. Et Tacitus, Velara

» parte oris, ne satiaret aspectum. Non
 ego te gaudens laetanti pectore mittam] Uno
 in manuscripto, Laetanti corpore.

Canitiem terra, atq. infuso puluere foedans]
 » sic Vergil. in. x. Caniciem immundo deformat pulue
 » re. Et in. XII. Caniciem immundo perfusam puluere
 » turpans. - nostraeq. incendia mentis]

Aestus animi. Carbasus obscura dicat
 ferrugine Ibera] In manuscriptis duob. Dicit. in
 uno, Decet. E priore lectione faciebam, Dicitur. e po-
 » etiore, Deceat, uel Doceat. Ferruginem Iberam
 » etiam dixit Vergil. in uestib. Et ferrugine clarus
 » Ibera. Iacobus Corbinellus in Graecorum scriptis
 » mihi se legisse adfirmavit hoc de uelo quae sequun-
 » tur, Οδὲ Σιμωνίδης ἔλακόν φησι εἶναι τὸ δοθὲν ὑπὸ
 » τοῦ αἰγέως, ἀλλὰ φοινίκιον ἰσίον, ὑγρῶ πεφυρμένον περι-
 » νος ἀνδρῶν ἐριθάλλου. καὶ τοῦτο τῆς σωτηρίας αὐτῶν
 » ποιήσασθαι σημεῖον. ἐκυβέρνα δὲ τὴν ναῦν ἀμαρσιάδας
 » φέρεκλος, ὡς φησὶ Σιμωνίδης.

Quod tibi si
 sancti concesserit incola Ithyni, Quae no-
 » strum genus, ac sedes defendere sueta, Annue-
 rit, tauri ut respergas sanguine dextram] In
 » manuscriptis duob. sic leguntur hi uersus, Quod ti-
 » bi si sancti concesserit incola Ithonij, Quae nostrum
 » genus, has sedes defendere freti Annuit, ut tauri re-
 » spergas sanguine dextram. In uno, Quod tibi si tan-
 » ti concesserit incola ithini. Et post, Annuit ut tauri
 » respersa sanguine dextram. Cetera sunt eadem,
 » quae in alijs manuscriptis. Ex quo facile intelli-
 » gitur,

tur, quid quantumq. mutauerint nimis ingeniosi
 homines, & a manuscripta lectione, quam longe
 abierint. Ego, quam minimum emendans, le-
 gebam, Quod tibi si sancti concesserit incola Ito-
 ni, Quae nostrum genus has sedes defendere fre-
 tis Annuat, ut tauri respergas sanguine dextram.
 Quod si, inquit, Pallas Itonis, quae nostrum
 genus, id est, has sedes, nam & patria ipsa sic
 genus dicitur, auctore Porphyrio, itaq. dicimus
 Πίνδαρον θεβαῖον εἶναι τὸ γένος. ac sic quoq. Athe-
 nienses, quo maxime gloriabantur, αὐτοχθόνας
 esse significat, Si Minerva, inquit, Itonia quae fiden-
 tib. atq. in se spem collocantibus, id enim, Fretis, si-
 gnificat, annuit has sedes defendere, eadem concesserit,
 & quae sequuntur. De Itonia Minerva haec fe-
 re reperio, primum apud Apollonij interpretem, Εν
 Θεσσαλίᾳ θεὰ ἰτωνίς τιμᾶται. καὶ ἐν κορωνείᾳ πόλει τῆς
 βοιωτίας, ἀπὸ ἰτώνος τῆς ἱερέως. Deinde apud Pausa-
 niam in Laconicis, Ὡς δὲ ἐτραπόνοιο οἱ βοιωτοὶ κατα-
 φάγουσιν ἄνδρες ἐξ αὐτῶν ἐς ἱερὸν ἀθηνᾶς ἐπίκλησιν
 ἰτωνίας. Postremo apud Strabonem in. I X. Η μὲν οὖν
 κορώνεια, ἐγγυὲς τοῦ ἐλικῶνος ἐστὶν ἐφ' ὕψους ἰδρυμένη.
 κατελάβοντο δ' αὐτὴν ἐπανιόντες ἐκ τῆς θεσσαλικῆς ἄρ-
 νης οἱ βοιωτοὶ μετὰ τὰ πρῶτα, ὅτε περὶ καὶ τὸν ὄρχομενὸν
 ἔχον. κρατήσαντες δὲ τῆς κορωνείας ἐν τῷ πορὸ αὐτῆς πε-
 δίω, τὸ τῆς ἰτωνίας ἀθηνᾶς ἱερὸν ἰδρύσαντο, ὀμώνυμον
 τῷ θεσσαλικῷ. De Thessalico alibi eodem in libro,
 Ἐστὶ δὲ καὶ φαρυκάδων ἐν τῇ ἰσθαμώτιδι, καὶ ῥεῖ δι' αὐ-
 τῶν ὁ πηνειὸς, καὶ ὁ κουράλιος. ὧν ὁ κουράλιος ῥεῖς πα-

, πὰ τὸ τῆς ἰτωνίας ἀθηνᾶς ἱερὸν εἰς τὸν πηνειὸν ἐξίεισιν.
 Quo tamen loco prae in impressis, Ἰτωνίας. Urbs
 enim Ἰδώμη est, non Ἰτώνη. Neq. enim, si qua eius
 nominis urbs esset, eam Strabo, Pausanias, Step-
 hanus, interpretes Apollonij praeterissent. quibus aucto-
 ribus templum tantum illud fuisse, & a sacerdote
 sic etiam dictum constat. id autem, opinor, Ἰτώνιον
 dicebatur. latine Itonium. unde est, quod in manu-
 scriptis omnib. legimus Itonij per. II. geminū, tam-
 etsi Itonis esse etiam possit. Iton autem nullo modo
 ciuitas est intelligenda, sed uel mons, uel campus, de
 ,, quo Strabo eodem in libro, Θεβῶν δ' ἐν τῇ μεσογαίᾳ
 ,, τὸ κρόκιον πεδῖον πρὸς τῷ καταλήγοντι τῆς ὄδρου.
 ,, δι' οὗ ὁ ἀμφρυσος ρεῖ ποταμός. τέττα δ' ὑπέγκεται ὁ ἰ-
 ,, των, ὅπου τὸ τῆς ἰτωνίας ἱερὸν. ἀφ' οὗ καὶ τὸ ἐν τῇ βοιω-
 ,, τία, καὶ ὁ κουράλιος ποταμός. Plutarchus ἐν ἐρωτικαῖς
 ,, διηγήσεσι festum esse dicit totius Boeotiae Miner-
 ,, uae Itoniae, Ἡ δὲ διασωδεῖσα ἐφύλαξε τὴν τῶν παμ-
 ,, βοιωτίων ἑορτήν, καὶ τότε ἐς κορώνειαν ἐλθοῦσα ἰκέτης
 ,, καδίξεται ἐπὶ τῷ βωμῷ τῆς ἰτωνίας ἀθηνᾶς. Itaq. Sā
 ,, eti dixit Itonij, ut & Vergilius, Sancti custos Sora-
 ,, etis Apollo. Incolam eodem modo, quo post, Grata ca-
 nopitis incola litoribus. Haec uigeant man-
 data, nec ulla oblitteret aetas] Tacitus hoc
 quoq. modo loquitur in. II. Pleraque manent, quae
 dā statim ommissa sunt, aut uetustas oblitterauit. Et
 ,, Hor. in. II. Car. eodem prope modo, Deleuit aetas.
 Vt, simul ac nostros inuisent lumina colles]
 In manuscriptis duobus, Simul haec. in uno, Simul
 hic.

hic. quod esse rectius iudico. illud alterum, Simul ac,
ut nouitium abiudico.

Candidaq. intor-

ti sustollant uela rudentes] Gabriel Faernus

sub hunc uersum illū subiciebat, qui Catulli citatur,

» a Nonio Marcello, Lucida qua splendent summi

» carchesia mali. - cum te reducem fors

prospera sistet] In manuscriptis omnib. non Sors,

sed, Aetas legebatur. id est tempus, dies ipsa.

Cum primum inflati conspexit lintea ueli]

Sic erat in Maffei libro. in alijs, Instanti. illud re-

ctius. Sic funesta domus ingressus te-

cta paterna] Sic etiā in manuscriptis omnib. Sed

illud probabilius, Paternae, non Paterna, scriptum

fuisse. - qualem Minoidi luctum] Sic

omnino esse debet. inscitia tamen librariorū in ma-

nuscriptis erat, Minoida.

Quae tum

prospectans] Nouitiū hoc quoq. in manuscriptis

omnib. erat, Quae tamen aspectans. erratum fortas-

se leuiter, & pro Tamen, legendum sit, Tantum.

At parte ex alia florēs uolitabat Iacchus] Bac-

chum in insula Naxo uersantem facit. Cuius reū

» caussa e Solini uerbis intelligitur. Sed Naxos, in-

» quit, Dionysia prius, quam Naxos dicta, uel quia

» hospita Libero patri, uel quod fertilitate uitium uin-

» cat ceteras. Interpres Arateorum Germanici au-

get hanc probabilitatem. de Pleiadib. enim haec

» scribit, Dicit autem Pherexides Athenaeus septem

» sorores fuisse Lycurgifilias ex Naxo insula, & pro

» eo, quod Liberum educauerunt, a Ioue inter sidera

- » sunt relatae. Quod autem Ariadnem quaerit Liber, docet idem auctor in Signo Coronae nuptā hac
 » prius fuisse Libero patri. Sed Plutarchus in The-
 » seo Naxios quosdam narrare scribit Ariadnas fuis-
 » se duas, seniore[m] alteram, quae Libero patri nupse-
 » rit, iuniorem alteram a Theseo raptam, & in Na-
 » xo insula relictam. Hanc itaq. totam historiam le-
 gere est apud eundem Plutarchum. In manu uero
 scriptis omnib. est, At pater ex alia florens uolita-
 bat Iacchus. Liber pater enim a poetis dici solet.
 Ex alia: facile intelligitur, parte. quo modo etiā do-
 ceo in Commentationib. in Horat. in. I. Carm. car-
 men interpretans, Nec martiales hoedilia lupos.
 Ex hoedilia enim, hoedi alia faciendum esse iudica-
 bam. De Iaccho Herodotus in. VIII. & Hermoge-
 nis interpres. a quo etiam uerbum Ιακκίζειν.
 Et Nisigenis Silenis] Νισαίοις τὸ γένος.
 Te quaerens Ariadna, tuoq. incensus amore]
 Λισόμενος ἀριάδην. Sic enim breuissime Bion a-
 » pud Stobaeum, Λισόμενος γαλάτειαν.
 Horum pars tecta quatiebant cuspide thyr-
 fos] Hederā inuolutos. Pars e diuulso]
 Omnib. in manuscriptis uestigium superest ueteris
 scriptionis, Pars e diuulso. - obscura ca-
 uis celebrabant orgia cistis] Orgia etiam Vene-
 ris sunt, quod indicat ueteris Poetae uersus apud
 » Hephaestionem. Αἰ κὺθρεΐας ἐπιπνεῖ τ' ὄργια λίκω
 » λένου. De cistis uero, & calathis, in quibus sacra re-
 ponerentur, adhiberi solitos lego tum in Cereris fe-
 sto,

sto, tum uero etiam in Dionysiis . Cic. de Signis , ut
 Cornelius Fronto in exemplis elocutionum adducit,
 » Sacra, inquit, quaedam more Atheniensium repo-
 » sita in capitibus uirginum. Ea uero sacra Cereri fie-
 ri solita, declarat Callimachus in Hymno in Cere-
 rem, eiusq. interpretes, qui tamen, nescio quem secu-
 tus, non in capitibus, sed in uehiculo ferri solita scri-
 psit. Aristophanis interpretes morem in Dionysiis
 fuisse scribit, uti nobiles, primariaeq. uirgines cala-
 thos gestarent aureos omnium rerum primitijs re-
 fertos. Obscura: secreta, non uulgo nota. In Iunonis
 etiam festo sacra portare solitas uirgines scribit in-
 » III. Elegiarum Ouid. More patrum sancte uela-
 » tae uestib. albis Tradita supposito uertice sacra fe-
 » runt. Hae Κανθόποι a Graecis dicebantur.

Multaq. raucifonos efflabant cornua bom-
 bos] In manuscriptis omnib. Multi raucifonos.
 Dubitandum igitur non est, quin legendum sit,
 Multis, dandi casu. Barbaraq. horribili
 stridebat tibia cantu] Id est Phrygia tibia. Sic, cū
 tres modi tiliarum sint, Ionicus, Lydius, Phrygius,
 hunc etiam barbarum dici, Acron, & Porphyrio
 tradunt. - sanctis coepit decedere di-
 uis] cedere. Legendum forte, Sanctis coepit dein ce-
 dere diuis.

Hic qualis flatu placidum
 mare matutino Horrificans zephyrus procli-
 ues incitat undas] Horrorem hunc undarum
 Graeci dicunt ορινα. sic enim interpretatur Por-
 phyrus in Homericis quaestionib. Καὶ ἐστὶν ἡ οριὴ κλι-

- » νεμένου τοῦ πνέματος ἀρχῇ. Σιμωνίδης δὲ αὐτὴν καὶ
 » δειξάει πειρώμενος, οὕτως ἔφη. ἐς ἄλα σίζουσα πνοιά.
 » *Homerus in. I III. Iliad. alio quidem in genere, ea*
 » *dem contentione est usus, ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιάλῳ πολυή-*
 » *χει κῦμα θαλάσσης, Ὀρνυτ' ἐπασύτερον Ζεφύρου ὑ-*
 » *ποκινήσαντος, πόντω μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ*
 » *ἔπειτα χέρσῳ ῥηγνύμενον, μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δ' ἐτ'*
 » *ἄκρας κυρτὸν ἐὼν, κορυφοῦται. ἀποπῆει δ' ἄλός ἀχνην.*
 » *Aurora ex oriente] sic & Q. Catulus apud Cic. in.*
 » *I. de nat. deorum. Constiteram, ex orientem auro-*
 » *ram forte salutans. Procedunt, leui-*
 » *terq. sonant plāgore cachinni] Cachinnare, de*
 » *undis opinor etiam dixit Attius in Phoenissis. Si-*
 » *mul & circum magna sonantib. excita saxis. Sae-*
 » *ua sonando cum crepitu clangentes cachinnant.*
 » *Aeschylus in Prometheus, ποταμῶν τε πηγῶν, πον-*
 » *τίων τε κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα. De auris Plu-*
 » *tarchus quod ad hunc maxime locum pertinet, eo-*
 » *dem modo, in libello, cui titulum fecit, ὅτι οὐδὲ ζῆν*
 » *ἐσιν ἡδέως κατ' ἐπικουρον, Ridere uerbo est usus,*
 » *Αἰ δὲ ἡδοναὶ καδάπερ αὔραι πρὸς ἑτέραις ἑτέρας τοῦ*
 » *σώματος ἄκραις ἐπιγελῶσαι διαχέονται. Socrates*
 » *apud Athenaeum de utroq. λεπὴν δὲ κυρτοῖς ἐγγε-*
 » *λῶσαι κύμασιν Αὐρα κόρης κείρονος ἡσύχω ποδί.*
 » *Magis, magis] Sic Plautus, Minus, minusq. Et in*
 » *Aulul. Atq. illa uero minusq. impendio curare.*
 » *Purpureaq. procul nantes a luce refulgent]*
 » *Purpuream lucem etiam dixit Ovidius in Fastis,*
 » *Laetaq. purpurea luce refulsit humus. Nantes un-*
 » *das*

22 das ut Catullus, etiam Manilius in. III. dixit, Ae
 23 raq. & terras, flammamq. undamq. natantem.
 Purpurascere etiam undae commotæ siue remo, si-
 ue uento dicuntur. Sic Furius apud Gellium in.
 24 xv. III. cap. XI. Spiritus Eurorum uirides cum
 25 purparat undas. A se quisq. uago pas-
 sim pede discedebant] Sic uno in manuscripto. in
 duobus, Ad se. Est autem utrumq. probabile. ut uel
 illos abisse diuersos intelligamus, uel ad domos se su-
 as recepisse. quo modo etiam Cic. loquitur in. IIII.
 26 epist. ad Atticum, Tu de uia recta in hortos. Vide
 27 tur commodius ad te, postridie scilicet. Et in. III.
 28 de rep. ut quidem citat Nonius, Cuius etiam focum
 29 Cato ille noster, cum uenerat ad se in Sabinos, ut ex
 30 ipso audiebamus, uisere solebat. Versus est ueteris
 31 poetæ apud Hephaestionem, quem prope uidetur ex
 32 pressisse Catullus, Ευφρανας ἡμᾶς, ἀπόπεμπ' οἰκᾶδ'
 33 ἄλλον ἄλλοσε. Et ille Homericus in. II. Odyss. οἱ μὲν,
 34 ἄρ' ἐσκίδναντο εἰς τὸς δῶμαδ' ἕκαστος. Ad se igitur,
 35 id est, domum. nam & Donatus in Phormione, Do-
 36 mum, id est, Ad se interpretatur. Discedere au-
 37 tem pro Redire etiam dicebant. Aemilius Probus
 38 in Themistocle, Cum manere non auderent, & plu-
 39 rimi hortarentur, ut domos suas discederent, moeni-
 40 busq. se defenderent. Quorum post abitū] Eodē
 41 uerbo etiam Plautus utitur in Cistell. Eas si adeas
 42 abitum, quam aditum malis. - princeps] pri-
 43 mus. Aduenit Chiron] Apollonius in. III.
 Bibliothecæ uenisse etiam deos ad has nuptias nar-
 rat,

rat, sed Chironem Peleo tulisse, ac donasse hastam
 » e fraxino. Καὶ δίδωσι χείρων πηλεῖδ' ὄρου μείλινον.
 -quos Thessala magnis Montib. ora creat] *Lu-*
 » *cret. in. v. Quod sol, atq. imbres dederant, quod*
 » *terra crearat Sponte sua, satis id placabat pecto-*
 » *ra donū.* Aura parit flores tepidi fecun-
 da Fauoni] *Genitabilis aura Fauoni. Lucret. &*
Vergilius. Quois permulsa domus iucun-
 do risit odore] *In manuscriptis dnob. Quot per-*
mulsa domus. in primo, Quod permulsa. Legen-
dum putat Faernus, Quo, quod ualde probandum.
nisi si quis, Quot, idest, Quot florum. Pe-
 neos adit] *Omnia in manuscriptis, non Adit,*
sed Adest. -uiridantia Tempe Linquens]
In duobus, Ut uiridantia tempe. in uno, Ut inundan-
tia Tempe. Laudo impressam lectionem. Sed for-
te scriptum fuit, Vndantia tempe. Additum deinde
a Grammatico, cui id nouum uidebatur, Ut inun-
 » *dantia. sic enim & Vergil. in Georg. Et iuuet un-*
 » *dantem buxo spectare Cytorum. Tempe uero sil-*
 » *uae sunt, de quibus Vibius Sequester ubi de montib.*
 » *Peneos Thessaliae, ubi siluae, quas Tempe uo-*
 » *cant, hunc Bebryces possederunt. At Penaeum*
 » *ipsum fluium ea fluere, declarat in Hymno in De-*
 » *lō Callimachus, Φεῦ γε δὲ καὶ πηνεῖος ἐλισσόμενος δια-*
 » *τεμπέων.* Nereidum linquens claris ce-
 lebranda choreis] *In manuscriptis omnib. Mi-*
nosim, non, Nereidum. e quo faciebam, Musa-
rum, uel, quod esse propius uidetur, Mnemosynae.
 Claris

*Clar*is autem, in uno etiam manuscripto. in duobus, *Doris*. e quo faciebam etiam, *Doctis*. *Mnemosynae* autem doctas, siue claras uocat choreas, *Musarum*, quae uersari nemorosis illis in locis finguntur. Esse enim *Musarum* parens *Mnemosyne* dicitur. Celebranda: frequentanda. *Nona-*
crias] Vitiose omnino, legendumq. cum *Guarino*, *Non uacius*. In *Maffei* enim libro erat, *Non acuas*. nihil autem corruptae ueteri lectioni propius fingi potest. alijs in libris. *Non acies*. Et, *Non aries*. unde factum *Nonacrias*. quod huic loco prorsus est alienum. *Aeschylus* in *Ἐπιὰ ἐπὶ Δῆλους*, sic *Vacuum*, idest, nil ferentem dixit, cui
 ,, Ferentem opponit, *ξυμβολεῖ φέρων φέροντι, καὶ κενὸς*
 ,, *κενὸν καλεῖ*. Sic *Attius* apud *Festum*, *Neq. quis-*
 ,, *quam a telis uacius*, sed uti cuiq. obuiam fuerat, *fer-*
 ,, *rum*, alius *saxum rodum*. Atq. ille tulit] *Omnib.* in manuscriptis, *Namq. ille tulit*. quod est ipsum ualde probandum. *Moschum* autem imitatus uideri potest, qui, quae aleret fluiuis, ea ipsum portasse dicat. *Moschi* apud *Stobaeum* sunt
 ,, illa, *Ἀλφειὸς μετὰ πίσσαν ἐπὶν κατὰ πόντον ὀδέυη,*
 ,, *Ἐρχεται εἰς ἀρέθοισαν ἄγων κοτινηφόρον ὕδωρ. Ἐδνα*
 ,, *φέρων καλά φύλλα καὶ ἄνθεα, καὶ κόνιν ἱράν.*
 - radicitus *altas Fagos*] In ueteribus nummis, & lapidibus *Siluanum* uidere est, cupressum ferentem radicitus. idq. significans *Vergil.* in. I. *Georg.*
 ,, dixit, *Et teneram ab radice ferens Siluane cupres-*
 ,, *sum*. - *laurus*] *Accusandi casu*. uetuste.

Non

Non sine nutanti platano] *Enniano more, cuius ex Annalib. uersus citatur, Et capitibus nutantibus. pinus, rectorumq. cupressos. qui tamen uersus tam deprauatus corrigi haud ita facile potest. Legendum uero suspicabar, Capitibus nutantes pinus, rectorumq. cupressos. Vnigenamq. tuam cultricem montibus Idae]* In manuscriptis omnibus erat, *Idri uel Ydri, ut est in Maffei libro. hoc probabilius uidetur, id est, uerae propius lectioni. hic enim leuissime mutans Hydrae faciebam. quae ciuitas est Lydiae, auctor Strabo. Eo autem tractu fere toto maritimo Apollo, ut idem tradit, colebatur. Dicit igitur Iouem cum ceteris dis caelo aduenisse, sed ab eodem Ioue Apollinem, atq. eius sororem Dianam relictos montibus Hydrae. In, enim, praepositio nullo in manuscripto legebatur. est autem, Montibus, dandi casus. Sic & Persius in Iambo, Illis relinque. Vnigenam uero sororem, id est, unam cum Phoebos natam intelligit. quo uerbo eodem modo etiam alibi utitur, Vnigena impellens nutantibus aere pennis. Graeci simul Natos διδύμους uocant. Callimachus apud Hephaestionem, Δαίμονες εὐνυμότατοι διδύμων γενάρχαι. Sophocles in Trachinijs, ὁμοπόρου uidetur dicere. Sic enim de Apolline, et Diana Chorus apud illū, τὸν Ἐφάρετσαν Ἀπόλλωνα προσάταν, Ομοῦ δὲ καὶ παιᾶνα παιᾶνα Ἀνάγετ' ὦ παρθένοι, βράτε τὰν ὁμόπορον Ἀρτεμιν ὀρτιγίαν. Cultricem uero absolute, uersantem in montibus. ac nemorosis in locis. Sic Vergil. Catullum opinor secus*

22 tus, in. III. Aeneid. Hinc mater cultrix Cybele. Sic enim erat in optimo illo admirandae uetustatis libro. Seruius tamen multum laborat, multa comminiscitur, sed, ut mihi quidem uidentur, aliena. Dianae uero montes omnes sacri erant, quod id ea optasset, & a Ioue esset precata. Eam enim Callimachus

23 in Hymno sic loquentem facit, Δὸς δέ μοι ὄψρα πᾶν

24 τα. His corpus tremulum complectens

undiq. uestis Candida] Hoc ipso etiam ordine le-

guntur in manuscriptis, non ut priorem uersum sequatur, Et roscō, Et cet. Isdem in libris pro Vestis,

Questus. uitiose omnino. quod scriptoris peccatum

library fuit, que que, iterantis. Animaduerti autē

& apud Catullum, & auctores alios idem saepe scri-

ptores peccasse. Opinor sic esse distinguendū, ut prio-

rem uersum puncto sistamus, ut Parcas longa ueste

amictas fuisse intelligamus, tum sequatur uersus al-

ter qui in manuscriptis duob. sic omnino legitur,

Candida purpurea tuos intinxerat ora. in uno, Can-

didā purpurea Tyros intinxerat ora. Mihi uero le-

gendum uidebatur, si quid tamen hoc loco non desit,

quod uehementer suspicor, Candida purpurea Ty-

ros intertinxerat ora. ut uaria usus longa ueste in-

tellegamus, uel limbo ipso uario. ut candida extre-

ma intertexta purpura distingueret. Tingere uero,

& Intertingere dicitur Tyros, quod in ea purpura

hunc colorem imbibit. Sic Tibullus & Tyron adhi-

25 buit eodem in genere, Illi certent praebere colores,

26 Africa puniceum, purpureumq. Tyros. Ora uero

idem,

idem, quod Graecis ὠα. Orpheus, sine quisquis alius
 » auctor, in Hymno in Parcas purpureis usas uesti-
 » bus significat, σείχετε πορφυρέοισι καλυψάμεναι ὀδύ-
 » νησι. In Pelei uero ac Thetidis nuptijs cantasse Par-
 » cas sic finxit, ut olim Musas ferunt in Harmoniae
 » nuptijs. Pausan. in Arcadicis. Ἑλλήνων δὲ ἀποδεχέ-
 » μένοισι ἄσαι μούσας ἐς τὸν ἁρμονίας γάμον.

At roseo niueae residebant uertice uittae]
 Plato in. x. πολιτικῶν, albis indutas uestibus Par-
 » cas esse dicit, Ἄλλας δὲ καθημένας περίξ διῖσου τρεῖς
 » ἐν θρόνῳ ἐκάσῃν θυγατέρας τῆς ἀνάγκης μοῖρας λούχει
 » μονοῦσας σέμματα ἐπὶ τῶν κεφαλῶν ἐχούσας. Et re-
 » liqua.

Dextera tum leuiter deducens
 fila supinis] Eodem modo loquitur etiam Ouid.
 » in. IIII. Metam. E quibus una leui deducens polli-
 » ce filum.

-tum, prono in pollice tor-
 quens] Sic etiam in manuscriptis.

Libratum tereti uersabat turbine fufum] Eo-
 dem in genere uerbo eo Ouid. utitur in. IIII. Me-
 » tam. Aut ducunt lanas, aut stamina pollice uersāt.
 Lanaeq. aridulis haerebant morfa labellis]
 Subiectio sub oculos λεπτολόγως. Morfa uero dixit,
 ut & Mansa, dicuntur. -pellentes uei-

lera uoce] Faernus legebat, Pellentes aera. Ego le-
 » gebam, Pectentes uellera. nam & Vergil. Velleraq.
 » ut folijs depectant tenuia seres.

O decus eximium, & magnis uirtutibus au-
 gens] Omnib. in manuscriptis abest, Et, parti-
 eula. itaq. legendum, ut uel auctum, uel crescens
 intelligamus.

intelligamus, uel quod augeat Emathiae tutamen opis. Sic enim est in Maffei libro. in reliquis, Emathiae tutamē. qua uero re augeat, statim significat, addens, Clarissime nato. tametsi in manuscriptis erat, Carissime. illud probabilius. Sic Cic. in. III. de Officijs. Ut enim ceteri ex patrib. sic hic, qui illud lumen progeniuit, ex filio est nominandus. Currite ducentes sub - temina, currite fusi] Macrob. in. VI. Saturn. cum Catullino hoc illud Vergili confert, Talia saecula suis dixerunt currite. fuis. Subtemina uero, nō Subtegmina legendum esse, doceo in Commentationib. in Horatium. Incidi post in uetustissimum Plinij librum, in quo sic etiam scriptum erat in. XI. Iso se pondere usus exerere a medio incipit, circinato orbe subtemine adnectens. Quae tibi flexo animo mentis perfundat amorem] Sic etiam in manuscriptis. Animum mentis, sic, ut contra alibi Mentem animi. Perfundere amorem, dixit, transferens a liquidis. Sic Vergil. in. I. Aeneid. Longumq. bibebat amorem. Et in. VIII. Ille repente Accepit solitam flammam, notusq. medullas Intrauit calor, & labefacta per ossa cucurrit. Flex animo: μαλακογνώμωνι. quo uerbo Aeschylus utitur in Prometheo. - coniungere somnos] Sic hoc dixit, ut alibi post, Iungere a mores. Nulla domus tales umquam contexit amores] Hic, & qui sequuntur uersus tres in manuscriptis duob. non erant, qui tamen legebantur in Maffei libro. Contexit autem, eodem tecto

T clausit,

clausit, uidentur idem Graeci dicere, cum contuber-
 nales ὀμοσέγους dicunt. Nascetur uobis ex
 pers terroris Achilles] Μεγαλήτωρ. Idem prope
 Thetidi Proteum dixisse, narrat Ouid. in. xi. Me-
 20 tam. Namq. senex Thetidi Proteus praedixerat
 20 udae, Concipe, mater eris iuuenis, qui fortib. ausis
 20 Acta patris uincet, maiorq. uocabitur illo.
 Qui per saepe uago] Idem numerus apud Horat.
 20 in. v. Carm. Qui per saepe caua. Flammea
 20 praeuertet] Saepissime ab Homero dicitur, Πόδας
 20 ὠκὺς ἀχιλλεύς. Cum Phrygii Teucro mana-
 bunt sanguine riui] In Maffei libro erat, Cum
 Phrygij Teucro manabunt sanguine tenen. Hoc ex-
 tremum emendatum deinde ab eodem scriba libra-
 rio, Teucro. In duob. alijs, Cum Phrygy tenero ma-
 nabunt sanguine Teucro. Legendum forte, Cū Phry-
 gy tenero manabūt sanguine campi. Vel, Cum Phry-
 giae Teucro manabunt sanguine terrae. Vel, Cum
 Phrygij Teucro manabunt sanguine muri. Nā Ri-
 20 ui legendum nullo modo puto, cum postea dicat, Te-
 20 stis erit magnis uirtutib. unda Scamandri. Sunt,
 qui legant, Trunci. Periuri Pelopis uasta-
 bit tertius heres] Tres enim Pelopis heredes fuis-
 20 se, declarat Homerus, Ἀνὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων, Ε-
 20 σση σκῆ πρὸν ἔχων, τὸ μὲν ἦφαισος κάμε τείχων, ἦφαι-
 20 σος μὲν δῶκε δῖϊ κρονίῳ ἀνακτι, Αὐτὰρ ἄρα Ζεὺς δῶ-
 20 κε διάκτορι ἀργειφόντη. Ἑρμείας δὲ ἀναξ δῶκεν πέλο-
 20 πι πληξίππῳ. Αὐτὰρ ὃ αὖτε πέλοψ δῶκ' ἀτρεΐ ποιμέ-
 20 νι λαῶν. Ἀτρεΐς δὲ θυήσκων ἔλιπεν πολύαρνι θυέση.
 20 Αὐτὰρ

- 22 Αὐτὰρ ὁ αὖτε Δυῆς' Ἀγαμέμνονι λείπε φορῆναι .
 22 - claraq. facta] ἐπίτημα. Vergil. in. VII. Hunc de-
 22 cus egregium formae mouet, atq. iuuentae, Hunc
 22 at aui reges, hunc claris dextera factis. Cum
 tremulo incanos soluent a uertice crines] In
 manuscriptis duob. Cum in cinium canos. In uno,
 Cum incuruum canos. Ego uero legendum puto, Cū
 incuruo incanos soluent a uertice crines. De indu-
 stria enim particulam In ἐπιτατικῶς utriq. uerbo
 praeposuit. Putridaq. infirmis uaria-
 bunt pectora palmis] Ipso planctu. Infirmis: idest,
 teneris. Sed uno in manuscripto erat, Putida, non
 Putrida. ita uero tansa significat, & liuida. Varia-
 bunt maculis, e plagis, & tansionibus.
 Namq. uelut densas prosternens messor ari-
 stas] Verbum illud, Prosternens, uarie legitur.
 Praecernens, in Maffei libro, Praeteriens, Praeter
 ues. quib. in omnib. non Messor, sed Cultor legeba-
 tur. Ego uero coniecturam faciebam legendū, Prae-
 cerpens cultor. Dicit autem Cultorem, Colonum.
 22 Sole sub ardenti] Vt Vergil. Sole sub ardenti reso-
 22 nant arbusta cicadis. - prosternet corpo-
 ra ferro] In manuscriptis omnib. Prosternens. ui-
 tiose. Testis erit magnis uirtutib. unda
 22 Scamandri] In eandem sententiam Horat. Te-
 22 stis Metaurum flumen. In Scamandri, s. elisit, ὁ μὴ
 ρικῶς. Quae pasim rapido diffunditur
 Helleponto] Cuiusmodi sit Scamandri εἰς Βο-
 ζῆν, declarat. Rapidum uero Hellepontum dicit,

propter angustias. Alta tepefaciet] In huiusmodi compositionibus secundam syllabam, & idem post, & Lucretius non semel produxit.

Cum teres excelso coaceruatum aggere bustum] Habet omnino hoc proprium Catullus, ut, quod fit, aut quod factum est, cuiusmodi sit, narrando sub oculos subiciat. Busta uero ea figura fuisse, e multis uestigijs Romae perspiciamus. Verg. in. XI.

» pro excelso terreno posuit, Regis Dorcennij terreno
» ex aggere bustum. Vibis Dardaniae Ne-

ptunia soluere uincla] Aptè utrumq. coniunxit, Soluere, & Vincla. translatum utrumq. Solui enim dicuntur aedificia, quae diruuntur. Sic Graeci, Καταλύειν, dicunt.

» Atq. idem significans Augustus
» in Carmine de Vergili Aeneide. Soluetur littera di-
» ues. Ac post, Tam sacrum soluetur opus. Vincla ue-
» ro, opera ipsa, quasi texta. hoc enim uerbo in eodem
» genere Callimachus in Hymno in Apollinem utitur,

» Αὐτὸς δὲ θεμελίια φοῖβος ὑφαίνει. Et Theocritus in

» Ptolomaeum, Καὶ οἱ χεῦσεαι δόμος ἐν διὸς οἴκῳ Δέδ-
» μνται. Et Sallust. Vincire uerbo eodem modo est

» usus. in descriptione enim carceris Tulliani. Atq.

» insuper, inquit, camera, lapideis fornicibus uincta.

Alta Polyxenia madefient caede sepulchra]

In manuscriptis omnib. Madescunt, non Madefiēt.

Legendum forte, Madidescent. uel, Madidascent, a

Madido. ut Made[co, a Madeo. quorum tamē exē-
pla non habeo. - ancipiti succumbens ui-

ctima ferro] Ἀμφιδέξιον, opinor, Graeci dicunt, quod

utriq.

utriq. manui sit habile, atq. aptum. Euripid. in Hip

polyto. Ου αὐτῶς εἶναι οἰστίς ἀμφοτέρων οἰδῆσθαι.

Hesterno collum poterit circumdare filo]

Hoc e consuetudine positum. Auctor incertus de

Derivationibus, qui penes me est, Collubar, inquit

genus uinculi, quod ponitur in collo. Itaq. nescio, an
eiusmodi sit, quod significat Catullus. Signa uero a-
dultae aetatis sunt nares tumidae, collu robustius.

Nemesianus Ecloga. xi. Et tibi iam tumidae na-

res, iam fortia colla. Talia praefantes quon-

dam] Sic distinguo. deinde quod reliquum est simul
legendum puto. Saepius, & sese mortali of-

tendere coetu] In manuscriptis duob. Nereus. in

uno, Hereus, sine, Et, particula. Legendum forte, In

terris sese & mortali ostendere coetu. aut, Et uero.

Ioannes Baptista Sigicellus Bononiensis uir Grae-

ce Latineq. doctissimus, & in coniciendo sane ἄκο-

χός, ex Hereus, Heroum faciebat, sed addebat etiā,

Et, particulam, Heroum, & sese mortali ostendere

coetu. In eandem sententiam apud Ouidium Ianus.

Tunc ego regnabam, patiens cum terra deorum

Esset, & humanis numina mixta locis. & quae se-

quuntur apud illum. Templo in fulgente]

Sic etiam in manuscriptis omnib. Pontanus fece-

rat, A fulgente. sed illud omnino retinendum. ut tem-

plo in fulgente annua sibi sacra fieri uideret.

Conspexit terra centum procurrere currus]

In duob. Percurrere, non Procurrere. In Maffei li-

bro, Procumbere. illud rectius. in quam sententiam

- „ Vergilius, etiam in. III. Georg. Illi uictor ego, &
 „ Tyrio conspectus in ostro, Centum quadriugos agi
 „ tabo ad flumina currus. Cum Delphi tota
 certatim ex urbe ruentes] Delphi: ex urbe. In
 primo περὶ τῶν πόλεων. Vergil. dixit similiter in. IIII.
 „ Aeneid. Totaq. ex urbe sequentur. Idem in. IIII.
 „ Georg. Mane ruunt portis. - hera] Dea do
 „ mina. Sic alibi, Hostia caelestis pacificasset heros.
 „ Cupida de mente] Auara. Horat. Qui cupit, aut
 „ metuit, liber mihi non erit umquam. Perfu-
 dere manus fraterno sanguine fratres] Vergil.
 „ imitatus, Gaudent perfusi sanguine fratrum.
 Destitit extinctos natus lugere parentes] Illi,
 inquit, magno filij scelere ἀδελφῶν τοι εὐτα excessere.
 „ Flore] Sic Terent. Flos ipse. Atq. haec in Catilinā
 „ dicta proprie uidentur, de quo Sallust. Postremo, ca
 „ ptus amore Aureliae Orestillae, cuius praeter for-
 „ mam nihil umquam bonus laudauit, quod ea nube
 „ re illi dubitabat, timens priuignum adultum aeta-
 „ te: pro certo creditur, necato filio, uacuum domum
 „ scelestis nuptijs fecisse. Ignaro] nescienti
 cum matre se rem habere. - substernens se
 „ impia nato] Horat. hoc in genere uerbo Subsiedere
 „ est usus. Inuet ut tygres subsidere ceruis.

A D. O R T A L V M

ETSI me ad siduo confectum cura dolore
 Senocat a doctis Ortale uirginibus,

Nec

*Nec potis est dulcis Musarum expromere fetus
 Mens animi : tantis fluctuat ipsa malis :
 Namq. mei nuper Letheo gurgite fratris ,
 Pallidulum manans alluit unda pedem ,
 Troia Rheo quem subter litore tellus ,
 Ereptum nostris obterit ex oculis .
 Adloquar . audiero ne umquam tua uerba loquentem .
 Numquam ego te uita frater amabilior
 Aspiciam posthac . at certe semper amabo ,
 Semper maesta tua carmina morte canam .
 Qualia sub densis ramorum concinit umbris
 Daulias , assumpti fata gemens Ityli .
 Sed tamen in tantis maerorib. Ortale mitto
 Haec expressa tibi e carmina Battiadae :
 Ne tua dicta uagis nequiquam credita uentis
 Effluxisse meo forte putes animo ,
 Vt missum sponsi furtiuo munere malum
 Procurrit casto uirginis e gremio ,
 Quod miserae oblitae molli sub ueste locatum ,
 Dum aduentu matris profilit , excutitur .
 Atq. illud prono praeceps agitur decursu .
 Hinc manat tristi conscius ore rubor .*

Seuocat a doctis Ortale uirginibus] Hic ille for-
 tasse est Ortalus , Hortensii nepos , cuius Tacitus ,
 & Suetonius meminere . Ille in .II. Favorabili, in-
 quit , in speciem oratione uim imperij tenuit , cen-
 susq. quorundam senatorum iuuuit . quod magis mi-
 rum fuit , quod preces . M. Hortali nobilis iuuenis .

» in paupertate manifesta superbius accepisset. Ne-
 » pos erat oratoris Hortensii, inlectus a Diuo Au-
 » gusto liberalitate decies sestertium ducere uxorem,
 » suscipere liberos, ne clarissima familia extinguere-
 » tur. Suetonius in Tiberio, Quo pacto, inquit, ple-
 » rosq. modestia, & pudore deterruit, in quibus Hor-
 » talum, Q. Hortensii nepotem, qui permodica re-
 » familiari, auctore Augusto, quattuor liberos tulle-
 » rat. Ac, si is quidem non est, ex eadem alium fami-
 » lia fuisse oportet, quem opinor Gellius Hortensium
 » nominat poetam, Catulli, Calui, Cinnae, & Mem-
 » mi Poetarum aequalem. Hortensium scilicet F.
 » Nec potis est dulceis Musarum expromere fe-
 » tus] Paene expressit illud Pindari, Καὶ ἐγὼ νέκ-
 » ταν χυτὸν μοισᾶν Δότιν ἀθλοφόροις ἀνδράσι πέμπων,
 » Γλυκῶ καρπὸν φρενὸς ἰλάτκομαι. Mens ani-
 » mi] Sic Lucret. in eodem prope genere, Pertur-
 » bata animi mens in maerore, metuq. Atq. alibi,
 » Deniq. cur animi numquam mens, consiliumq.
 » Gignitur in capite. Horat. in. 1. Epist. Tamen
 » istuc mens animusq. Fert. Idem forte sit apud Ari-
 » stotelem, Ψυχῆς ὁ νοῦς, in libris τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ.
 » Letheo gurgite] In manuscriptis om-
 » nib. Lethaei gurgite. Ereptum nostris
 » obterit ex oculis] Sic etiam omnib. in manuscri-
 » ptis. Guarinus ait quosdam legere, Obtegit, pro
 » Obterit. Ego ex Obterit, faciebam, Obruit.
 » Adloquar] Versus hic nothus. nec enim ullo est
 » in manuscripto, quem confidens homo Catullini lo-

composuit, cum desiderari illum uideres.

Numquam ego te uita frater amabilior Aspi-
ciam posthac] Sic saepe Theognis, & Callima-
chus in hoc genere carminum sententiam profert
in plures uersus. Hac fere querella in luctu uti ho-
mines, declarat Philemon apud Stobaeum, cuius e
uerbis haec sunt, Αβίωτος ὁ βίος, οὐκ ἔτ' ὄψομαι,
Απόλωλεν. Atq. eodem prope modo apud Callima-
chum Nympha lamentans, Αλλ' οὐκ ἄελιον πάλιν
ὄψομαι. ὧ εἰ μὲ δειλάν.

Semper maesta
tua carmina morte canam] In manuscriptis om-
nib. non Canam, sed Tegam. e quo faciendum
omnino uidetur, Legam. quod & Aldus ante im-
pressit.

Qualia sub densis ramorum con-
cinit umbris Daulias] Eodem genere compara-
tionis est usus Verg. in. IIII. Georg. de Orpheo,
Qualis populea maerens philomela sub umbra,
Amisissos queritur fetus, quos durus arator, Obser-
uans nido implumes detraxit, at illa Flet noctem,
ramoq. sedens miserabile carmen Integrat, et mae-
stis late loca questib. implet. Et Ouid. in. v. Fast.

Quacumq. ingreditur miseris loca cuncta querellis
Implet, ut amissum cum gemit ales uyn. In eandem
sententiam Sophocles in Electra, Νήπιος, ὅστις τῶν
οἰκτρῶς οἰχομένων γονέων ἐπιλάθεται. ἀλλ' ἐμέ γ'
ἀσπρονόεος' ἀραρε φρένας, ἀἴτην αἰὲν ἴτην γ' ὀλοφύρε-
ται, ὄρνις ἀτυζομένη διὸς ἄγγελος. Et Callimachus
in lauacro Palladis, Ἀμὴν ἀμρῶτέρησι φίλον περὶ παῖ-
δα λαβοῖσα, Μάτηρ μὲν γοερῶν οἴτου ἀηδονίδων, Ἀγε

- „ Capὸν κλαίουσα. - assumpti fata gemens Ity
 li] *In manuscriptis etiam, Assumpti. legendum
 tamen uidetur, Absumpti. quo modo & Propert.
 in . III. Increpet absumptum nec sua mater Ityn.
 quomodo autem fata Ityli gemat, superiora illa So
 phoclis declarant. Ityli uero ὑπὸ κροισικῶς. ut apud
 Theocritum quoq. Ερώτυλος. - Battiadae]*
 „ Callimachi. Ouid. in. I. Elegiarum, Battiades toto
 „ semper cantabitur orbe, *Quamuis ingenio non ua
 „ let, arte ualet. Idem in. II. Tristium, Nec tibi Bat
 „ tiade nocuit, quod saepe legenti, Delicias uersu fas
 „ sus es ipse tuas. Et in Ibin, Nunc quo Battiades ini
 „ micū deuouet Ibin. Sic autem a Batto, de quo idem
 Callimachus in Hymno in Apollinem. Ef
 fluxisse meo forte putes animo] Sic etiam Pro
 „ pert. Id tibi ne uacuo defluat ex animo.
 Procurrit casto uirginis e gremio] Prouer
 bium id olim fuisse, Festus docet. Ex eodem autem
 genere uidetur esse etiam illud Ciceronis in epist. ad
 „ Brutum, Bibulum noli dimittere ex sinu tuo.
 Atq. illud prono praeceps agitur decursu]
 Atq. pro statim, mihi positum uidetur, ut apud
 „ Vergilium, Atq. illum in praeceps prono rapit al
 „ ueus amni. Vide Gell. in. x. cap. XXI X.
 Hinc manat tristi conscius ore rubor] Vno in
 manuscripto, Hinc manat natae conscius ore ru
 bor. Cur autem labi, & manare pudor dicatur,
 satis in Commentationib. in Horatium doceo.*

DE. COMA. BERONICES

OMNIA qui magni despexit lumina mundi,
 Qui stellarum ortus comperit, atq. obitus,
 Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
 Ut cedant certis sidera temporibus,
 Vt Triuiam furtim sub Latmia saxa relegans
 Dulcis amor, gyro deuocet aërio,
 Idem me ille Conon caelesti numine uidit
 E Beroniceo uertice caesariem,
 Fulgentem clare, quam multis illa dearum,
 Lenia protendens bracchia, pollicita est,
 Qua rex tempestate nouis auctus Hymenaeis,
 Vastatum fines iuerat Assyrios,
 Dulcia nocturnae portans uestigia rixae,
 Quam de uirgineis gesserat exuijs.
 Est ne nouis nuptis odio Venus. an ne parentum
 Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
 Vbertim thalami quas intra limina fundunt.
 Non, ita me diui, uera gemunt, iuerint.
 Id mea me multis docuit regina querellis,
 Inuisente nouo proelia torua uiro.
 At tu non orbem luxti deserta cubile,
 Sed fratris cari flebile discidium,
 Cum penitus maestas exedit cura medullas.
 Vt tibi tunc toto pectore sollicitae
 Sensib. ereptis mens excidit. atqui ego certe
 Cognoram a parua uirgine magnanimam.

An

An ne bonum oblita es facinus, quod regium adeptæ es
 Coniugium, quod non fortior auxit auis.
 Sed tum maesta uirum mittens, quæ uerba locuta es.
 Iuppiter, ut tersti lumina sæpe manu.
 Quis te mutauit tantus deus. an quod amantes,
 Non longe a caro corpore abesse uolunt.
 At, quæ ibi pro cunctis, pro dulci coniuge diuis
 Non sine taurino sanguine pollicita es,

*

Si reditum tetulisset is haud in tempore longo, &
 Captam Asiam Aegypti sinib. adiceret.
 Quæis ego pro factis caelesti reddita coetu,
 Pristina uota nouo munere dissoluo.
 Inuita o regina tuo de uertice cessi,
 Inuita, adiuro teque, tuumq. caput,
 Digna ferat, quod si quis inaniter adiuravit.
 Sed qui se ferro postulet esse parem.
 Ille quoque euersus mons est, quem maxima in oris
 Progenies Phthiae clara superuehitur,
 Cum Medi inrupere nouum mare, cumq. iuuentus
 Per medium classi barbara nauit Athon.
 Quid facient crines, cum ferro talia cedant.
 Iuppiter, ut χαλὸς ἅπαντ' omne genus pereat:
 Et qui principio sub terra quaerere uenas
 Institit, ac ferri frangere duritiem.
 Abiunctæ paulo ante comæ mea fata sorores
 * Lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
 * Vnigena impellente nutantib. æra pennis,
 * Obtulit Arsinoes Chloridos ales equos.

Isq.

Isq. per aetherias me tollens aduolat auras,
 Et Veneris casto conlocat in gremio.
 Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
 * Grata Canopaeis incola litoribus,
 Scilicet in uario ne solum limite caeli
 Ex Ariadnaeis aurea temporibus
 Fixa corona foret : sed nos quoq. fulgeremus
 Deuotae flauu uerticis exuuiæ.
 Vnidulam a fletu, cedentem ad templa deum, me
 Sidus in antiquis diua nouum posuit.
 Virginis & saeui contingens namque Leonis
 Lumina, Callisto iuncta Lycaoniae,
 Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
 Qui uix sero alto mergitur Oceano.
 Sed quamquam me nocte premunt uestigia diuum,
 Luce autem canae Tethyi restitutor,
 Pace tua fari haec liceat Rhamnusia uirgo,
 Namq. ego non ullo uera timore tegam,
 Non, si me infestis discerpant sidera dictis,
 Conditæ quin uere pectoris euoluam,
 Non his tam laetor rebus, quam me absfore semper,
 Absfore me a dominae uertice discrucior.
 Qui cum ego, dum uirgo quondam fuit omnib. expers,
 Unguentis una millia multa bibi.
 Nunc uos, optato quas iunxit lumine taeda,
 Non prius unanimis corpora coniugibus
 Tradite, nudantes reiecta ueste papillas,
 Quam iucunda mihi munera libet onyx,
 Vester onyx, casto colitis quæ iura cubili.

Sed

Sed quae se impuro dedit adulterio,
 Illius aur a leuis bibat, & dona inrita puluis:
 Namq. ego ab indignis praemia nulla peto.
 Sic magis o nuptae semper concordia, uestras
 Semper amor sedes incolat adsiduus.
 Tu uero regina tuens cum sidera, diuam
 Placabis festis luminib. Venerem
 Sanguinis expertem, non uotis esse tuam me,
 Sed potius largis effice muneribus.
 Sidera cur iterent. utinam coma regia fiam,
 Proximus hydrochoi fulgeat Orion.

Vnde collegerit, non explicat, haec autem uir erudi-
 tus, ac diligens Arsenius in Collectaneis illis suis ita
 tradidit, quid sit Βερονίκης πλόκαμος interpretans,

- » Βερονίκη, γυνή τις ἦν τοῦ ἐν ἀλεξανδρίᾳ πολεμαίου
 » τοῦ Διεργέτου καλουμένου. τοῦ οὐδ' ἀνδρὸς αὐτῆς πλο-
 » λομαί' ὄντος ἐν πολέμοις, ἠύξατο ὅτι εἰ ὑποσρέψει ἄστρω-
 » τος, τῶν πλακάμων τῶν ἐαυτῆς ἀπόκαρμα, ἀναθήσει
 » ἀνάθημα ἐν τῷ ἱερῷ καὶ ἀνέθηκεν ἡ βερονίκη. Κόνων αὐτῷ
 » τις ἀστρονόμος ἦν ἐπὶ τῆς αὐτῆς χρόνων. καὶ πρὸς κολα-
 » κείαν αὐτῆς φησὶν, ὅτι οἱ θεοὶ τὸν πλόκαμον τοῦτον ἐν
 » ἀστροῖς ἀνέθηκαν. καὶ νῦν ἐστὶ τις βοτρυειδῶς θέσις ἀστ-
 » ρων ἐν τῷ οὐρανῷ, ὃ καλοῦσι πλόκαμον βερονίκης. *Qui-*
bis ex uerbis intelligimus, inuentum illud Cononis
fuisse, quod Callimachus uersibus suis ornarit. pro-
pterea credo Manilius tantum hominis tribuit in-
genio, ut & deos faciat. Sic enim in extremo. IIII.
» libro. Ne dabites homini diuinos credere sensus, Iā
 » facit

facit ipse deos, mittitq. ad sidera numen Maius, & augusto crescit sub principe caelum. Solinus cap. XXIX. Beronicem Ptolomaeo. III. nuptā fuisse tradit. Hyginus in. II. de Sig. Caelest. Ptolomaei sororem & coniugem illam fuisse dicit, & huius argumentum elegiae totum explicat in Leone Signo.

Omnia qui magni despexit lumina mundi] Despexit, etiam in manuscriptis omnib. Mihi uero legendum uidetur, ut & Aldus olim impressit, Disspexit. Mundi: τοῦ κόσμου. Sic Lucret. saepe accepit.

Qui stellarum ortus comperit, atq. obitus] In manuscriptis. II. non Obitus, sed Habitus. in uno, Abitus. Sed, quod impressū est, rectius uidetur. Flammeus ut rapidi solis

nitor obscuretur] Verg. Defectum solis hunc dixit, ἐκλειψιν uidelicet, quam dicunt Graeci.

Vt cedant certis sidera temporibus] obeant.

Tibullus in eandem sententiam uidetur dixisse, Annus agit certa lucida signa uice.

- gyro deuocet aerio] sic etiam Gyrum pro caelesti illa orbita circulatorum orbis q. superiorum

posuit Horat. in. II. Serm. - seu bruma niualis Interiore diem gyro trahit. In manuscriptis tamen

erat, Giuodero, non Gyro, quod errore librariorum factum est, cum quid uerbi Gyros esset non intel-

legerent, & De, principem syllabam uerbi, Deuocet, geminarunt.

Idem me ille Conon caelesti numine uidit] Sic etiam erat in manuscriptis ijs, quos habebam. In Marcelli Pont. Maxi-

mi libro fuerat, Munere. ego legendum suspicabar,
 23 Nomine. nomen autem est id, quod sequitur, E Bero
 23 niceo uertice Caesariam. idest, Βερονίκης πλόκαμον.
 23 Sic Vergil. Nautica tum stellis numeros, & nomi-
 23 na fecit. aut, si ad Cononem referimus, legendū for-
 te sit, Lumine. Caelesti lumine, idest diuina quadā
 oculorum acie. Versus Callimachi, quos Catullus ex-
 pressit, aliter a Theone Arati interprete adducun-
 tur, ambo ut sint heroici, quod scribae librarij uitū
 fuisse puto. elegos enim illos Callimachi fuisse nullo
 modo dubitandum. itaq. legendi omnino sunt, quem
 admodum illos etiam legit Politianus in Miscella-
 neis. — quam multis illa dearum] Graece
 23 dictum. et forte fuit in Callimachi uersu, ὅν πολλῆσι
 23 θεῶν. Leuia protendens bracchia, polli-
 23 cita est] Vetus Persii interpres in illud in prima
 Satyra, Ten cirratorum, Cirri, inquit, consecrati
 certis numinibus. Hunc ipsum uouendi comam,
 cōsecrandiq. morem declarat, nisi fallor, Lucanus.
 23 Hic more parentū Iasides thalamos, ubi casta ad-
 23 olesceret aetas Virgineas libare comas, primosq.
 23 solebat Excusare toros. Legendum forte, Excussare
 toros. Quod autem bracchia dicit illam protēdisse,
 supplicantium expressit gestum. Sic Ouid. in. III.
 23 Metam. Non habet infelix quae tendat bracchia
 23 matri. Et Tibul. in. III. Tu modo cum multa
 23 bracchia tende prece. Eodem modo Vergil. Pal-
 23 mas tendere. Callimachus in Hymno in Delon eo-
 23 dem modo, quo Catullus, ἠνίκα πῆχαι ἀμφατέρους
 ἐπέγουσα

ἀπέγυσα.

Pollicita est: Vouit. Leuia uero,

ad uim boni pertinet. Sic Tibul. Cui leuia fulgent
Ora. Et Polyphemus apud Ouid. de Galatea, Le-
uior ad siduo detritis aequore conchis.

Qua

rex tempestate] Hoc ipso de genere iam dictū an-

te. quo etiam usus Propert. in. IIII. dixit Amphi-
trion yades qua tempestate iuuenos, Et quae sequē-
tur.

- nouis auctus Hymenaeis] In ma-

nuscriptis omnib. Nouo auctus hymenaeo. quod re-
tinendum censeo. quo de genere iam dictum antea.

neq. Vergil. elisit, Et femineo ululatu.

Vastatum fines iuerat Assyrios] In manuscri-

ptis, Vastum finis ierat, Et, Iuerat. Vastatum autem
omnino esse debet. Finis autem, ueteri consuetudine
scriptum.

Quam de uirgineis gesserat

exuuiis] Rixam gerere, ut Bellum gerere dixit.

Estne nouis nuptis odio Venus, anne paren-
tum] In manuscriptis omnib. Atq. parētum. quod
rectius iudico.

Frustrantur falsis gaudia

lacrimulis] Quas, ut ait Comicus, uix uiq. expres-
serint.

Ubertim thalami quas intra limi-
na fundunt] In manuscriptis duob. Intra lumina.

In uno, Inter lumina. quod sit fortasse probabilius.

Ubertim lacrimas fundere, sic dixit, ut Cic. Fle-
re uberius. in. II. enim Philippica. Cum mulier fle-

ret uberius, homo misericors ferre non potuit. Et

Sueton. in. C. Caesaris uita, Proximis dieb. equo-

rum greges, quos in traiciendo Rubicone flumine
consecraret, ac uagos sine custode dimiserat, compe-

V

rit

33 rit pertinacissime pabulo abstinere, ubertimq. flere.
 33 Gaudia uero sic post, *Impia derisi gentilis gaudia*
 33 tollens. Non, ita me diui, uera gemunt,
 iuerint] Vera gemere, Graecorum more dixit. In-
 uerint autem in manuscriptis, & inuerunt. Sed,
 quod est impressum, rectius. v. enim detrahebant
 etiam ab eiusmodi praeterito. cuius rei fidem facit
 uetus optimae fidei liber epistularum Ciceronis, quē
 Petrus Victorius est secutus. nam, cum alibi eodem
 modo, tum in. XIII. epist. ad Seruium sic est, Id est
 33 si. T. Manlium quam maxime, quibuscumq. re-
 33 bus honeste, ac pro tua dignitate poteris, iueris, atq.
 33 ornaueris. Et ad Trebatium, Aut consolando, aut
 33 consilio, aut re iuero. Sed erat in manuscriptis o-
 mnibus, Non ita me diu, non Diui. Itaq. scriptū fuis-
 se suspicor, Non ita me di ut uera gemunt iuerint.
 Et ratio enim ipsa loquendi Latine sic postulat, & li-
 brariorum errore apparet esse interpositionem uo-
 cis, Ut non intelligentium, e qua cum superiore Diu
 fecerunt. Nec abhorret ab hac sane sententia uer-
 33 sus poetae ueteris apud Senecam in. II. declam. Fe-
 33 lices nuptae, moriar, nisi nubere dulce est.
 Inuisente nouo proelia torua uiro] Proeliū eo
 dem modo posuit etiam Claudianus in nuptijs Ho-
 33 nori, & Mariae, Tum uictor madido profiliis to-
 33 ro, Nocturni referens uulnera proelij. Donatus in
 Eunucho, uerba interpretās illa, Dabit hic aliquā
 pugnam denuo, sic hoc in genere ueteres locutos ostē-
 33 dit, Pro stupr, nquit, ut, At non in uenerem segnes,
 nocturna q.

nocturna q. bella. Ut, Veretur q. bella, & ingens faci-
 nus. Ut Lucilius, Vicimus, o ciues, & magnam pu-
 gnauius pugnam. Quod si nulla metaphora est,
 & de proelijs in Syria factis loquitur, haec referan-
 tur ad superiorem locum de rixa nocturna.

Sed fratris cari flebile discidium] Mariti. quod
 amatorie positum uideri possit. Tibullus in. III.

Haec tibi uir quondam, nunc frater cara Neaera
 Mittit. aut fratrem uocat, quod idem et frater esset,
 & coniux. Cum penitus maestas exedit

cura medullas] Homerus etiam γυθόρου μελε-
 δώνας. Valer. Flaccus in. II. Argon. eodem modo,

quo Catullus, Ac primam Eurynomen, ac proxi-
 ma limina coni Occupat exesam curis, castumq. cu-
 bile Seruantem. Ut] Admirantis. Sic non-
 numquam Vergil. & Manilius in. v. Astronom.

Quae tua tunc fuerat facies, ut fugit in auras

Spiritus, ut toto caruerunt sanguine membra.

Sensib. ereptis mens excidit] Sic Caelius men-
 tem sibi iracundiae tumore ablatam dicit in epist.

lib. VIII. ad Cic. quo in loco in uulgatis libris pra-

ue legitur, Nam mihi sentio bonam mentem iracun-
 dia, & more ablatam. Atque ego certe] Le-

gendum omnino, Atqui, ut Pontanus legendū cen-
 sebat. in manuscripto erat, Atq. Anne bo-

num oblita es facinus] Bonum, pro Pulchro po-
 ni, iam diximus. - quod regium adeptas es

Coniugium] In manuscriptis est, Quam regium
 adeptus coniugium. Gabriel Faernus ingeniose, ex

Quem, Quum faciebat. quod est ualde probabile. Sed uetustissimis in libris, quoscumq. mihi uidere licuit, Cum illo modo scriptum nusquam uidi.

Quod non fortior auxit auis] In manuscriptis omnib. Aut sit alis. legendum omnino, ut docti uiri & legunt, & interpretantur, Ausit alis. Alis id est, Alius. Carisius in. II. sic etiam locutum Sallustium demonstrat. & idem significare confirmat Diomedes Grammaticus. Quod, autem ad facinus referendum. Eodem prope modo Paterculus in posteriore uolumine, Non ab Scipionibus, alijsq. ueteribus Romanorum ducum quidquam ausum, patratumq. fortius. Quae uerba locuta es]

πρὸ τοῦ λόγου εἶπες. Iuppiter ut tertii lumina saepe manu] In manuscriptis omnib. non Tersti, sed Tristi, id est, Triuisti. itaq. Suetonius de claris Rhetorib. de Sexto Clodio. Sed locum corruptum, ut hodie uulgo legitur, primum proferam, deinde emendatum a me ponam. Male, inquit, oculatus, & dicax paroculorum. In amicitia. M. Antonij trium uiri extitisse se aiebat. Quam uero insolens atq. abhorrens uerbum, Paroculorum. quam inepte etiam dictum extitisse se in amicitia. M. Antonij. In ueteri libro paulo melius. Male oculatus & dicax. par oculorum in amicitia. M. Antonij trium uiri extricte se aiebat. Ego e uerbo Extricte, faciebam Extrisse, id est, Extriuisse, ut aperta omnino atq. elegans sit horum uerborum sententia.

Quis te mutauit tantus deus] Magnus omnino.

Sic

2) Sic Verg. in. I. Aeneid. *Insidiat quantus miserae*
 2) *deus*. At, quae ibi pro cunctis, pro dulci

coniuge diuis, Nō sine taurino sanguine pol-
 licita es] Pro cunctis. id est socijs coniugis. uel, pro
 cunctis, id est, palam omnib. ante omnes. duriuscu-
 lum fortasse. quod Pro, referamus ad homines. nam
 interiectio hoc loco esse posse non uidetur.

Si reditum tetulisset is haud in tempore lon-
 go] In manuscriptis erat, *Si reditum tetulisset is*
aut in tempore longo. Ego & legendum, & distin-
guendum sic puto, Si reditum tetulisset, is haud in
tempore longo. Sic enim, Haut, negatiua, sequente
praesertim uerbo, cuius princeps esset uocalis litte-
ra, & librorum uetustissimorum, & inscriptionum
testimonijs facile possum probare. - caelesti

reddita coetu] Hoc dādi casu ueteres utebantur.

Reddita: quasi obligata uoto. Horat. in. II. Carm.

2) Ergo obligatam redde Ioui dapem. Inuita

o regina tuo de uertice celsi] Imitatum Vergi-

2) lium Macrobius, opinor, ostendit, cum dixit, Inui-

2) tus regina tuo de litore celsi. Sic Aeneae naues

2) ipsius de se ipsis in. x. Aeneid. Rupimus inuitae

2) tua uincula. - adiuro teq. tuumq. caput] Sic

2) Verg. in. IIII. Aeneid. Testor cara deos, & te ger-

2) mana, tuumq. Dulce caput. Digna ferat]

Par supplicium sceleri. Sed qui se ferro po-

stulet esse parem] Sic etiam erat in manuscri-

ptis, Et, Qui, id est, quomodo fere interpretantur,

quod tamen parum mihi uidetur procedere. itaq, le

- gi malim, Sed quis se ferro postulet esse parem. Postulare uerbo eodē prope modo Cic. est usus in epist.
- » ad Brutum, Tantum quisq. in rep. posse postulat,
- » quantum habet uirium. Et de Orat. Nam quod tu
- » non poteris, aut nescies, quis nostrum tam impudens
- » est, qui se scire, aut posse postulet. - quem maxima in oris] Sic etiā est in manuscriptis omnib.
- Alij legunt, Quem maximum in oris, ut & Vergil.
- » in. VII. similiter de loco, Est locus Italiae medio sub
- » montib. altis Nobilis, & fama multis memoratus
- » in oris. Progenies Phthiae clara superuehitur] In manuscriptis omnibus, Phitiae. quo modo etiam Ouidius in. III. Amorum, sed priore longa.
- » Te quoq. promissam Xantho Penaeae Neacrā Phithiadum terris oculuisse ferunt. nisi legendum sit, Phtheiadum. De eodem uero monte & Iuuenalis, idem significans, dixit, Velificatus Athos. Quod autem, Dara, pro Clara, hoc loco alij legunt, id sine auctore mihi facere uidentur. Cum Medi inrupere nouum mare] In manuscriptis omnib. non Inrupere, sed Propere. legendum forte, Pepulere.
- » Sic ante, Pellunt uada remis. Per medium classi barbara nauit Athon] Claudianus in. II.
- » in Rufinum de Xerxe, Cum classibus iret Per scopulos. Iuppiter ut χαλύβων] Sic primus emendauit Politianus, cum in manuscriptis legeretur,
- » Iuppiter ut celitum. Vt, autem & κτινῶς posuit, ut &
- » Horat. in. II. Serm. - O pater, et rex Iuppiter ut percat positum robigine ferrum. ac nescio, an sic etiam posuerit

posuerit Propert. in. II. His saltem ut teneat iam fi-
nibus. Vide Priscian. in. xv. Similis apud Plautum
detestatio, Di illum perdant, qui primus clauas in-
uenit.

Et qui principio sub terra quaere
re uenas Institit] Venas ferri, quod sequitur.

Institit: instituit. Afranius in Emancipato, ut qui-
dem adducit Carisius in. II. Iccirco haec agere te-
cum secreto institi. Cic. quoq. in Arateis, Inde sagis
tipotens superas conuifere lucas Institit. Eodem uer-
sus principio post utitur ad Manlium. Et qui prin-
cipio nobis, & quae sequuntur.

Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores Lugebāt]

Comas luxisse, dixit ποντικῶς. ut & Lacus flere
Vergilio dicuntur. Sorores comae dicuntur etiam,

quae eiusdem capitae fuissent. Sic Ouidius libros
ipso fratres appellat, qui sint eiusdem auctoris.

A Graecis, opinor, eodem modo quoq. dicitur τὸ ἀδελ-
φόν.

- cum se Memnonis Aethiopis Vni-
gena] Veni ad eum locum, qui esse uel difficillimus

putatur. quo explicando eruditi homines cum satis
habuerint negotij, sibi tamen ipsi non satisfaciunt.

Ego uero, cum ab illis dissentiam, sedulo scilicet ope-
ram dedi, ut nouum, ac plane meum quidquid esset,

id cū uestigijs scriptae quamuis prauae lectionis ac
probabilium auctorum testimonijs confirmarem.

itaq. primum, quam effici uolo sententiam, demon-
stro. Zephyrum Memnonis fratrem finxerat Calli-
machus e Venere, cuius fanum in Zephyrio Aegy-
pti promontorio religiose coleretur, missum eo Bero-

COMMENTARIUS

nicae comam deorum in templo dicatã uti tolleret, ad seq. deferret, cui post ipsa locum in astris daret. Nunc haec sunt probãda singula. Zephyrus frater Memnonis, quod eadem matre, id est, Aurora geniti sint. Aurora namq. uentos esse natos scribit Hesiodus, Ἀσπείω δ' ἠὼς ἀνέμους καρτεροθύμους Ἀργέην Ζέφυρον, βορέην λαυφροκέλωθρον, καὶ νότον ἐν φιλότῃτι θεῶν θεὰ Διὸν θεῖσα. Unigenam uero, eadem matre genitum, significare, quibus in locis apud Catullum ponitur, ne dubitandum quidem existimo. Nunc reliqua interpretans, persequar. Memnona Aethiopem dicit Pindarus in Olympijs, αἴεσ τε παῖδ' αἰθίοπα. Nutantib. aera pennis] Sic etiam erat omnib. in manuscriptis. Ego pro Aera legendum puto, Aere. Cicero in Arateo poemate, quas Catullus nutantes pinnas, ipse tremebundas dicit. est enim apud illum sic, Igniferum mulcens tremebundis aera pinnis. Obtulit Arsinoes Chloridos ales equos] In manuscriptis sic erat, in primo Maffei, Optulit asineos e locridicos alis e quos. Supra uerbum tamẽ Asineos eadem manu erat annotatum, aliter, arsinoes. In secundo, Optulit asinios e locridicos auis equus. In tertio, Optulit assyrio elocritos alijs equos. e qua tãta uarietate, ac per turbatione uocum, numerorũq. uerisimilem tamen elicere lectionem conabar, hanc uidelicet, Obtulit Arsinoae Locricos alisequus. Se inquit obtulit in deorum templũ, in quo Beronices erat coma Zephyrus alisequus, siue ut paulo post uocat famulus Veneris

neris Locrus. i. qui sic a Zephyrio promontorio si-
ue portu Locrorum in Italia dicitur. cuius rei mul-
ti omnino auctores sunt. & Eustathius Dionysii in-
terpres Locricum dici posse significat. scribit enim

» sic, Λοκρὸς μὲν γὰρ διὰ τοὺς Λοκροὺς καλεῖται ὁ Ζέφυ-
» ρος, ὃ ἐστὶ Λοκρικός. καθάπερ ἰσημαρικός ἢ βορρᾶς ἐν τοῖς
» ἕξῃς, ἀπὸ ἰσημαρίου πόλεως. Aut etiam Locrios hoc lo-

co ponamus, quod per Stephanum quoq. in uerbo Λό-
κροι licet. Alisequum autem uentum apte ac uenu-
ste dixit, ut pedisequos uocant optimi scriptores, pe-
dibus alios qui sequuntur. & credibile quidem est,
par, aut simile huic fuisse uerbum Callimachi. nam,
quid hic tandem loci habet uox Equus. Ac si quis
Pedissequum, & Alissequum per duo. s. s. scribi de-
bere contendat, licere tamen arbitror poetis, alterū
demere, quod suo cōmodo facere possint. Adde, quod
in manuscriptis non Ales, sed Alis, ut appareat ab
imperito scriba librario inscienter ex una duas fuis-
se factas dictiones. deinde, quod sequitur, Isq. per ae-
therias, quod de alisequo dictum est, etiam confir-
mat. Atq. ego hoc loco si retinendum de duobus alte-
rum, malim ut legatur, Ales eques, quā Ales equus.
etenim Zephyrum equitem Euripides in Phoenissis

» uideatur dicere, Ζεφύρου πνεύμας ἰππὶ δ' ἅπαντος ἐν ἔρα-
» νῶ. At Arsinoe Veneris nomen esse, & Strabo do-
» cet, & Posidippus illis apud Athenaeum uersib.

» Τοῦτο γὰρ ἐν ποταμῶ, γὰρ ἐπὶ χθονὶ τῆς φιλαδέλφου.
» Κύπριδος ἰλάτκεσαι ἱερὸν ἀρσινόης ἢ ἀνακυρεναίου-
» σαν ἐπὶ Ζεφυρηίδος ἀκτῆς φρῶτος ὁ ναύαρχος θῆκετο

» Καλλικράτης

» Καλλικράτης ἢ δὲ καὶ Ἀπλοῖν δώσει, καὶ χεῖματι
 » μέσῳ τὸ πλατὺ λισομένης ἐκλιπᾶνει πέλαγος. *Qui-*
 » *buis ex uersibus eadem in Zephyrio Aegypti coli soli*
 » *τα, intellegimus. Eandem autem Venerem etiā Ar-*
 » *sinoen Zephyritida dictam, ostendūt Hygini uerba*
 » *illa in. II. in Leone Signo. Sed aliae. VII. stellae ad*
 » *caudam Leonis in triangulo cōlocatae, quas crines*
 » *Beronices esse, Conon Samius mathematicus, &*
 » *Callimachus dicit. um Ptolomaeus Beronicen Pto-*
 » *lomaei & Arsinoes filiam sororem suam duxisset*
 » *uxorem, & paucis post diebus Asiam oppugnatum*
 » *profectus esset, uouisse Beronicen, si uictor Ptolomae-*
 » *us redisset, se detonsuram crinem. quo uoto damna-*
 » *tum crinem in Veneris Arsinoes Zephyritidis po-*
 » *suisse templo, eumq. postero die non comparuisse. Et*
 » *Stephani in uerbo Ζεφύριον illa, Ἐσι καὶ Ἰθαλίας Ζεφύ-*
 » *ριον, ἀφ' οὗ οἱ Λοκροὶ ἐπιζεφύριοι. ἔσι καὶ ἄκρα τῆς αἰγύ-*
 » *πλου, ἀφ' ἧς ἡ ἀφροδίτη, καὶ Ἀρσενὸν Ζεφυρίτης, ὡς Καλ-*
 » *λίμαχος. In quibus illa sic legenda puto, ἀφ' ἧς ἡ ἀ-*
 » *φροδίτη, ἢ καὶ ἀρσινὸν Ζεφυρίτης, ὡς Καλλιμάχος. Nā*
 » *Venerem Arsinoē dici, cum illa, quae iam supra po-*
 » *sui, tum Hygini uerba declarant. Et, quoniam Cal-*
 » *limachum laudat auctorem Stephanus, dubitan-*
 » *dum non est, quin ille apud Callimachum idem fue-*
 » *rit locus, qui est hic a Catullo expressus. itaq. huius*
 » *loci sententia recte procedet. Chloris autem nihil*
 » *ad historiam huius loci pertinet. Qui potest enim.*
 » *nāq. Chloris, quae eadem Flora nominatur, nobile*
 » *Pōpei scortum fuisse dicitur. at annorū inter haec,*
 »

&

Et illa Ptolomaei tempora tantum est interuallum,
 ut Pompeiani scorti meminisse Callimachus nullo
 modo possit. esse uero Floram siue Chloridem Pom-
 peianam eã, cuius in. IIII. Fast. meminit Ouidius,
 testatur Lactantius his quidem uerbis. Flora, cum
 magnas opes ex arte meretricia quaesiuisset, P. R.
 scripsit heredem, certamq. pecuniam reliquit, cuius
 ex annuo fenore suus natalis dies celebraretur, edi-
 tione ludorum, quos appellabant Floralia. Quod
 quia Senatui flagitiosum uidebatur, ab ipso nomine
 argumentum sumi placuit, ut pudendae rei quae-
 dam dignitas adderetur, Deã finxerunt esse, quae
 floribus praeesset, eamq. oportere placari, ut fruges
 cum arboribus aut uitibus bene prospereq. floresce-
 rent. Eum colorem secutus in Fastis Poeta, non igno-
 bilem nympham narrauit, quae Chloris uocitata,
 eamq. Zephyro nuptam, quasi dotis loco id accepis-
 se muneris a marito, ut haberet omnium florum po-
 testatem. Isq. per aetherias me tollens ad
 uolat auras] In manuscriptis omnib. non Auras,
 sed Umbras. at illo modo etiam Vergil. Quae tantũ
 uertice ad auras Aetherias. Et Veneris ca-
 sto conlocat in gremio] In manuscriptis omnib.
 Aduolat in gremio. Sed nec latine satis, Et ine-
 pte. cum iam posuerit idem uerbum in superiore uer-
 su. ego e duobus uerbis, Aduolat in, unum facio, A-
 uoluit. ut sit unius in duas syllabas ἀνάδυσις. Sic ali-
 bi, Condit a quin ueri pectoris euoluam. O autem ex-
 tremam uerbi, Casto, litteram non elisit, sequente
 uerbo,

uerbo, a uocali incipiente, ut nonnumquam alibi
 » & Verg. In Actaeo Aracintho. Castum uero gre-
 mium Veneris dicit, propterea quod Beronice Pto-
 lomaeum coniugem amabat. eius namq. Veneris
 » castum gremium intelligit, de qua ante, Nil potest
 » sine te Venus Fama quod bona comprobet Commo-
 di capere. Ipsa suum Zephyritis eo famu-
 lum legarat] Zephyritis Venus ipsa dicitur a pro-
 montorio Zephyrio, in quo eius opinor tēplum fuit.
 Sic enim eam uocari a loco, uel illi ueteris poetae
 » uersus apud Athenaeum in. XI. ostendunt, Κόλχος
 » ἐγὼ Ζεφυρίτι παλαιότερος, ἀλλὰ σὺ νῦν με Κύρισε-
 » ληναῖνς ἀνδεμα πρῶτον ἔχεις. Et quae sequuntur.
 Sic autem Zephyritis a loco, ut eadem Erycina, a-
 liysq. nominib. alijs ab locis dicitur. de templo eius
 in Zephyrio cum apud alios mentio, tum apud A-
 » thenaeum in Hedili uersibus, Ζωροπόται καὶ τοῦτο
 » φίλον Ζεφύρου κατὰ νηὸν. Et statim post, Δεῦτε νέοι
 » νηῶ τῷ δε παρ' ἀρσινόης. Nisi quis Zephyrion ma-
 lit intelligere, quod in Aegypto fuit eodem nomine.
 Quod ut sit, non impedit tamen, quo minus ipsa
 procedat huius loci sententia. Cur autem promon-
 torium Zephyrium, cum Zephyrus Δοκρός, cur
 Locri ἐπιζεφύριοι dicantur, Strabo, & Eustathius
 interpretes Dionysii declarant. Famulum:
 alisequum suum. quod deam coleret. sic famulos
 Cybeles dicunt, & deorum aliorum. Grata
 Canopaeis incola litoribus] In manuscriptis,
 Canopicis. legendum puto, Canopitis, siue Canopi-
 ticis,

ticis, nisi antepenultima impediatur. quomodo κραδί-
 τος, & σιδίτος dicitur, auctore Stephano περὶ πό-
 λεων. In Aegypto autem quanto opere eadem dea
 coleretur, dicere, superuacaneum sum arbitratus.

Scilicet in uario] In manuscriptis omnib. pro
 Scilicet in, in uno, Hydi. In duob. Hidyuen ibi.

Ex quo faciebam, Lumen uti uario, & quae sequun-

tur. Sic enim paullo post, Uuidulum a fletu ceden-

tem ad templa deum me Sidus in antiquis diua

nouum posuit. Et, Virginis & saeni contingens nāq.

leonis Lumina. At uno in libro uacuus hic locus.

Mihi quidem, multa conijcanti, uerbum quod
 prius fuisset, uenire in mentem non poterat. e reli-

quo, Luen ibi uario, faciebam, Iuuenile phaos, ad-

ductus Placiadis uerbis illis in Glossis, Iuuenile

phaos, semper uirens, & numquam senescens lu-

men. ut, si de sole dicamus. Augent hanc quoq.

probabilitatem uerba Verg. in. 1. Aeneid. Lu-

menq. iuuentae Purpureum. Nam Placiades,

quod illud a ueterib. poetis usurpatum legerat, pro-

pterea est interpretatus. In limite caeli:

Caeli regiones appellabant Limites. Phauorinus

apud Gellium in. 11. cap. XXII. Tum Phauorinus,

inquit Gellius, ita fabulatus est. Satis, inquit, no-

tum est, limites, regionesq. esse caeli quattuor, Ex-

ortum, occasum, meridiem, septentrionem.

Lumina, Callisto iuncta Lycaoniae] In ma-

nuscriptis quoq. Callisto. Ego uero disjunctionem a

sine uerbi, Lycaoniae, tollendam puto, nondum fi-

nita

nita sententia. Qui uix sero alto mergitur Oceano] Haec, & quae sequuntur ad δύσην & ἀνατολήν pertinent ἡλιακὴν. Luce autem canae Tethyi restitutor] In manuscriptis omnib. Lux aut canae Tethyi restituem. In uno, restituā. Ego legendum puto, Lux autem canae Tethyi restitui. Et hoc loco non esse sistendam sententiam puto.

» quae in eo demum uersu uidetur insistere, Afore me
 » a dominae uertice disrucior. quamquam in Masfei libro in margine, neq. recēte quidem manu, erat scriptum hoc loco sic, Deficit. ut appareat, uacasse eum locum in libro, quo tum describens librarius ueretur. Pace tua fari haec liceat] In manuscriptis duob. Pace tua fari licet hic. In uno, Pace tua fari hic liceat. Namq. ego non ullo uera timore tegam, Non, si me infestis] In manuscriptis omnib. Nec sine infestis. Itaq. legendum coniciebam, Namq. ego nonnullo uera timore tegam Haec, si me infestis. & quae sequuntur. Conditā quin ueri pectoris euoluam] In manuscriptis omnib. Conditā qui uere pectoris euolue. Itaq. legendum, Conditā quin uere pectoris euoluā. Verg. in. IIII. Georg. uerbo eodem usus proferre, &

» canere significare uoluit. Sic enim de Orpheo, Fleuisse, & gelidis haec euoluisse sub antris. In excerptis, ex historijs Sallusti in epistula ad Caesarem eodem modo Sallustius loquitur, Vix satis apertū os,
 » aut lingua prompta uidetur, quae dicta pectore euoluat. In peruetusto autem libro Vaticanae bibliothecae

cae sic legebatur hic locus, *Quam edita pectore e-*
uolat. Ego sic emendandum putabam, Vix satis a-
pertum os aut lingua prompta, quae meditata pe-
ctore euoluat. Attius apud Nonium, in uerbo, Com-
ponere, Composita dicta ex pectore euoluunt suo.
Euoluere sic quoq. dixit Statius in . I. Thebai-
dos, Fraternas acies, alternaq. regna profanis
Decertata odijs, fontesq. euoluere Thebas Pie-
rius menti calor incidit. Cic. in. III. de O-
rat. sic accepisse, & aliunde translatum significa-
re uidetur. Quae quidem te, Crasse uideo, inquit,
Cotta, quod nota esse nobis putares, sine definitio-
nib. & sine exemplis effudisse. Ego uero, inquit Cras-
sus, ne illa quidem, quae supra dixi, noua uobis esse
arbitrabar, sed uoluntati uestrum omnium parui.
His autem de rebus sol me ille admonuit, ut breuior
essem, qui ipse iam praecipitas, me quoq. haec prae-
cipitem pene euoluere coegit. - quam me ab
fore semper, Abfore] In manuscriptis Affore.
Scribendum Afore per unum. F. a uerbo Abesse.
Sic enim ueteres scribebant. Afore autem, pro Ab-
esse posuit. Qui cum ego, dum uirgo quon-
dam fut omnib. expers Vnguentis una mil-
lia multa bibi] Sic etiam erat in manuscriptis,
nulla sententia. fuisse puto scriptum, Qui cum ego
dum quondam uirgo fuit omnib. expressa Vnguen-
tis una millia multa bibi. Quasi id dicat, multa se
millia unguentorum, siue pyxidum, siue balano-
rum omnib. expressa unguentis imbibisse.

Nunc

Nunc uos, optato quas iunxit lumine taeda] In manuscriptis omnib. Quem iunxit, &, Quem iunxit. legendum forte esse sit, Nunc uos, optato queis iunxit lumine taeda. hac sane sententia, Nunc uos non tradite papillas uestris coniugibus, queis uos iunxit optato taeda lumine, &c. Non prius] In manuscriptis omnib. Non post. Sed illud omnino rectius. - reiecta ueste] In nonnullis manuscriptis, Detecta ueste. illud probabilius. Re uero syllabam produxit, i. littera inter uocales duas interiecta. etsi aliter etiam produxit Vergil. in. II. Georg. Reice ne maculis infuscet ueller a pullis. Quam iucunda mihi munera libet onyx] Onyx, opinor, a forma marmorum ampullam esse tradunt, in qua pretiosa seruantur unguenta. Horat. in. IIII. Carm. Nardi paruus onyx eliciet cadum. Et Propert. in. III. Et crocino nares mur rheus unguat onyx. Et idem alibi, Cū dabitur Syrio munere plenus onyx. Vester onyx, casto colitis quae iura cubili] Omnibus in manuscriptis non Colitis, sed uel Quamritis, uel Queritis. mihi legendum uidebatur, Vester onyx casto quatitis quae iure cubile. ut sic legitimo coniunctos matrimonio significet. Quatere autem sic hoc loco, ut ante, Tremuliq. quassa lecti Argutatio. Et, Neququam tacitum cubile clamat. Etsi in legitimis nuptijs uidetur obscenius. Ius uero dicit, ut & eodem in genere Vergil. in. IIII. Ante pudor quam te uiolem, aut tua iura resoluam. Castum autem

ius dicit, ad differentiam rerum iuris aliarum. Et

23 Cubile hoc ipso in genere eodem modo post dicit, Sed
23 pater illius nati uiolasse cubile Dicitur.

Illius aura leuis bibat, & dona inrita puluis]

In manuscriptis duob. hic uersus legitur, Illius a
mala leuis bibat dona inrita puluis. In alio pro

Bibat, Bibit. In tertio, Illius mala leuis bibat dona
uerita puluis. Legendum opinor, Illius mala dona

leuis bibat inrita puluis. uel, Illius a mala dona le-
uis bibat inrita puluis. ut A sit interiectio sine aspi-

ratione, ut uetustis in libris scriptam semper uide-
mus. Sed ea tamen interiectio commiserantis ma-

gis, quam imprecantis, esse solet. mutandum fortas-
se sit in. O. quod sit optantis. Ouid. in. III. Amorū

23 simillimum dixit, O si neglecti quisquam deus ultor
23 amantis, Tam male quae sitas puluere mutet opes-

Plato in. IIII. de Legib. ab impuris dicit non esse

23 sumenda dona. παρὰ μίαν δῶρα, ἔτ' ἀνδρα ἀγαθόν,

23 ἔτε θεόν ἐσι ποτὲ τόγε ὀρθὸν δέχεσθαι.

- diuā Placabis festis luminib. Venerem San-

23 guinis expertem] Festis luminibus, sacris luci-
bus, ut Flaccus loquitur. uel sit legendum fortasse,

Liminibus. ut festas aras dicunt Poetae. & Festa

dicat limina, floribus exornata. Sanguinis exper-

tem Venerem dicit, ut *ἑυχάς ἀναμάρτους* significet.

- non uotis esse tuam me] Pro Votis in manuscri-

ptis, & Nostris, & Vestris. Pontanus Votis fecit,

ingeniose id quidem, sed uidendum etiam, an Ver-

bis potius legendum. Noli blandis uerbis id Vene-

rem poscere, sed multis omnino donis.

- largis effice muneribus] Horat. in. IIII. Car.

» *Largis muneribus riserit aemuli.* Sidera

cur iterent] Sic etiam in manuscriptis. praeterquam in uno, pro Cur, Cum. Docti homines, siue Pontanus is fuit, siue quivis alius, Cur retinent. quod post alij sunt secuti. - utinam coma regia

fiam] In manuscriptis, Ut. idq. Utinam sunt interpretati. in uno erat, Vter. Fortasse etiam legi possit hoc modo, Sidera cum intereant, ut tunc coma regia fiam. Ea sententia, ut, quasi descendens, redeat in reginae uerticem. Ut autem sit optantis, idemq. sit quod Utinam aduerbium.

Proximus hydrochoi fulgeat Oarion] In manuscriptis uersus hic legitur eodem modo, praeterquam pro, Fulgeat, Fulgeret, & pro Oarion, in nonnullis est, Aorion. neq. uero sum nescius, quae contra Politiani sententiam dicantur, tum quae e Mathematicorum scriptis proferantur hoc loco. Ego sat habui, quam manuscriptis in libris repperi lectionem, testari.

Atq. idem uehementer suspicor, Claudium Rutilium Numantianum, ueterem poetam, in fine libri primi, quod Oariona etiam dixerit, exemplo Catul

» *li fecisse.* Sic enim est apud illum, Namq. procelloso

» *subiungitur Oarioni.* Ut sit haec, aut hac potior alia sententia, se non laborare, quae quem sortiantur locum sidera, ut remotissimis e locis ad se inuicem propius accedant, dum sibi modo in reginae uertice esse liceat. Hydrochorum pro aquario dixit etiam Ni-

gidius

gidius Figulus. auctor interpretis Phaenon. Germanici in Aquario.

AD . IANVAM . IMPVDICAE
CVIVSDAM . MVLIERIS

O DVLCI iucunda viro, iucunda parenti,
Salve, teq. bona Iuppiter auctet ope,
Ianua, quam Balbo dicunt seruisse benigne
Olim, cum sedes ipse senex tenuit.
Quamq. serunt rursus uoto seruisse maligno,
Postquam es proiecto facta marita sene.
Dic age, dic nobis, quare mutata feraris
In dominum ueterem deseruisse fidem.
Non, ita Caecilio placeam, cui credita nunc sum,
Culpa mea est, quamquam dicitur esse mea.
Nec peccatum a me quisquam pote dicere quidquam,
Verum isthaec potius ianitor ipse facit.
Quin quacumque aliquid reperitur nō bene factum,
Ad me omnes clamant, ianua, culpa tua est.
Non isthuc satis est uno te dicere uerbo,
Sed facere, ut quiuis sentiat, & uideat.
Quod possum, nemo quaerit, nec scire laborat.
Nos uolumus uobis dicere, ne dubita.
Primum igitur, uirgo quod fertur tradita nobis,
Falsum est, namq. illam uir prior attigerat,
Languidior tenera cui pendens sicula beta,
Numquam se mediam sustulit ad tunicam,
Sed pater ipsius nati uiolasse cubile

Dicitur, & miseram conscelerasse domum:
 Siue quod impia mens caeco flagrabat amore,
 Seu quod iners sterili semine natus erat:
 Ne quaerendum aliunde foret nervosius illud,
 Quod posset zonam soluere uirginem.
 Egregium narras mira pietate parentem,
 Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.
 Atqui non solum hunc se dicit cognitum habere
 Brixia Chinaea suppositum in specula,
 Flauus quam molli percurrit flumine Mela,
 Brixia Veronae mater amata meae:
 Sed de Postumij, & Corneli narrat amore,
 Cum quibus illa malum fecit adulterium.
 Dixerit hic aliquis: qui tu isthaec ianua nosti.
 Cui numquam domini limine abesse licet,
 Nec populum auscultare, sed huic suffixa tigillo
 Tantum operire soles, aut aperire domum.
 Saepe illam audiui furtiua uoce loquentem
 * Solam consilijs haec sua flagitia,
 Nomine dicentem, quos diximus, utpote, quae mi
 Nec speret linguam esse, nec auriculam.
 Praeterea ardebat quendam, quem dicere nolo
 Nomine, ne tollat rubra supercilia.
 Longus homo est, magnas cui lites intulit olim
 Falsum mendaci uentre puerperium.

O dulci iucunda uiro] Et apud Propertium, cre-
 do, ianua queri fingitur. — teq. bona Iuppi-
 ter auctet ope] Sic Ouid. in. I. Fast. Huius & au-
 gurium

22 *guri* dependet origine uerbi, Et quodcumq. sua
 22 *Iuppiter auget ope.* Quamq. ferunt rursus
 uoto seruisse maligno, Postquam es proiecto
 facta marita sene] *Declarat ianuae uerbis nullo*
tempore pudicam fuisse dominam, ne tum quidem,
cum Balbo nupta esset, & pudica audiret. Sed in
manuscriptis omnib. non Es, sed Est, legebatur. de
inde, Facta marita, quod dicit, alienum uidetur, cū
etiam antea Balbo nupserit, qui illi uir, & aetate
parens esset. itaq. legendum suspicabar, Postquam
est proiecta functa marita sene. Proiecto autem, pul-
so, excusso foras. quamquam in manuscriptis etiam
legebatur, Porrecto. Haec autem illorum uxor usq.
fuit. Dic age, dic nobis] In manuscriptis,
Dic age de nobis, et, Dic age de uobis. Illud retinerē
dum fortasse sit, aut mutandum leuiter, Dic agetum
nobis. Non, ita Caecilio placeam] In Mas-
sei libro est Plateam, non Placeam. legendum credo,
Pateam. Atq. haec fortasse sit ea puella, de qua an-
 22 *te, Ignosco tibi, Sapphica puella, Musa doctior,*
 22 *est enim uenuste Magna Caecilio inchoata mater.*
 Nec peccatum a me quisquam pote dicere
 22 *quidquam] Sic Cato in. v. Orig. Quisquam, quid-*
 22 *quam. Quod eorum, inquit, nemo quisquam quid-*
 22 *quam mihi ignoturus est. Verum isthaec*
 potius ianitor ipse facit] *Omnia haec conficta*
 & *notha. In manuscriptis enim omnibus, Ve-*
 rum *isti populi ianua qui te fecit. in Maffei li-*
 bro, Popl'i quod Populi sunt interpretati.

Ego legebam, Verum istis probri ianua quidq.
 facit. Quidq. pro Quiduis, & Quidcumq. Sic
 1 Plautus in Mil. Mi hercle defregeritis talos post-
 2 hac quemq. in tegulis uideritis. Ac post, Quemq. a
 3 milite. Et Cic. in extrema. IX. Philip. Quaq. uer-
 4 sus. idest, quacumq. Probrum autem facere, etiam
 5 Cato dixit hoc ipso in genere. sic enim de dote. Vir,
 6 inquit, cum diuortium fecit, mulieri iudex pro censo
 7 re est, imperium, quod uidetur, habet. Si quid per-
 8 uerse, taetreq. factum est a muliere, multatur. Si
 9 uinum bibit, si cum alieno uiro probri quid facit,
 10 damnatur. Quod possum] In manuscriptis
 omnib. Quid possum. quod aut retinendum, aut
 mutandum, Qui possum. Nos uolumus uo-
 bis dicere, ne dubita] Sic etiam in manuscri-
 ptis erat. Sed ineptum omnino uidetur, cum multis
 haec dictura sit, quod addit, Ne dubita. Legendum
 opinor, Nos uolumus uobis dicere, nec dubia. Na,
 quod singulari, & plurali numero de eodem est u-
 sus, id ipsum postea facit, illo loco scilicet, Nomine
 dicentem quos diximus, ut pote quae mi Et cet.
 Namq. illam uir prior attigerat] In manuscri-
 ptis omnibus, Non illam. Quod retinendum cen-
 seo. ea sententia, Non uir prior illam attigerat, id-
 est, ante alios omnis. cum eius pater filio prior no-
 uam nuptam uitiasset. Languidior tenera
 cui pendens sicula beta] Simili usus tralatione
 Nicander $\kappa\omicron\pi\acute{\nu}\nu\upsilon$ mentulam dixit. Et rutabu-
 1 lum eodem modo ueteres dixerunt. Festus, Ruta-
 2 bulum,

bulum, a prouendo igne uocatum, quo panes coquuntur, inuenitur etiam positum pro membro uirili.

Ac Plautus in Casina gladium eodem modo uidetur dicere. Dum gladium quaero ne habeat, arripio capulum. Atq. idem antea Catullus similiter, Protelo rigida mea cecidi.

Numquam se mediam sustulit ad tunicam] In manuscriptis omnib. Numquam se mediam sustulit hanc tunicam.

Legendum, opinor, Numquam se media sustulit hinc tunica. idest, ad hanc suam nonnumquam arrexit. - caeco flagrabat amore]

In nonnullis manuscriptis, Tecto. Sed illud probabilius.

Seu quod iners sterili femine natus erat] siue quod inertis filij semen esset sterile.

Ne quaerendum aliunde foret neruosius illud]

In manuscriptis omnib. Et quaerendum, unde foret.

Legendum puto, Et quaerendum, unde foret neruosius illud. Siue, inquit, filij semen, quod esset sterile, & quaerendum esset illud neruosius.

Et quae sequuntur. Qui ipse sui gnati minxerit in gremium]

In uno manuscripto, Imminxerit. Gremium gnati, idest, uxoris filij.

Horat. in. II. Serm. Sat. VII. eodem uerbo, atq.

eodem in genere est usus. Dicitur ut formae melioris meiat eodem.

Atqui non solum hunc se dicit cognitum habere]

In Maffei libro erat, Atqui non solum se dicit cognitum habere. in alio, Sed, pro Se. in tertio, Atqui non solum sed dicit hoc cognitum habere. Legendum puto, Atqui non

solum

solum

solum

solum

solum

solum

solum

solum hoc se dicit cognitum habere. Brixia
 Chinaea suppositum in specula] *In manuscriptis omnibus. Suppositum specula. Legendum uide-*
tur, ut & Pontanus censebat, Brixia Chinaeae sup-
posita speculae. Octavius Pantagathus, Brixien-
sis ipse, singulari probitate uir, ac praestante do-
ctrina, consultus a me, nomen ipsum Speculae ho-
die nullum exstare respondit, at turrim ibi posi-
tam uulgo, Mirabella uocari, nomine, ut idem cen-
set, ducto ab specula ipsa, unde longe lateq. prospe-
ctus pateret. - Veronae mater amata meae]
Vel quod esset urbs Brixia uetustior, uel quod inde
Veronam coloni multi commigrassent. uel quod esset
Caenomanorum metropolis Brixia, in quibus est et-
iam Verona. Sed de Postumii, & Corneli
narrat amore] In manuscriptis erat, Sed de
Postumio, & Corneli narrat amore. Sed illo modo
rectius. est enim in Postumio breuis antepenulti-
ma. Lucil. apud Nonium Marcellum in uerbo,
 22 *Capulum, Quem illi cum uidissent Hortensius Po-*
 22 *stumiusq. Corneli autem, antiquorum more, pro*
Corneli. Sic Romae in ea basi, quae est ad Se-
ptimij imp. Arcum, triumphis insignem, COR-
NELI. 7. C. &, CORNELI. SVCCESI
Qui tu isthaec ianua nosti] In manuscriptis o-
mnibus. Quid tu isthaec. etcet. Quod probari possit.
Cui numquam domini limine abesse licet]
 22 *Limen foribus imponi dicebatur. Plin. in. xxxvi.*
 22 *Difficillime hoc contingit in limine ipso, quod fori-*
22 bus

bus imponebatur. - sed huic suffixa tigillo] In manuscriptis, Haec, non Huic. illud rectius. Ianua uero sub tigillis est, e quib. etiam parietes.

Tibul. in. II. Illi compositis primum docuere tigillis Exiguam uiridi fronde operire domum.

Tantum operire soles, aut aperire domum]

Tacitus in. III. Operiri fores etiam dixit, nisi aliter legendum sit, Dein, multam post noctem, inquit, egressa cubiculo uxore, operiri fores iussit.

Saepe illam audiui furtiua uoce loquentem Solam consiliis haec sua flagitia] In Maffei libro, Solam cum concilijs. In alijs, Solā conciljs. Ego legendum audeo adfirmare, Solam cum ancillis.

Ancillis enim libidinum omnium administris uti, dominae fere solent. quod multis Plauti, Tibulli, aliorumq. docerem testimonijs, nisi res esset notissima.

Nec speret linguam esse, nec auriculam] In manuscriptis omnibus, Speret nec linguam esse, nec auriculam. Sed, quo uersus staret, Potanus primum, opinor, fecit, Speraret. Legendum forte, Nec linguam speret esse, nec auriculam.

Praeterea ardebat quendam] Legendum, ut est omnibus in manuscriptis, Addebat, non Ardebat.

- quem dicere nolo Nomine] sic saepe etiam Vergil. loquitur. - ne tollat rubra supercilia]

Minitabundus. Quamquā is etiam gestus est hominis impudentis. Euripides, Βούλομαι σ' εἰπεῖν

εὖ βραχέα μὴ λίαν Ἀνω βλέφαρα πρὸς τὸ ἀναιδὲς ἀγαγέον. Aristophanes in Lysistrata dicit, τοξοποιεῖν

τὰς

- „ τὰς ὀφθαλμοῦς. —magnas cui lites intulit olim]
 In manuscriptis omnibus, Qui, non Cui.
 Falsum mendaci uentre puerperium] Si ma-
 nuscriptam lectionem retinemus, erit haec senten-
 tia, Qui cum nothus esset, & qua uolebat matre
 minime genitus, magnas, ob id credo, lites suscepit.
 Mendaci uentre sic dixit, ut & Horat. in. v. Carm.
 „ Tuusq. uenter Pactumeius, & tuo Cruore rubros
 „ obstetrix pannos lauit.

AD. MALLIUM

QVOD mihi fortuna, casuq. oppressus acerbo,
 Conscriptum lacrimis mittis epistolium,
 Naufragum ut eiectum spumantib. aequoris undis
 Sableuem, & a mortis limine restituum,
 Quem neq. sancta Venus molli requiescere somno
 Desertum in thalamo caelibe perpetitur,
 Nec ueterum dulci scriptorum carmine Musae
 Oblectant, cum mens anxia peruigilat.
 Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum,
 Muneraq. & Musarum hinc petis, & Veneris.
 Sed, tibi ne mea sint ignota incommoda Malli,
 Ne u me odisse putes hospitis officium,
 Accipe, quis mer ser fortunae fluctib. ipse,
 Ne amplius a misero dona beata petas.
 Tempore, quo primum uestis mihi tradita pura est,
 Iucundum cum aetas florida uer ageret,
 Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,

Quae

Quae dulcem curis miscet amaritiam.

Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors

Abstulit. o misero frater adempte mihi :

Tu mea, tu moriens fregisti commoda frater :

Tecum una tota est nostra sepulta domus :

Omnia tecum una perierunt gaudia nostra ,

Quae tuus in uita dulcis alebat amor :

Cuius ego interitu tota de mente fugavi

Haec studia , atq. omnes delicias animi .

Quare, quod scribis, Veronae turpe Catullo

Esse, quod hic quisquis de meliore nota

Frigida deserto tepescit membra cubili ,

Id Malli non est turpe, magis miserum est .

Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit ,

Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo .

Nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,

Hoc sit, quod Romae uiuimus : illa domus ,

Illam mihi sedes, illic mihi carpitur aetas ,

Huc una e multis capsula me sequitur .

Quod cum ita sit, nolim statuas, me mente maligna

Id facere, aut animo non satis ingenuo ,

Quod tibi non utriusq. petiti copia facta est .

Vltro ego deferrem, copia si qua foret .

Non possem reticere deae, qua Mallius in re

Iuuerit, aut quantis iuuerit officiis ,

Ne fugiens saeculis obliuiscens, aetas

Illius hoc caeca nocte tegat studium .

Sed dicam uobis : nos porro dicite multis

Millibus, & facite, haec charta loquatur annis,

Omnibus

Omnibus inq. locis celebretur fama sepulti,
 Notescatq. magis mortuus, atq. magis:
 Ne tenuem texens sublimis aranea telam,
 Deserto in Malli nomine opus faciat.
 Nā, mihi quam dederit duplex Amathuntia curam,
 Scitis, & in quo me corruerit genere,
 Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
 Lymphaq. in Oetaeis mallia Thermopylis,
 Maesta nec adsiduo tabescere lumina fletu
 Cessarent, neq. tristi imbre madere genae.
 Qualis in aery pellucens uertice montis
 Riuis muscoso profilit e lapide:
 Qui cum de prona praecipit ualle uolutus,
 Per medium densi transit iter populi,
 Dulce uiatori lasso in sudore leuamen,
 Cum grauis exustos aestus hiulcat agros.
 At ueluti nigro iactatis turbine nautis
 Lenius aspirans aura secunda uenit,
 Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata,
 Tale fuit nobis Mallius auxilium.
 Is clausum lato patefecit limite campum,
 Isq. domum nobis, isq. dedit dominam,
 Ad quam communes exerceremus amores.
 Quo mea se molli candida diua pede
 Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
 Innixa, arguta constitit in solea.
 Coniugis ut quondam flagrans aduenit amore
 Protesilaeam Laodamia domum,
 Incepta frustra nondum cum sanguine sacro

Hostia

Hostia caelestes conciliasset heros .
 Nil mihi tam ualde placeat Rhamnusia uirgo,
 Quod temere inuitis suscipiatur heris .
 Quam ieiuna pium desideret ara cruorem ,
 Docta est amisso Laodamia uiro ,
 Coniugis ante coacta nouum dimittere collum ,
 Quam ueniens una, atq. altera rursus hiems
 Noctib. in longis auidum saturasset amorem ,
 Posset ut abrupto uiuere coniugio .
 Quod scibant Parcae non longo tempore abesse ,
 Si miles muros esset ad Iliacos .
 Nam tum, Helenae raptu, primores Argiuorum
 Coeperat ad sese Troia ciere uiros,
 Troia nefas commune sepulchrum Europae, Asiaeq.
 Troia uirum, & uirtutum omnium acerba cinis ,
 Quae nempe & nostro letum miserabile fratri
 Adtulit. heu misero frater adempte mihi :
 Heu misero fratri iucundum lumen ademptum :
 Tecum una tota est nostra sepulta domus :
 Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
 Quae tuus in uita dulcis alebat amor .
 Quem nunc tam longe non inter nota sepulchra .
 Nec prope cognatos compositum cineres ,
 Sed Troia obscena, Troia infelice sepulchrum
 Detinet a nostro terra aliena solo .
 Ad qua cum properans fertur simul undiq. pubes
 Graeca penetrales deseruisse focos :
 Ne Paris abducta gauisus libera moecha
 Otia pacato degeret in thalamo .

Quo

Quo tibi tum casu pulcherrima Laodamia
 Ereptum est uita dulcius, atq. anima
 Coniugium, tanto te absorbens uortice, amoris
 Aestus in abruptum detulerat barathrum.
 Quale ferunt Graij Peneum prope Cyllenaeum
 Siccari emulsa pingue palude solum,
 Quod quondam caesis montis fodisse medullis
 Ausus falsiparens Amphitryoniades,
 Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
 Perculit, imperio deterioris heri,
 Pluribus ut caeli tereretur ianua diuis,
 Hebe nec longa uirginitate foret.
 Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
 Quod diuum dominum ferre iugum docuit.
 Nam neq. tam carum confecto aetate parenti
 Una caput feri nata nepotis alit,
 Qui cum diuitijs uix tandem inuentus auitis
 Nomen testatas intulit in tabulas,
 Impia derisi gentilis gaudia tollens,
 Suscit at & cano uulturium capiti:
 Nec tantum niueo gauisa est ulla columbo
 Compar, seu quidquid dicitur improbius
 Oscula mordenti semper decerpere rostro,
 Quantum praecipue multiuola est mulier.
 Sed tu harum magnos uicisti sola furores,
 Ut semel es flauo conciliata uiro.
 Aut nihil, aut paulo cui tu concedere digna,
 Lux mea se nostrum contulit in gremium:
 Quam circumcursans huc illuc saepe Cupido,
 Fulgebas

Fulgebat crocina candidus in tunica.
 Quae tamen & si uno non est contenta Catullo,
 Rara uerecundae furti feremus herae,
 Ne nimium simus stultorum more molesti.
 Saepe etiam Iuno maxima caelicolum
 Coniugis in culpa flagrauit cottidiana,
 Noscens omniuoli plurima furti Iouis.
 Atqui nec diuis homines componer aequum est,
 Ingratum tremuli tolle parentis onus.
 Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna,
 Fragrantem Assyrio uenit odore domum,
 Sed furtiua dedit nigra munuscula nocte,
 Ipsius ex ipso dempta uiri gremio.
 Quare illud satis est, si nobis id datur unis,
 Quo lapide illa diem candidiore notet.
 Hoc tibi, quo potui, confectum carmine munus
 Pro multis alyis redditur officijs.
 Ne uestrum scabra tangat robigine nomen
 Haec atq. illa dies, atq. alia, atq. alia.
 Huc addant diui quamplurima, quae Themis olim
 Antiquis solita est munera ferre pijs.
 Sitis felices & tu simul, & tua uita,
 Et domus ipsa, in qua lusimus, & domina,
 * Et qui principio nobis dominam dedit, a quo
 Sunt primo nobis omnia nata bona,
 Et longe ante omnes mihi quae me carior ipso est,
 Lux mea, qua uiua, uiuere dulce mihi est.

Quod

Quod mihi fortuna, casuq. oppressus acer-
 bo] *Sic Vergil. Casu concussus acerbo. Et a*
 mortis limine restituum] *Simile quiddam Grae*
ci dicere uidentur, illis uerbis, ἐπὶ γνῆρας οὐδῶ. Lu
cret. Leti iam limine in ipso. Et Vergil. contra. Pri-
moq. in limine uitae. Restituere eodem modo dicit
Flaccus in. II. Carm. Non Torquate genus, non
te facundia, non te Restituet pietas.
 Quem neq. sancta Venus] *Idem ante, Nam san*
ctae Veneri, cupidiniq. - molli requiescere so-
mno] μαλθακῶ ὕπνῳ. Et Ennius, Laetantes uino cu
ratos somnus repente In campo passim mollissimus
perculit. In thalamo caelibe] Sophocles in
Trachinijs idem dixit, Ἐν θυμῶν ὄναις τ' ἀναδρα
τοῖς. - cum mens anxia peruigilat] Sic et-
iam in manuscriptis. legebam ipse, Cui mens an-
xia peruigilat. - me quoniam tibi ducis
amicum] In manuscriptis omnibus, Dicis. illud
probabilius. Muneraq. & Musarum hinc
petis, & Veneris] Musarum munera, eadem Ho-
rat. uocat in. II. epist. ad Augustum, Musarum do-
na, Ad libros, & ad haec Musarum dona.
 Sed, tibi ne mea sint ignota incommoda Mal-
 li] *In manuscriptis semper, Manli, &, Man-*
lius. Accipe, quis merfer fortunae
fluctibus] Sic Horat. Aduersis rerum inmersa-
bilis undis. Iucundum cum aetas
florida uer ageret] Apte, & eleganter expressis
τὴν ἡλικίαν, καὶ τὴν ἀκμὴν. Seleria apud Stobaeum
dixit,

- 2) dixit, ὕβαν μετα τῶν φίλων. *At Callimachus etiam*
 2) *Ver aetatis dixisse uidetur in Hymno in Delon, παι*
 2) *δες δὲ δέρος τὸ πρῶτον Ιούλω. Atq. alibi de amore,*
 2) *Κρυπλάδην φιλότης καὶ μείλιχα δῶρα, καὶ δὴν Ἄνθεα*
 2) *τῆς ἕβης γίγνεται ἀρπαλέα Ἀνδράσιν, ἠδὲ γυναιξίν. Εἰ*
 2) *de pertinet illud Pericleū apud Arist. in. III. Rhet.*
 2) *τὴν νεότητα ἐκ τῆς πόλεως ἀνηρῆσαι, ὡς περ τὸ ἔαρ τοῦ*
 2) *ἐνιαυτοῦ, εἰ ἐξαιρεθεῖη. Et Pompeius Macer, Παι*
 2) *ζέτ' ὅ νεαὶ φρένες ἐσὶν ἡμῖν τοῦτ' ἔαρ παντὸς βίου. Et*
 2) *Ouidius, Aetatis breue uer. Ver agere sic dixit, ut*
 2) *& Vergil. Ver magnus agebat Iuppiter.*
 2) *Iucundum: Expressit illud Homericum, Χαριεσά*
 2) *την ἕβην τοῦ ὑπνίτου. quo est usus Plato in Prota*
 2) *gora. - non est dea nescia nostri] Sic au*
 2) *ctor incertus in Ciri, Quod si alio quouis animo ia*
 2) *ctaris amore, Nam te iactari non est Amathusia no*
 2) *stri Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo.*
 2) *Quae dulcem curis miscet amaritiem] Curis:*
 2) *amoribus. Sic Horat. in. IIII. Carm. Amaraq. cu*
 2) *rarum. Ac de Sappho hoc sumptum uideri possit,*
 2) *apud quam, ut adducit Hephæstion περὶ αἰολικῶν,*
 2) *sic erat, Ἔρως δ' αὐτ' ἐμὸς λυσιμελής δουεῖ. Γλυκύπι*
 2) *κρον ἀμάχανον, ὄρπετον ἀπήχθετο, & cet. Musæus,*
 2) *siue quisquis alius auctor operis quod exstat, ἠδὴ καὶ*
 2) *γλυκύπικρον ἐδέξατο κέντρον ἐρώτων. Cic. in. V. epist.*
 2) *ad Att. eodem uerbo, quo Sappho, est usus, In his,*
 2) *inquit, γλυκύπικρον illud confirmas, morā mihi nul*
 2) *lam fore. In eandem sententiam Plautus in Cistella*
 2) *ria, Namq. ecastor amor & melle, & felle est secun*
 2) *dis*

2) *dissimus,*

22) *dissimus, Gustu dat dulce, amarum ad satietatem*
 22) *usq. aggerit. Et in Pseudolo Callidorus de suis amo-*
 22) *ribus. Nam mihi uideor cum ea fabularier Lege,*
 22) *dulce amarumq. una nunc miscens mihi.*

Tu mea, tu moriens fregisti commoda] *Fran-*
 22) *gistic dicuntur comoda, ut & res. Horat in. II. Ser.*
 22) *Postquam omnis res mea lanum Ad medium fra-*
 22) *cta est. Omnia tecum una perierunt gau-*
 22) *dia nostra] Non dissimile huic uidetur illud Ver-*
 22) *gili in Bucolicis, Heu cadit in quemquam tantum*
 22) *scelus, heu tua nobis Paene simul tecum solatia ra-*
 22) *pta Menalca. Quae tuus in uita dulcis*

alebat amor] *Hunc postea uersum cum superiore*
repetit. - quod hic quisquis de meliore
nota Frigida deserto tepescit membra cubi-
li] Eo turpe Catullo Veronaese esse iocans Manlius
scribebat, quod ad eius amicam quicumq. paulo me-
lior uentitaret, & deserto in Catulli lectulo cuba-
ret. Genere hoc ipso dicendi alia tamen in re usus
 22) *est Curio in epist. ad Cic. Et Sulpici, inquit, successo-*
 22) *ri nos de meliore nota commenda. Sed uno in libro*
tantum Tepescit, in duobus alijs, Tepescit, atq. in
Massei libro supra scriptum, uel Tepescit.

Id Manli non est turpe, magis miserum est] *Si*
 22) *militer Cic. in. III. epist. ad Atticum, Velim pro*
 22) *tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam*
 22) *miserabilem potius, quam ineptam putes. Et in.*
 22) *III. in Verrem. Erunt qui illum, si hoc fecerit, non*
 22) *improbum, sed miserum, me non diligentissimum*
 22) *consulem,*

consulem, sed crudelissimum tyrannum existimare
 uelint. At in oratione pro Roscio coniungens utrūq.
 Videant, inquit, ne turpe, miserumq. sit, eos, qui eque
 strem splendorem pati non potuerunt, serui nequissi-
 mi dominationem ferre posse. Liuius eodem prope
 modo, quo Catullus, Neq. id queri, quod hostilia ab
 hoste passi foret, esse enim quaedā belli iura, quae ut
 facere, ita pati sit fas. saxa exuri, dirui tecta, prae-
 das hominum pecorumq. agi, misera magis, quam
 indigna patienti esse.

- illa domus, Illa mi-
 hi sedes] Ouid. Haec domus, haec sedes.

- illic mihi carpitur aetas] Omnib. in manuscri-
 ptis, non Mihi, sed Mea. Metaphora autem uide-
 ri possit a fructibus, uel rebus ijs, quae carpendo con-
 sumuntur, ut lana, quae & carpitur, & diducitur.

Sic Vergil. in. IIII. Aeneid. Sola ne perpetua mae-
 rens carpere iuuenta. Et Ouid. in. II. de remedio
 amoris, Si potes, & ceras remoue, quid imagine mis-
 ta Carperis, hoc perijt Laodamia modo. Et in. IIII.
 de tristib. Quaeq. meae semper placuerunt otia mē-
 ti, Carpere, & in studijs molliter esse meis. Eodē mo-
 do Aetatem degere dicimus. est autem Degere, mi-
 nuere. auctor Non. Marcell. Huc una e mul-

tis capsula] In capsas libros includebant. Horat.
 in. I. Serm. Beatus Fannius, ultro Delatis capsis,
 & imagine.

Quod cum ita sit, nolim sta-
 tuas, me mente maligna Id facere] In manuscri-
 ptis omnib. non Me, sed Nos. Maligna mente: pa-
 rum liberali.

- utriusq. petiti] Sic Peritum

X 2 dicitur,

dicitur, ut & Datum. de quo post. Sed quoniam in
 manuscriptis nonnullis, Potenti, in alijs Petenti legi-
 tur, hoc retinendum censeo. Ultro ego de-
 ferrem] Eodem modo Cic. loquitur in. IIII. epist.
 ut uocant, Fam. Nec mihi quidquam tali tempore
 in mentem uenit optare, quod uon ultro mihi Cae-
 sar detulerit. Et in. XIII. Ultro te ad me detulisse
 putabo. Linius quoq. in. III. Quae consily fuerunt,
 adeo aequa postulastis, ut ultro uobis deferenda fue-
 rint. Illius hoc caeca nocte tegat stu-
 dium] Sic Horat. in. IIII. Carm. Sed omnes in la-
 crimabiles Vrgentur, ignotiq. longa Nocte, carent
 quia uate sacro. - et facite, haec charta lo-
 quatur anus] In manuscriptis omnib. non Char-
 ta, sed Certa. In Maffei tamen libro supra positum,
 uel Charta. Si Certa retinemus, interpretemur, A-
 nus docta posteris narret. uel Cera. ut ceratas tabu-
 las intellegamus, in quib. scribebant. itaq. nihil ad-
 firmo. Loqui annales, dixit & Macrobius in. III.
 Saturn. Sed & multus exercitus, oppidaq. hostium
 Gallorum, Hispanorum, Afrorum, Maurorum, a-
 liarumq. gentium, quas prisci loquuntur Annales.
 Et auctor incertus in Ciri, Aeternum Sophiae con-
 iunctum carmine nomen Nostra tuum senib. loque-
 retur pagina saeculis. Senib. autem saeculis, sic dixit,
 ut & Catullus alibi, Cana saecula. Et Claudianus
 in laude Serenae, uxoris Stiliconis, Antiquos loqui-
 tur Musarum pagina reges. Philippus in epigram-
 mate chartas anus eodem modo uidetur dicere, n-

ποτε μαιονίδαο βαδὺ κλέος, ὄνομα Ὀμήρου λήθη Πη-
 ραλέων ἀρπάζεται σελίδων. Omnibus inq.
 locis] Hic uersus in manuscriptis non erat. & in
 omnibus tantum spatij reliquum erat, quantum
 uni uersui capiendō satis esset. Atq. in uno annota-
 tum in margine, Deficiebat hoc carmen in exem-
 plo. itaq. quicumq. legitur uersus hoc loco, notus is
 est. Notescatq. magis mortuus, atq. ma-
 gis] Eodem uerbo atq. eadem in sententia Propert.
 in. II. Nec minus haec nostri notescat fama sepul-
 chri. Deserto in Malli nomine opus fa-
 ciat] Omnibus in manuscriptis, In deserto ali nomi-
 ne. itaq. legendum puto, In deserto alijs nomine opus
 faciat. - duplex Amathuntia] Amathu-
 sia, in manuscriptis. - & in quo me corruerit
 genere] Sic etiam erat omnibus in manuscri-
 ptis. aut igitur hoc retinendum, aut mutandum for-
 tasse leuiter sic, Et in quo mi cor ruerit genere. Ut
 aut Catullo cor ruerit, aut Venus ipsum ruerit. acti-
 ue. n. etiam Plautus, opinor, Ibi me corruere posse
 aiebas diuitias, Et Verg. - cumulosq. ruit male pin-
 guis harenae. Similiter Laberius in Virgine, ut est
 apud Nonium Marcellum in uerbo, Peluis, Amo-
 re cecidi tamquam blatta in peluim. Optima tamē
 & uerissima lectio uidetur, Torruerit, non, Corruerit.
 quo uerbo idem alibi eodem in genere utitur, Cū
 uesana meas torreret flamma medullas. Et Hor.
 saepe, Me torret face mutua, Thurini Calais filius
 Ornithi. Et, Si torrere iecur quaeris idoneum.

Cum tantum arderem, quantum Trinacria
 rupes] *Summum ex amore incendium sic signi-*
 ficat. Sic. n. Plaut. in *Asin.* Nam ni impetro, Re-
 gem perdididi, ex amore tantum est homini incen-
 dium. Et apud Ouid. *Polyphemus in. XIII. Me-*
tam. Uror enim, lasusq. exaestuat acrior ignis.
 Cumq. Suis uideor translata uiribus Aetnam Pe-
 tere ferre meo. Sic ille quoq. summo se Galatae
 amore teneri significat. Lymphaq. in Oc-

teis mallia Thermopylis] *Iacobus Taurellus,*
uir eruditus in primis, ac diligens, non Manlia, uel
Mallia, sed, Lamia, legendum putabat. a Lamia-
co sinu. has. n. aquas esse calidas, demonstrat in At-
ticis Pausanias his uerbis, Ατε τοῦ κόλπε τῆ Λαμια
κοῦ τέλαλος πρὸς ταῖς Θερμοπύλαις. αἴλιον δὲ ἐμοὶ δο-
κεῖ, τὸ ὕδωρ ταύτη τὸ δερμὸν ἐκρέον ἐς τὴν θάλασσαν.
Quod legendum adfirmare auderem, si liqueret mo-
do eius uerbi principem syllabam produci, & La-
miã, ut Lamiacã, dici posse. Sed hoc leuius, illud e-
re magis. At Malliã, gemino, LL, a Maliaco sinu
dici, ne id quidem probandum uidetur. itaq. niden-
dum etiam atq. etiam, quid sequi debeamus.

Riuus muscoso profilit e lapide] *Muscosum*
 lapidem dicit, ut & Horat. *Musco circumlita sa-*
 xa. - de prona praeceps est ualle uolu-
 tus] *Syllabarum concursus in uerbis, Valle uolutus,*
mire cursum aquae defluentis exprimit.

Dulce uiatori lasso in sudore leuamen] *In ma-*
nuscriptis omr. h. non Lasso, sed Basso, Atq. in Mas-

fei libro supra uerbum, Viatori, scriptum, uel Viatorum. Itaq. legendum opinor, Dulce uiatorum lasso in sudore leuamen. Ut sic prope Lassum sudorem dixerit, ut & Febris arida dicitur ab effecto.

- exustos aestus hiulcat agros] Verg. in Georg.

Ubi hiulca siti findit canis aestifer arua. Et auctor lusus in Priapum, Agente terra per caniculam ri-

mas. Ac ueluti nigro] omnib. in manuscriptis, Hic ueluti nigri. In uno autem, Hic ueluti nigro, & cet. Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata] In manuscriptis, Implorate. legendum fortasse sit, Implorante. Ea sententia, ut aura

secunda uenit, implorante Castoris ac Pollucis opem implorata prece Castoris, id est, quod Castorem precemur, utrumq. durum atq. insolens uidetur.

Ad quam communes exerceremus amores]

Sic in Maffei libro. in alio, Exercemus. in tertio,

Nos exercemus amores. Aut igitur primum illud, aut hoc retinendum postremum. nec enim uersus aliter stabit. Quo mea se molli] Se atq. a-

micam, Malli domo receptos dicit, ibiq. inter se a-

masse. Intulit] Propert. in. I. Sic mihi te re-

feras leuis, ut non altera nostro Limine formosos in-

tulit ulla pedes. - et trito fulgentem in li-

mine plantam Innixa, arguta constitit in so-

lea] Omnib. in manuscriptis, Constituit solea. est ue-

ro Constituere idem nonnumquam quod Ponere. ut

eam dicat trito in limine pedem posuisse innixam

arguta solea. Arguta: crepante, sonitum edente. Sic

33) Vergil. *Argutumq. nemus, pinosq. loquentes. Sin,*
Constitit, malis, id fortasse coniungendum cum uer-
bo Plantam. nam & Plantam insistere sic Plautus
 33) *in Casina uidetur dicere, apud quem est, Instiit plā*
 33) *tam. Turpilus in Demetrio, ut adducit Nonius*
 33) *Marcellus in uerbo Primores, similiter, Sandalio*
 33) *innixa primoribus digitis. Incepta frustra*
nondum cum sanguine sacro Hostia caele-
stes conciliaffet heros] In manuscriptis quoq. In-
cepta, sine diphthongo. Ac fortasse Incepta, pro non
accepto. ut Inuocatus apud Horat. id est, non uoca-
tus. Frustra uero iungendum cum uerbo Conciliaf-
set, uel potius, quod in omnibus manuscriptis legi-
tur, Pacificasset. In quib. Caelestis, more ueterum,
non Caelestes, erat scriptum. Caelestes autem heros,
 33) *τοῦς ὑπερίους μάκρας, quod dicit Euripides. Oui-*
 33) *dy, opinor, est uersus ille, Mica salis puri pacifica-*
 33) *bat heros. atq. hostiam quidem illam intelligit, quā*
 33) *pro salute uiri ad Troiam militantis Laodamia*
 33) *dis immolarat, de qua Ouid. in epist. Laodamiae,*
 33) *Excitior somno, simulacra q. noctis adoro Nulla ca-*
 33) *ret fumo Thessalis ara meo. Tuta damus, lacri-*
 33) *masq. super, quae sparsa relucet, Vt solet a fuso sur-*
 33) *gere flamma mero. Talis, inquit, in Mallij domum*
se mea contulit, qualis Laodamia tum, cum primū
ad maritum uenit, ante scilicet, quam Troiam ille
proficisceretur, atq. ipsa uero absens deos marito mi-
litanti mactatis hostijs, nec litata, frustra placaret.
Nil mihi tam u *placat.] Non ego, inquit, si*
uehementer

vehementer huius meae coniugium concupiscam,
 dis inuitis quidquam effectum uelim. Atq. ita signi-
 ficare uult bono omine, & dis adprobantibus suam
 sibi iunctam fuisse. Quam ieiuna pium de-
 siderat ara cruorem, Docta est amisso Laoda-
 mia uiro] In manuscriptis duobus, Deficeret, non
 Desideret. in uno, Disgeret. Mutandum puto De-
 ficeret, in Defecerit. Ea sententia, quam supra po-
 sui, Nihil prodesse contra deorum uoluntatem sacri-
 ficia, nec arae ipsae sanguine uictimarum utiliter
 imbuuntur. itaq. fuisum sanguinē ieiunae deficiunt,
 ac sacrificantem uoto frustrantur. quod exemplo, in-
 quit, suo Laodamia docuit. Sed locus tamen hic et-
 iam atq. etiam considerandus. Coniugis
 ante coacta nouum dimittere collum] In ma-
 nuscriptis, in alijs, Nouit, pro Nouum, in alijs, Vo-
 uit, in alijs, Voluit. legendum omnino, Noui. Collum
 autem dixit opinor a iugo transferens, uel comple-
 xum sic significat. Posset ut abrupto uiue-
 re coniugio] Facilius uel absentiam, uel mortem
 uiri tulisset, si aliquandiu suis amoribus illi frui li-
 cuisset. Quod sciebant Parcae non longo
 tempore abesse] In manuscriptis duob. Abisse. in
 uno, Abyisse. Ea fortasse sententia, Quod coniugium
 non longo abisse tempore sciebant, id est, id non ac-
 cidisse, ut diuturnum foret. quod si non placet, prio-
 rem lectionem retineamus. Si miles] Prote-
 silaus ipse. Coeperat ad sese Troia ciere
 uiros] Ad sese: contra sese, in sese, ut Graeci *ἑπὶ*.
 Ciere

Ciere uiros, ad iram impellere, aut in sese concita-
 re. Vergil. Aere ciere uiros, martemq. accendere cā-
 tu. Et Tibul. Iam ciet infernas magico stridore ca-
 teruas. Troia nefas commune sepul-
 chrum Europae Asiaeq.] Propert. Olim mira-
 bar quod tanti ad Pergama belli Europae atq. A-
 siae caussa puella fuit. Atq. alibi, Excidium Euro-
 pae quae fuerim, atq. Asiae. Lucret. de terra, opi-
 nor, Eadem rerum commune sepulchrum.
 acerba cinis] Feminino genere quoq. Lucret. in.
 III. Cinere ut multa latet obrutus ignis. De quo
 Caris. Grammaticus. Sic & Puluis, eodem genere,
 Propertius extulit in. I. Sit mihi praecipue puluis
 Etrusca dolor. Quae nempe & nostro le-
 tum miserabile fratri Adtulit] In manuscriptis
 omnibus, Quae ueter id nostro, & cet. Legendum
 forte, Quae ueteri nostro. Et quae sequuntur. Sed nō
 ita frater, ut amicus dicitur uetus. Legendum for-
 te, Quae ueteri domino, & nostro. & cet. ut illud de
 Priamo intelligatur. Quem nunc tam lon-
 ge] In manuscriptis omnib. Quae. Sed illud proba-
 bilius. Nec prope cognatos composi-
 tum cineres] De mortuis id uerbum usurpabant.
 Lucret. in. I. Compositis plenae gemuerunt ossib.
 urnae. Et Cornel. Tacit. in. XVII. Pisonem Vera-
 nia uxor ac frater Scribonianus, T. Iunium Crispi-
 na filia composuere, quaesitis, redemptisq. capitib.
 quae uenalia interfectores seruauerant. Et Propert.
 proxime accedens ad haec Catulli, Et mater non in-

Haec pia dare debita terrae, Nec pote cognatos in-
terhumare rogos. Sed Troia obscena, Tro-
ia infelice sepulchrum] Scribendum forte, ut in
omnib. manuscriptis, Sepultum. Infelice uero. aufe-
rendi casu, uetuste credo. Detinet a nostro
terra aliena solo] Manuscripti omnes summo con-
sensu habebant, Detinet extremo terra aliena solo.
Extremo: id est, longinquo. Vergil. Extremiq. homi-
num Morini. quamquam hi extremi, quod in ulti-
mis terris. Sed mutandum fortasse leuiter, Exter-
no. Ad quam cum properans fertur si-
mul undiq. pubes] In manuscriptis non, Cum,
sed, Tum. et in duobus libris uersus mancus, in qui-
bus legitur hoc modo, Ad quam tum properans fer-
tur undiq. pubes. in uno, Ferretur undiq. pubes.
quod reiciendum omnino. itaq. uerbum deesse suspi-
cor, ac uocem, Simul, esse prorsus addititiam, atq.
alienam. - penetrales] In manuscriptis
more ueterum scriptum, Penetrans, ut ante, Cele-
stis. Quo tibi tum casu] In manuscriptis
omnib. Quod. Sed illud potius. Coniugium]
Coniux ipse tuus. - tanto te absorbens uor-
tice] Etiam hoc loco isdem in libris scriptum erat,
Vertice. Atq. ita semper esse scribendum, quidquid
ea uox significet, pluribus doceo in meis in Horat.
Commentationibus. Idq. Scipioni Africano placuis-
se, scribit in. I. Quintil. Similitudine uero utitur in
tenui re maximarum etiam rerum. Sic ante, Cum
tantum arderem, quantum Trinacria rupes. Sic

autem exprimit eum, quem Graeci opinor, βαδύων
 προτα, uocant.

Quale ferunt Graei Pe-
 neum prope Cyllenaeum] Eodem modo in ma-
 nuscriptis. Sed pro Peneum, legendum Pheneum,
 quemadmodum Aldus olim impresserat. Est au-
 tem Pheneus urbs Arcadiae, quae, ut scribit Ste-
 phanus, κείται ὑπὲρ τὸ ὄρος τὴν κηλήνην. Atq. idem
 Pheneum masculino genere dici tradit.

Siccari emulsa pingue palude solum] De quo
 Pausan. in Arcadicis multa. idemq. adfirmat o-
 pus id Herculis fuisse Tiryntho pulsū ab Euristheo.
 Alia est Strabonis in extremo octauo libro senten-
 tia. id enim terrae motu accidisse scribit. Eum sequi-
 tur auctorem Plinius in. XXXI. Terrae quoq. in-
 quit, motus profundunt, sorbentq. aquas, sicut cir-
 ca Pheneum Arcadiae quinquies accidisse constat.
 Emulsa uero dixit, pro Absorpta, attracta, hausta.
 Sic Ennius, ut adducit in. x. Priscianus, Mulserat
 huc nauem compulsam fluctibus Pontus.

Quod quondam caesis montis fodisse medul-
 lis] In manuscriptis nonnullis, Fudisse.

Ausus falsiparens] Omnibus in manuscriptis,
 Audet. qui modus est in primis historicus. Falsipa-
 rens autem id uidetur exprimere, quod Graeci di-
 cunt ψευδοπάτωρ. Perculit, imperio dete-
 rioris heri] Deterior etiam, opinor, latine dicitur
 Inferior. - ianua caeli] Portam caelo tri-
 buebant, qua ingrediantur indigetes. Vergil. Quē
 super ingens Porta tonat caeli. Et multo ante En-

21) *nus, Mi soli caeli maxima porta patet.*

Hebe nec longa uirginitate foret] Hebe Iu-
uenta latine dicitur . sic enim uertisse uidetur Oui-

22) *dius in . I . de Ponto. Nectar & Ambrosiam latices,*

23) *epulasq. deorum Det mihi formosa gnaua iuuenta*

24) *manu. cui Hercules coniux obtigit. ac propterea ue-*

25) *tus Poeta apud Hephaestionem de Hercule, Χαῖρ'*

26) *ἀναξ ἑτάρε ξαθέας μάκαρ ἠέας . Sed tuus al-*

tus amor barathro fuit altior illo] Pausanias,

& Strabo illa etiam Ἐρέθρα, & Ἐάραθρα uocant .

Altum amorem Graeci, ut dixi, etiam Ἐαθὴν ἔρω-

27) *τα dicunt . Theocrit. in Idilio. III. ὡς ἴδεν, ὡς ἐμὰ*

28) *υἷ, ὡς εἰς Ἐαθὴν ἄλλετ' ἔρωτα. Euripides etiam tras-*

ferens ab aquis eodem in genere in Hippolyto cor .

29) *dixit, Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸς, ἢν πολλὴ ῥυή .*

Quod diuum dominum ferre iugum docuit]

In manuscriptis duobus erat, Qui tuum domitum

ferre iugum docuit. In uno, Qui tuum dominum fer-

re iugum docuit. Legendum suspicor, Qui tantum

indomitam ferre iugū docuit. Impotentem, inquit,

amorem illum tuum fuisse oportet, qui te amoris

expertem tantum iugum ferre docuit .

Nam neq. tam carum confecto aetate paren-

ti] In Maffei libro legitur hic uersus, Nam nec cau-

sa earum confecto aetate parenti. In alijs, Neq. tam

causa earum . Quae sunt omnia ἀσύστατα. Verbum

autem, Causa, huic loco plane est alienum . Ego sic

scriptum id uerbum in uno reperio, Cā. quod Cau-

sa interpretari solent . e quo facile fit uerbum alte-

rum

rum T. a. Legendum igitur eodem, quo in vulgatis libris, modo. Vna] Atq. eo illi nepos carior. acerbissimus enim parentib. atq. auis dolor,

si alienos, non liberos ac nepotes relinquunt heredes.

» Pindarus, ΑΛΛ' ὡςτε παῖς ἐξ ἀλόχου πατρὶ, ποθεινός,

» ἤκοντι νεότατι τὸ πάλιν ἦδη. μάλα δ' ἔλοι θερμαίνεε

» φιλότατι νόον. ἐπὶ πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἐπακ-

» τὸν ἀλλότριον θνάσκοντι συγερώτατος. Serus autem

nepos dicitur, quod, aucto iam senio prope confecto, natus sit.

Qui tum diuitiis] Legendum, ut in manuscriptis omnibus, Cum, non Tum.

- uix tandem] Serus enim nepotem dixit.

Nomen testatas intulit in tabulas] Id est, in testamenti tabulas.

Impia derisi gentilis gaudia tollēs, Suscitāt & cano uulturiū capiti] Posterior uersus in manuscriptis nonnullis legitur hoc modo, Subcitata cano uoluntarium capiti.

In alijs, Suscitata cano uoluntarium capiti. In Maffei libro sic erat, Scuscitata cano uoluntariū capiti.

Ego nihil adfirmare audeo. In mentem tamen illud uenerat, Se citat a cano uulturium capite. uel,

Se citat in cano uulturium capiti, id est, incitat. Sic eo uerbo veteres usus esse, multis omnino exemplis doceri potest: Vulturius autem dicebatur, qui &

Vultur. ac, μεταφορικῶς, qui cuiusquam bona inuolaret. Aemilius Scaurus contra Q. Caepionem

» actione secunda, ut Caris. adducit in. I. Nefarius

» uulturius, patriae parricida. Cic. in Pisonem, Vulturius illius provinciae. Idem in eadem, Scaurus,

» uulturius

uulturius reip. Crates quoq. Adsentatores ac meretrices uulturijs siue miluis esse similes dixit eandem ob causam. in Graecorum enim sententijs hoc eius legitur. Κράτης τὰ τῶν πλουσίων καὶ ἀσώτων χρήματα, ταῖς ἐπὶ τῶν κρημῶν συκαῖς εἴκαζεν. ἀφ' ὧν ἄνθρωπον μηδὲν λαμβάνειν. κόρακας δὲ καὶ ἰκτίνας ὡσπερ παρὰ τούτων ἑταίρας καὶ κόλακας.

- seu quidquid dicitur improbius] In manuscriptis tribus, Qui multo dicitur improbius. In Maffei libro, Quae multo dicitur improbius. ut illud ad columbum, hoc ad columbam referatur. liberum cuiq. sit, utrum sequi malit, dummodo non ignoret, impressam lectionem alienam esse, ac minime Catullinam. At nihil tam improbum in rapiendis osculis fingi potest, quam sunt ipsi columbi. De quo

Ouid. in . II. Eleg. Oscula dat cupido blanda columba uiro. Et Maecenas, ut auctor est in . XX. epist. Seneca, Labris columbari, idem significans dixit. Isdem uerborum figmentis usus. C. Matius apud Gell. libro. XX. cap. VIII. dixit in Mimiam bis, Sinuq. amicam recipere frigidam caldo, Columbatimq. labra conserens labris. Quantum

praecipue multituola est mulier] Legendum, ut in manuscriptis omnibus, Quamquam & cet. Mira inquit in amando Laodamia fuit constantia, cum mulieres tam sint inconstantes, nec uno unquam contentae.

Aut nihil, aut paulo cui tu concedere digna, Lux mea se nostrum contulit in gremium] Sic etiam in manuscri-

ptis,

ptis, praeterquam in uno, in quo non, Tu, sed
 Tum. Ego, quoquo modo legatur, nihil aptum ui-
 deo huic sententiae. nam, Paulo, uerbum, cui uerba
 iungemus. deinde, Tū, quid hic tandem loci habet.
 Ego Tu in Plus mutādū puto, quocumq. id modo ac-
 cidit. Sed nihil tamen adfirmo. Quam cir-
 cumcursans huc illuc saepe Cupido] In manu-
 scriptis, pro, Huc illuc, Hinc illinc. quod sequa-
 2) mur. Similiter Horat. in. 1. Carm. de Venere. Quā
 2) iocus circum uolat, & Cupido. Coniugis in
 culpa flagrauit cottidiana] In manuscriptis o-
 mnib. uel, Flagrantem, uel, Fragrantem. Ni-
 hil autem, quod e re foret, comminisci poteram. Sed,
 deesse tamen uersum unum atq. alterum, uehemen-
 ter suspicabar. Noscens omniuoli pluri-
 ma furta Iouis] Anacreon, quod Ioui Catullus,
 idem amori tribuit, apud quem sic est, Ἀλλ' οὐδέλω
 σωοικεῖν Ἐρωτι παντορέκτῃ. Atqui nec di-
 uis homines. & cet.] Hic uersus erat omnibus
 in manuscriptis. nec tamen apparet, quo referri
 eum oporteat. aut quam sit in partem ac sententiā
 accipiendum. Nisi si forte in eam, non esse coniu-
 gium semper e patris sententia celebrandum. Sic
 ut semper esse castam necesse sit. Sequitur enim,
 2) Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna, ut
 id onus etiam sublatum fuisse significet. De dedu-
 cendi ritu dictum antea. - nigra munuscu-
 la nocte] In manuscriptis omnib. non Nigra, sed
 Mira. Miram autem noctem uocat, qua sibi illius
 frui

frui licuit consuetudine. id enim uersus qui sequitur, significat, Ipsius ex ipso dempta uiri gremio. Eodem prope modo Gremium uidetur antea dixisse, Qui ipse sui gnati imminxerit in gremium. - si nobis id datur unis] Sic in tribus manuscriptis. In Maffei, Si nobis his datur unis.

Quo lapide illa diem candidiore notet] In tribus libris sic scriptum erat, Quem lapide illa dies candidiore notat. In uno, Quem lapidem illa dies candidiore notat. Ego superissem, & hunc ipsum uersum sic legendum suspicabar, ut, quam minime possem, longe ab scripta lectione discederem. Quare illud satis est, Si nobis is datur unis, Quem lapide illa diem candidiore notat. Hoc inquit satis est, si is nobis unis, non item alius dies datur, eumque diem solidum in amore, ac delicijs consumimus, atque eum sibi illa diem ducit felicissimum. Ne uestrum scabra tangat robigine nomen] Scabra robiginem dixit etiam Vergil. in Georg. Catullum, credo, imitatus. Sitis felices] Sic idem Ver-

gil. in. I. Aeneid. Sis felix. Euripides in Iphigenia, Ουαδι μύδων, καὶ γένοιθ' ἑδάμους. - et tua uita] Tui amores. Idem alibi, Incundum mea uita mihi proponis amorem. Et domus ipsa, in qua lusimus, & domina] In manuscriptis uerbum, Ipsa, non erat. itaque aut uerbum deest unum, aut legendum, Atque domus in qua lusimus, & domina. Saep enim, Et, pro, Atque & contra, scriptores librarij peccantes fecere. & ultimam syllabam uerbi Do-

mus, productam interdum nominandi casu nonnumquam legimus. Octavius Pantagathus legebat, *Et domus ipsi in qua &c.* Et qui principio nobis dominam dedit, a quo Sunt primo nobis omnia nata bona] In manuscriptis sic leguntur hi uersus, *Et qui principio nobis terram dedit, aufert, A quo sunt primo omnia nata bono.* At, quae uera lectio ex his uerbis possit existere, non dispicio. Sed, qui meus fuerit conatus, etsi mihi quidem ipse displicet, non tacebo, *Et qui principio nobis teneram dedit, ac fert. Et illo etiam modo, Et qui principio nobis teneram dedit, ac fere.* Et quae sequuntur. Vel pro, *Aufert*, legendum *Afer*, ut *Afrum* aliquem eo nomine puellam Catullo & Mālio dedisse intellegamus. Cetera mihi quidem probantur. Concursum enim illum uocalium duarum liberum esse posse, iā antea docui. Erat tamen quibusdam in manuscriptis non, *Nata*, sed *Nota*. Sed in nonnullis libris emendatum sic, ut legendum *cere semus. ac, pro Bono, malim equidem Bona.*

IN. RVFVM

NOLI admirari, quare tibi femina nulla
Ruse uelit tenerum supposuisse femur,
 Non, si illam rarae labefactes munere uestis,
 Aut pelluciduli delicijs lapidis.
 Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur
 Valle sub alarum trux habitare caper.
 Hunc

Hunc metuunt omnes. neq. mirum: nam mala ual-
 Bestia, nec qui cum bella puella cubet. (de est
 Quare aut crudelem nasorum interfice pestem,
 Aut admirari desine, cur fugiunt.

In Rufum.]

Hic est, opinor, M. Coelius Rufus, de quo Plin. in. VI. de
 33 naturali historia, cap. XLIX. M. Coelius Rufus, et
 33 C. Licinius Caluus eadem die geniti sunt. Oratores
 33 quidem ambo, sed tamen dispari euentu. Et cet.
 33 Ad quem post etiam Catullus, Rufe mihi frustra,
 33 ac nequiquam credite amice. Atq. alibi, Coelius
 33 Aufilenum, & Quinctius Aufilenam. Vbiq. uero
 summum suum amicum fuisse declarat. Pro quo ex
 stat etiam Ciceronis oratio, ac tot ad eum epistulae.
 Egit autem adulescentiam Coelius in summa uitae
 licentia. Eundem Cicero in epistulis saepe Rufum
 33 uocat. Nisi si hic alter ille Coelius, de quo ante, Coe-
 33 li Lesbia nostra, Lesbia illa. Non, si illam
 rarae labefactes munere uestis] In libris manu
 scriptis fere sic legitur, Nos illa rarae. in nonnullis
 Nos illa arae. conentur alij prauam lectionem me
 liorem reddere. Propert. in. IIII. in eadem senten
 33 tia. Qui uersus, Coae dederit nec munera uestis,
 33 Ipsius tibi sit surda sine arte lyra. In ueterib. libris,
 Sine aere lyra. Aut pelluciduli deliciis la
 pidis] In omnib. fere libris, Proluciduli, quasi Pro-
 cul lucentis. Laedit te quaedam mala fa-
 Z 2 bula]

- bula] Eodem modo uerbo Laedere uidetur usus O-
 33 uid.in. III. Fast. Sed laedit ille pudendus amor. En-
 33 ripid.in Hippolyto coronato Mordere sic uidetur
 33 dixisse, Δάκνει σε Θησεῦ μῦθος, ἀλλ' ἐχ' ἡσυχος, τοῦν-
 33 δέν δ' ἀκούσας, ὡς ἂν οἰμῶξ η̄ πλέον. Valle
 sub alarum trux habitare caper] Capras, Ho-
 rat. alij Hircum dicunt. Aristophan. Acharn.
 33 Οξων κακὸν τῶν μαχαλῶν πατρὸς τραγασαίου. Val-
 lens quoq. sic transtulit Ausonius in Paedagogum
 33 liguritorem, De ualle femorum intrinsecus paris
 33 rugas. - nam mala ualde est Bestia] Eo-
 33 dem modo Bion apud Stobaeum: Φεῦ γε μακρὰν, κα-
 33 κὸν ἐντι τὸ θυρίον. - nec qui cum bella puel-
 33 la cubet] Sic saepe Plautus loquitur, Si hoc impe-
 33 traro, ut ego cum Casina cubem. Et in Mil. glor.
 33 Nae illae fortunatae, quae cum isto cubant.
 33 - interfice pestem] Sic Pestes Verg. in. I. Georg. di-
 33 xit, Tum uariae inludent pestes, saepe exiguus
 33 mus. Et quae sequuntur. Atq. alibi de colubro, Pe-
 33 stis acerba boum. Itaq. ut ille frumenti pestes, illa
 33 boum, ita haec nasorum.

D E . I N C O N S T A N T I A
 F E M I N E I . A M O R I S

NULLI se dicit mulier mea nubere malle,
 Quam mihi. non, si se Iuppiter ipse petat.
 Dicit: sed, mulier cupido quod dicit amanti,
 In uento, & rapida scribere oportet aqua.

- non

non, si se Iuppiter ipse petat] Sic post ad Lesbiā,

3) - Nec prae me uelle tenere Iouem. Plautus in Casi-
 3) na eadem in sententia, Negavi enim ipsi me con-
 3) cessurum Ioui, Si is mecum oraret. Et in Poenulo si
 3) militer, Patruē mi, ita me di amabunt, ut ego, si sim
 3) Iuppiter, Iam hercle ego illam uxorem ducam, &
 3) Iunonem extrudā foras. Et Ouid. in epistula Phae-
 3) drae ad Hippolytum. Si mihi concedat Iuno, fra-
 3) tremq. uirumq. Hippolytum uideor praepositura Io-
 3) ui.

Dicit: sed, mulier cupido quod dicit
 amanti] Non sine imitatione repetitum uidetur
 3) uerbum, Dicit. Sic enim Menander, λέγεις, ἀ δὲ λέ-
 3) γεις, ἔνεκ αἰοῦ λαβεῖν λέγεις. Dicere uero, Promit-
 3) tere; & Dicta, Promissa. In uento, & ra-
 3) pida scribere oportet aqua] Verbum uetus est
 Graecorum, εἰς ὕδωρ γράφειν. Idem uento, aere, igni
 leuiorem mulierem esse adfirmant. Statius eodem
 modo Memoriam dixit madidam, & Fidem pro-
 3) fluiam. In Epiclero. n. sic posuerat, Ita ne Anti-
 3) pho est iuuentus profluua fide, Ita ne est immemo-
 3) ris, ita ne est madida memoria. At Catullus de Xe-
 3) narcho sumpsit, cuius illud est, Ὀρκον δ' ἐγὼ γυναι-
 3) κὸς εἰς ὕδωρ γράφω. Menander de improbis homi-
 3) nib. Ἀνδρῶν δὲ φιλῶν ὄρκον εἰς ὕδωρ γράφει.

*

SI cui iure bono sacer alarum obstitit hircus,
 Aut si quem merito tarda podagra secat,
 Aemulus iste tuus, qui uestrum exercet amorem,
 Mirifice est actu nactus utrumq. malum.

Z 3

Nam

Nam quoties futuit, toties ulciscitur ambos,
 Illam affligit odore, ipse perit podagra.

Si cui iure bono] Ita olim Aldus edidit, & in nō
 nullis etiam libris fuisse adfirmant. Eodem uero
 principio saepe utitur, id est, ab eodem uerbo initium
 „ ducit, Si qua recordanti, Si quidquā mutis, Si quid
 „ quam tacito, Si quidquam cupido. - ue-
 strum exercet amorem] Quasi interrumpit, &
 interturbat. Mirifice est actu nactus u-
 trumq. malum] In Achillis Maffei libro, ita ut
 Aldus edidit, A te, non Actu. quod ipsum placet.

A D. LESBIAM

DICEBAS quondam, solum te nosse Catullum
 Lesbia, nec prae me uelle tenere Iouem.
 Dilexi tum te, non tantum ut uulgus amicam,
 Sed pater ut gnatos diligit, & generos.
 Nunc te cognoui. quare, etsi impensius uror,
 Multo ita me nec tu uilior, & leuior.
 Qui potis est inquis. quod amantem iniuria talis
 Cogat amare magis, sed bene uelle minus.

Sed pater ut gnatos diligit, & generos] Tibul-
 „ lus in eadem prope sententia in. III. Haec tibi uir
 „ quondam, nunc frater casta Neaera, Et quae se-
 „ quuntur. Nunc te cognoui.] Idem post,
 „ Quod te cognossem bene. Multo ita me nec
 tu

tu uilior, & leuior] Aldus ante impresserat,
 Multo ita ne mi tu uilior, & leuior. In libris manu
 scriptis dupliciter legitur, Multo ita me nec uilior
 & leuior. Et, Multo ita nec me uilior, & leuior. pra
 ue utrumq. Placet autem, quod edidit Guarinus,
 Multo mi tamen es uilior, & leuior. Quis
 potis est inquis] In Maffei libro, Qui potis est. In
 alijs, Qui potis es. mihi legendum uidebatur, Qui po
 te sic, inquis. uel, Qui potis hoc. Deinde, quod sequi
 tur, Quod amantem iniuria talis, in libris manu
 scriptis omnibus, Quam amantem. legebam ipse.
 Quae amantem iniuria talis. Cogat ama
 re magis] In scriptis libris omnib. Cogit. quo proba
 bilior est superior lectio, Quae amantem. Mihi ue
 ro aut simul cum his legendi uidebantur, aut sta
 tim post hos illi uersus, Huc est mens deducta tua
 mea Lesbia culpa, Atq. ita se officio perdidit ipsa
 suo, Ut iam nec bene uelle queam tibi, si optima fias,
 Nec desistere amare, omnia si facias. Deinde illi,
 Odi, & amo: qua re id faciam, fortasse requiris: Ne
 scio: sed fieri sentio, & excrucior. Nam, Qua re, di
 uisim legendum puto, ut & ipsa postulare uidetur
 sententia. Sed, ut illi inter se omnes parte ex omni
 non cohaereant, aptius tamen hoc omnes loco legi
 uidentur. Veniebat etiam illud in mentem mihi, ut
 superiores illos uersus ita legerem, Qui potis hoc, in
 quis, quia amantem, & quae sequuntur. ut prior il
 la pars cum interrogatione legeretur, posterior re
 sponderet. eiusmodi uero oxymoris siue antithetis

frequenter usam Sappho, constat. adducit hos illius
 3) uersus Hephæstion, Ἐρῶ τε δῆτα κ' οὐκ ἔρῶ. Καὶ μαί
 3) νομαὶ κ' οὐ μείνομαι. Non alieni sunt ab hac sententia
 3) ueteris poetæ uersus hi, Ἀργαλέως μοὶ θυμὸς ἔχει
 3) περὶ σοῦ φιλότητα. Οὐδὲ γὰρ ἐχθαίρειν, οὐδὲ φιλεῖν
 3) δύνωμαι. Sed, quod Catullus qua re illud fieret, se
 3) nescire dixit, explicat eleganter Ouid. in. III. Ele
 3) giarum. Nequitiam fugio, fugientem forma reducit.
 3) Auerfor morum crimina, corpus amo. Sic ego nec
 3) sine te, nec tecum uiuere possum, Et uideor uoti ne
 3) scius esse mei. Alexand. Aphrodis. in Arist. III.
 3) Top. ubi de genere, quomodo species genus esse ali
 3) quod diiudicabimus, Ἀλλ' οὐδὲ ὁ ἔρως ἐν τῷ φιλεῖν,
 3) ἐπεὶ καὶ μισοῦσί ποτε οἱ ἔρῶντες.

IN. INGRATVM

DESINE de quoquam quidquam bene uelle mereri,
 Aut aliquem fieri posse putare tuum.
 Omnia sunt ingrata. nihil fecisse, benigne,
 Immo etiam taedet, taedet, obestq. magis:
 Ut mihi, quem nemo grauius, nec acerbius urget,
 Quam, modo qui me unum, atq. unicum amicū
 (habuit.

Desine de quoquam quidquam bene uelle mere
 ri] Ita erat uno in ueteri libro. in alijs pro Quid
 quam, & Quisquam, & Quemquam legebatur.
 Legendum fortasse sit, Quisquis. Omnia
 sunt

sunt ingrata. nihil fecisse benigne est] Est uerbum nullis in manuscriptis libris erat. ita uero distinguebam, ut prior pars, Omnia sunt ingrata, pronuntietur, adfirmeturq. posterior, Nihil fecisse benigne, cum interrogatione, ut subaudiatur uerbum Oportet. quasi dicat, Nihil ne cuiquam benigne fecisse oportet. Tum quod sequitur, respondeat. Immo etiam taedet. &c. Quam in sententiam Philotis apud Terentium in Hecyra multa loquitur cum Syra.

Nihil fecisse benigne: Sic veteres loquebatur. Plautus in Cistel. Faciam. facis benigne.

Et in Capt. Facis benigne. Immo etiam taedet]

In manuscriptis omnib. totus hic uersus legebatur, Immo etiam taedet, statq. magisq. magis. In uno, Stat magis, atq. magis. Guarinus in ueterib. libris, etiam quomodo Aldus edidit, fuisse testatur.

Mihi quidem nihil in mentem ueniebat, quod aptius iudicarem. - qui me unum, atq. unicum amicum habuit]

Vnicum: summum. Vnice. diligimus, quos uehementer amamus.

IN. GELLIVM.

GELLIVS audierat, patrum obiurgare solere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.

Hoc ne ipsi accideret, patrum perdespuit ipsam
Vxorem, & patrum reddidit Harpocratem.

Quod uoluit, fecit: nam, quamuis inrumet ipsum
Nunc patrum, uerbum non faciet patrum.

Gellius

Gellius audierat, patrum obiurgare solere
 Hic est ille Gellius, homo impurissimus, quem Cic.
 pro Sextio tanto opere exagitat. Sunt haec apud il-
 lum, An sicubi aderit Gellius, homo & fratre indi-
 gnus, uiro clarissimo, atq. optimo consule, & ordine
 equestri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamen-
 ta confecit. id erit populare. est. n. homo iste popul-
 R. deditus. nihil uidi magis. qui, cum eius adule-
 scentia in amplissimis honorib. summi uiri, L. Phi-
 lippi uitrici, florere potuisset, usq. eo non fuit popula-
 ris, ut bona solus comesset. deinde ex impuro adule-
 scente, & petulante, posteaquam rem paternam ab
 idiotarum delicijs ad philosophorum regulam per-
 duxit, Graeculum se, atq. otiosum putari uoluit, stu-
 dio literarum se subito dedit. nihil sane a re iuua-
 batur. anagnostae, libelli etiam pro uino saepe oppi-
 gnerabantur. manebat insaturabile abdomen, co-
 piae deficiebant. itaq. semper uersabatur in spe re-
 rum nouarum, otio & tranquillitate reip. consene-
 scebat. Et quae seditio umquam fuit, in qua non ille
 princeps. ecquis seditiosus, cui ille non familiaris. ec-
 quae turbulenta contio, cuius ille non concitator.
 cui bene dixit umquam bono. bene dixit. immo quē
 fortem, & bonum ciuem non petulantissime, est inse-
 ctatus. qui ut credo non libidinis caussa, sed ut populi
 cola uideretur, libertinam duxit uxorem. is de me
 suffragium tulit, is adfuit, is interfuit epulis, & gra-
 tulationibus parricidarum, in quo tamen est ne ul-
 lus cum ullo reo est inimicus est meus suauitatus.

Quem

Quem locum totum eo descripsi, ut postrema haec
 uerba, quae uitiosissime omnibus in libris leguntur,
 miro Octauij Pantagathi acumine emendata, resti-
 tutaq. demonstrarem. Sic autem legit uir doctissi-
 mus: In quo tamen est me ultus, cum illo ore inimi-
 cos est meos suauitatus. Huius enim sententiae uideri
 tur etiam illa Catulli post in eundem, Quid dicam,
 Gelli, quare rosea ista labella, Hiberna fiant candi-
 diora niue. Frater autem Gelli huius fuit. L. Gellius,
 qui cum. Q. Arrio praetore a Spartaeo acie uictus
 est. Liuius in Epitome lib. XCVI. Sed idem tamen
 Pantagathus illum apud Cic. Gellium huius patru-
 um fuisse putat, filium consulis illius scilicet, qui est
 ab Spartaeo superatus. qui degener uxorem ipsam
 patruum libertinam amaret, et cum patruus inruma-
 ri se uellet, iuuenū in mulieres libidinem reprehen-
 debat. Itaq. nepos Gellius patruo inrumando silen-
 tium imposuit, quo libertinae ipsius amoribus sine
 querella perfrui posset. - patruum perdespuit
 ipsam Vxorem] Vir eruditus legit Perdespuit, non,
 Perdespuit. Depsere enim, in obscenis est.
 Quod uoluit, fecit] Quod uoluit patruus. sunt,
 qui malunt, Gellius. - nam, quamuis in-
 rumet ipsum Nunc patruum] Quantum uis
 patruo sic iniuriam faciat, maledictum nullum au-
 diet. & quod uxori pepercerit patruum, et ei silentium
 obscene imposuerit. In manuscripto uno, Nunc,
 Hunc legebam. idq. opinor, rectius.

Scaliger
 sibi attribuit
 hanc
 corruptionem

IN. LEBIAM

HVC est mens deducta tua mea Lesbia culpa,
 Atq. ita se officio perdidit ipsa suo,
 Vt iam nec bene uelle queam tibi, si optima fias,
 Nec desistere amare, omnia si facias.

Vt iam nec bene uelle queam] Οξύμωρον uide-
 ,, tur. quale etiam illud, ἔκων ἀέκοντι θυμῶ.
 - omnia si facias] Sic etiam Cratinus apud Pollu-
 ,, cem in. X. Ουδὲ δώματα πάντα ποιῆσα, νεὼς οἶκον λα-
 ,, χεῖν.

A D. S E I P S V M

SI qua recordanti benefacta priora uoluptas
 Est homini, cum se cogitat esse piuum,
 Nec sanctam uiolasse fidem, nec foedere in ullo
 Diuum ad fallendos numine abusum homines:
 Multa parata manent in longa aetate Catulle
 Ex hoc ingrato gaudia amore tibi. (sunt,
 Nā quaecumq. homines bene cuiquam aut dicere pos-
 Aut facere, haec a te dictaq. factaq. sunt.
 Omnia quae ingratae perierunt credita menti.
 Quare te iam cur amplius excrucies.
 Quin te animo affirmas, teq. instringisq. reducisq.
 Et dis inuitis desinis esse miser.
 Difficile est longum subito deponere amorem.

Difficile

Difficile est : uerum hoc , qua lubet , efficias .
 Vna salus haec est : hoc est tibi peruincendum .
 Hoc facies , siue id non pote , siue pote .
 O di , si uestrum est misereri , aut si quib . umquam
 Extrema iam ipsa in morte tulistis opem ,
 Me miserum aspiciate : & , si uitam puriter egi ,
 Eripite hanc pestem , perniciemq . mihi ,
 Quae mihi subrepens imos , ut torpor , in artus ,
 Expulit ex omni pectore laetitia .
 Non iam illud quaero , contra ut me diligit illa ,
 Aut , quod non potis est , esse pudica uelit .
 Ipse ualere opto , & taetrum hunc deponere morbum .
 O di , reddite mi hoc pro pietate mea .

Multa parata manēt in longa aetate Catulle Ex
 hoc ingrato gaudia amore tibi] Genus ipsum
 dicendi , expressum ex Callimacho in Lauacro Pal
 ,, ladis Ω έτάρα . τῶι μήτι μινύρεο τῶι δέ γάρ ἄλλα τεῦ
 ,, χάριν ἐξ ἐμέθεν πολλὰ μενεῦντι γέρα . Eiusdem pro
 ,, pe sententiae Pindaricum illud , apud Platonem ,
 ,, Ος ἂν δικαίως , καὶ ὀσίως τὸν βίον διαγάγη , γλυκεῖα
 ,, οἱ καρδίαν ἀτιτάλλοισα γηροπρόφος ξωαορεῖ ἐλπίς ,
 ,, ἀ μάλις ἀθανάτων πολύτρον γνώμαν κυβερνᾷ . Huius
 me similitudinis admonuit Corbinellus .
 - ingratae perierunt credita menti] collocata
 in hominem ingratum . Quin te animo
 affirmas , teq . instringisq . reducisq .] In manu
 scriptis omnibus , Qui tu animo affirmas , atq . in
 stinctoq . reducis . Ego uero coniecturam faciebam
 sic

sic legendum, *Quin tu animum offirmas, atq. istinc usq. reducis, quasi id dicat, Quin tu animum offirmans ab ea cogitatione, & amoribus illis tuis semper abducis.* Sic Cic. in II. Philipp.

» Omnem se amorem abiēcisse illinc, atq. in hanc
» transfudisse. Et dis inuitis] Prover-

» bium fuisse uidetur, quo usus Poeta, dixit, Heu ni-
» hil inuitis fas quemquam fidere diuis. Itaq. expris-
» munt Homericum illud, Αέκντι θεῶν.

» Extrema iam ipsa in morte] Verg. Extrema
» iam in morte parant defendere telis. Extremam
» dicunt mortem, quod ea sit ultima, ut ait Flaccus,
» linea rerum. Me miserum aspiciate] Aspi-

ciendi uerbo saepe sic utitur Verg. - et, si ui-
tam puriter egi] Sic Horat. & Tibullus, Puras
manus, nullius caede pollutas. Sic apud Heracli-
dem περὶ πολιτειῶν, de Parijs, ubi Corax, Archi-
lochi interfector, Pythiae, iubenti, ut e templo exi-
ret, respondet, Ἀλλὰ κατὰρὸς εἰμὶ ἀνάξ.

Quae mihi subrepens imos, ut torpor, in ar-
tibus] In manuscriptis omnibus, Seu mihi subrepēs
imos ut corpore in artus. legendum forte sit, Haec
mihi subrepens imos in corporis artus. Imos artus
» sic dixit, ut & Horat. Imos sensus. Mollis inertia
» cur tantam diffuderit imis obliuionem sensibus.

Expulit ex omni pectore laetitia] Legen-
dum forte sit, Ex omnis. ut sit, Omnis laetitia
» ex pectore. sic Lucret. - tuisq. ex inclyte chartis.
» Et Verg. in Bucol. Iniciunt ipsis ex uincula sertis.

Quam

Quam hoc loco ἀνασπορνῆν esse, propterea puto, quod
 Omnes laetitias quasi prouerbio dixisse veteres, a-
 nimaduerti. Sic Cic. in. II. de Finib. Ille Caecilia-
 nus, qui omnib. laetitijs laetum esse se narrat. Et
 in. II. Epist. ad Caelium, Repente uero inCESSI omni-
 bus laetitijs. Et Pomponius quoq. multitudinis nu-
 mero, Quot laetitiae insperatae modo mihi inre-
 psere in sinum. Et Lucret. in. III. Hic exultat e-
 nim pavor, & metus, haec loca circum Laetitiae
 exultant. Non iam illud quaero] Sic, ut
 puto, etiam Cic. Neq. uero iam illud quaero. Et
 Vergil. in. IIII. Aeneid. Non iam coniugium an-
 tiquum, quod prodidit, oro. -contra ut me]
 In manuscriptis, Contra me ut. Hoc uero est ἀντε-
 πᾶν. Simile illud in Priapum, Quare illud satis est,
 si te permittis amari, Non contra ut sit amor mu-
 tuus inde mihi. O di] sic Euripides in Iphi-
 genia, ὦ θεοί.

A D . R U F U M

R U F E mihi frustra, ac nequiquam credite amice,
 Frustra immo magno cum pretio, atq. malo:
 Siccine surrepisti mi, atq. intestina perurens,
 Sic misero eripuisti omnia nostra bona.
 Eripuisti heu heu nostrae crudele uenenum
 Vitae, heu heu nostrae pestis amicitiae.

R U F E mihi frustra, ac nequiquam credite a-
 mice] Ad M. Caelium Rufum. de quo iam di-
 ctum.

Etum . uel potius ad *Alfenum Rufum* , cuius ante
 obliuionem amicitiae accusauit . Credite uero ,
 non *Cognite* , in omnib. manuscriptis . itaq. olim e-
 didit *Ald. Manutius* . Sic *Sulpicius* in *Periocha* ,
 33 Sororem falso creditam meretriculae .
 33 - immo magno cum pretio , atq. malo] Pre-
 33 tium dixit , more *Graecorum* . Sic *Crantor* , Μὴ νο-
 33 σοῖμεν . νοσήσασι δὲ παρὲν τις αἰδησις , εἴτ' οὐκ
 33 τέμνοιτό τι τῶν ἡμετέρων , εἴτ' ἀποσπῶτο . τὸ
 33 γὰρ ἀνώδωον τοῦτο ἔκ ἀνευ μεγάλων ἐγγίνεται
 33 μιᾶν τῷ ἀνθρώπῳ . τεθηριῶσαι γὰρ μὲν σῶ-
 33 μα τοιοῦτον , ἐνταῦθα δὲ ψυχὴν . *Quae Ci-*
 33 *cero totidem uerbis in . I I I . Tusc . Ne aegro-*
 33 *tus , inquit , sim . sed , si fuerim , sensus adsit , siue*
 33 *secetur quid , siue auellatur a corpore . nam istuc ni-*
 33 *hil dolere non sine magna mercede contingit im-*
 33 *manitatis in animo , stuporis in corpore . Et Calli-*
 33 *machus in Hymno in Dianam , Οὐδὲ γὰρ ἀτρεΐδης*
 33 *ὀλίγω ἐπεκόμπασε μιᾶν . Et Vergil . in . VII . At li-*
 33 *cet amborum populos exscindere regum Hac ge-*
 33 *ner , atq. socer coeant mercede suorum . Ouid . in . X .*
 33 *Metam . eodem , quo Catullus , modo , Mors pretiū*
 33 *tardis . Ac post , Indignamq. necem pretium patie-*
 33 *tur amoris . Malo , etiam Tibullus sic dixit , Ne*
 33 *pigeat magno post didicisse malo .*

D E . G A L L O

GALLVS habet fratres, quorū est lepidissima coniux
Alterius, lepidus filius alterius.

Gallus homo est bellus: nam dulces iungit amores,
Cum puer ut bello bella puella cubet.

Gallus homo est stultus, nec se uidet esse maritum,
Qui patruus patrum monstrat adulterium.

Sed nunc id doleo, quod purae impura puellae
Suauia coniunxit spurca salina tua.

Verum id non impune ferēs: nam te omnia saecula
Noscent, & qui sis, fama loquetur anus.

Gallus habet fratres] Gallorum nomen Roma-
num fuisse, constat. nam & poeta Cornelius, & Fa-
uonius quidam Galli fuisse leguntur. In marmori-
bus tamen Capitolinis Galus simplici. L. ut & in
aereis nummis Antoni Augustini Episc. Ilerden.

GALVS. APRONIVS. & GALVS. MESSALLA.

In uetustissimo Vergili exēplo, PAVCA MEO GAL
LO, per duplex. LL. Sed nunc id doleo]

Vehementer suspicor, ceteros, qui sequuntur, uersus,
suo loco positos non esse. aut esse ἀποπασμάδιον.

3) -spurca salina] Idem post, Tamquam commixtae

3) spurca salina lupae. - & qui sis, fama lo-

3) quetur anus] Sic Martial. Unum pro cunctis fa-

3) ma loquatur opus. Et uetus poeta apud Priscianū,

3) Τοὺς σοὺς ἀγῶνας αἰῶν λαλήσει.

IN. LESBIUM

LESBIUS est pulcher. quid ni. quem Lesbia malit,
 Quam te cum tota gente, Catulle, iua.
 Sed tamen hic pulcher uendat cum gente Catullum,
 Si tria amatorum suauia reppererit.

Lesbius est pulcher. quid ni] Esse quibusdam in
 libris adfirmant, Gellius est pulcher. Quid ni. Sic
 » ueteres locutos, tradit Festus Pompeius. Quid nisi, in
 » quit, usurpauisse antiquos, testis est Afranius in E-
 » pistula. Me auctore, mater, abstinebis. quid nisi.
 Nisi id Festus notat, quod posteriores, Quid ni, sic
 » ueteres, Quid nisi dixisse. Et idem post Catullus,
 » Gellius est tenuis. quid ni. Sed tamen hic
 pulcher] Esse & haec potest sententia, hunc sua cū
 gente Catullum uenditurum, pretiumq. hoc daturū
 ei, qui tria sibi dederit suauia.

AD. GELLIVM

QVID dicam, Gelli, quare rosea ista labella
 Hiberna fiant candidiora niue,
 Mane domo cum exis, & cum te octaua quiete
 E molli longo suscitatur hora die.
 Nescio quid certe est. an uere fama susurrat
 Grandia te medijs tenta uorare uiri.
 Sic certe est, clamans, Victoris rupta miselli
 Illa, demulso labra notata sero.

- & cum te octaua quiete E. molli longo susci-
 tat hora die] *Postquam sis meridiatus aestiuus, ac
 longis diebus.* Grandia te medii tenta uo-
 rare uiri] Et quia κακέφατον uidetur, deorum uehi-
 culum *Tensum* dixerunt, non *Tentum*, ne uerbum
 turpe sonaret in sacris. *Diomedes Grammat. de
 Ostentum, & Ostensum* supinis agens. nisi legendū
 sit apud *Diomedem*, Deorum uehiculum *Tensam*
 dixerunt, non *Tentam*. Verbo eodem obscene etiam
 Graeci utuntur. In epigrammatis enim Graecorū
 sic *Priapus* loquitur, Ἀλλ' ὡς ἐν τέταμαι, φῶρ' ἐμβλε-
 πει. *Medij* autem uiri, quod dicit, pudenda ipsa si-
 gnificat, & nefariam libidinem, quam gentib. op-
 probrans *Minutius* in dialogo, *Qui*, inquit, scorto-
 rum licentiae inuident, qui medios uiros lambunt,
 libidinoso ore inguinib. inhaerescūt, homines ma-
 lae linguae, etiamsi tacerent. Et in lusibus *Priapus*.
Oscula dat medio si qua puella mihi. *Auson.* quoq.
 in *Eunomium* liguritorem, *Eune* quid affectas uen-
 dentem *Phyllida* odores, *Diceris* hanc mediam lā-
 bere, non molere. Atq. alibi idem, de *Castore* fellato-
 re, *Lambere* cum uellet *mediorum* membra uiro-
 rum *Castor*. Sic certe est, clamans *Victo-
 ris* rupta *miselli* *Ilia*, demulso labra notata fe-
 ro] In manuscriptis libris, *Ille* te mulso. In alijs, *Ille*
 te mulso. In alijs, *Ille* te mulso. Itaq. doctissimi uiri,
Pierius Valerianus, & *Gabriel Faernus*, coniectu-
 ram fecerant ualde probabilem, legendum, *Ilia* &
 emulso. *Mihi* etiam in mentem uenerat, suspicari

- legendum, Iliac. & mulso. Vel, Iliac. & malto. Sed
 5) Mulgendi uerbo sic usus Lucret. in. IIII. Et com-
 5) miscendo semen cum forte uirile Feminum mulsit
 5) subita ui, corripuitq.

AD. IUVENTIVM

NEMO NE in tanto potuit populo esse, Iuuenti,
 Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
 Praeterquam iste tuus moribunda sede Pisauri
 Hospes, inaurata pallidior statua.
 Qui tibi nunc cordi est, quem tu praeponere nobis
 Audes. at nescis, quod facinus facias.

- Nemo ne in tanto potuit populo esse, Iuuen-
 5) ti] Ad eundem Iuuentium, ante, O qui flosculus es
 5) Iuuentiorum. Praeterquam iste tuus] Iste,
 contemptim. Hospes, inaurata pallidior
 statua] Aurum etiam Graecis Χλωρόν dicitur. No-
 5) tum illud uetus, & ab Aristophanis interprete ex-
 5) positum. τίποτ' ἐστὶ χλωρόν ἀντιβολῶ τὸ χρυσίον. δέ-
 5) δοικ' ἐπιβουλόμενον ὑπὸ πάντων αἰεί. Silius hoc a-
 stures colore in aurifodinis uersantes adfecta uale-
 tudine, atq. aegros esse significat. Est enim apud il-
 5) lum sic, Sed scelerum causas aperit deus, Astur a-
 5) uarus Visceribus laceratae telluris mergitur imis. Et
 5) redit infelix effosso concolor auro. Lucianus in Gal-
 5) lo. Οἴμωξε καὶ διαγρύπνει, καὶ ὁμοίος γίγνου τὸ χρῶ-
 5) μα τῷ χρυσῷ προστετήκως αὐτῷ. - at nescis,
 quod

quod facinus facias] Sic alibi loquitur, Saepe fa-
 cis facinus. Et Plautus in Poenulo, Eo tu uim tu fa-
 cinus facere lepidum, & festiuum. Et Terent. Non
 fit facinus magnum, & memorabile sine periculo.

A D. Q V I N C T I V M

Q V I N C T I, si tibi uis oculos debere Catullum,

Aut aliud, si quid carius est oculis:

Eripere ei noli, multo quod carius illi

Est oculis, seu quod carius est oculis.

Quincti] C. interpono, ueterum monumentorum
 fidem secutus. Eripere ei noli] μονοσυλλά-

22 6ος, etiam Plaut. in Pseud. Ei homines coenas sibi
 23 coquunt, cum condiunt. Et ante, Eas herbas herbis
 24 alijs porro condiunt. Et statim, Eo la serpicij libram
 25 pondo diluunt. Ut Lucil. Eidem, δισυλλάβως. Vni se
 26 atq. eidem studio omnes dedere, & arti. Et Vergil.
 27 in Bucol. Vno eodemq. igni. Lucretius in. III. Ei
 28 bisyllabum fecit, priore tamen longa. Siue aliud
 29 quod uis potius coniunctius ei. Et in. VI. Et mani-
 30 bus nitidum teneris opus effluit ei. Nisi forte legen-
 dum apud illum sit, Eij. itaq. sit Ei prius monosyl-
 labum. - seu quod carius est oculis] Sen-
 31 tētia postulare uidetur, ut potius, Si quid, legamus,
 32 Dixit enim ante, Aut aliud si quid carius est ocu-
 33 lis.

IN . LESBIAE . MARITVM

LESBIA mi, praesente viro, mala plurima dicit .

Hoc illi fatuo maxima laetitia est.

Mule, nihil sentis. si nostri oblita taceret,

Sana esset. quod nunc garrit, & obloquitur ,

Non solum meminit, sed, quae multo acrior est res ,

Irata est, hoc est uritur, & loquitur .

Mule, nihil sentis] Quibusdam in libris, Mulle, per
 duo. LL. In Patavino exemplo, Nulle. quod est opi-
 nor rectius. Nullum enim appellat stupidum, nihil
 „ audientem, nihil, ut alibi loquitur, sentientem. Nec
 „ tamen repugno, quo minus Mulum legas. Sic. n.
 „ Cic. Pisonem admissarium, atq. asinum dicit.
 „ Nihil sentis : Sic Ouid. in. III. Amor. Fabula,
 „ nec sentis, tota iactaris in urbe . - si, nostri
 „ oblita, taceret, Sana esset.] Insanire enim dicun-
 tur, qui amant. Sed omnib. in libris manuscriptis
 erat, Samia, vel Sannia. itaq. videndum, an legen-
 dum potius Sanna, quod inrisionem significat, qua
 si id dicat, inrideri me amantem ab ea putarẽ, pla-
 neq. contemni, si de me taceret. nunc quod loquitur,
 ardere se etiam demonstrat. Nunc autem, sic ad-
 „ uersatur hoc loco, ut apud Graecos Νῦν δὲ .
 - quod nunc garrit] In manuscr. Gannit.
 Irata est, hoc est uritur, & loquitur] Tanta vis
 est eius in me amoris, ut irascatur. id est, uero ira-
 scatur.

scatur. Est enim ira feruor, atq. ardor sanguinis, et,
 qui amant, ardēt etiam ipsi. suntq. haec τοῦ πᾶδος
 οὐμεία. Similiter Tacitus, de uitis, opinor, quae
 ,, obiciuntur, Namq. spreta exolescunt: si irascare,
 ,, agnita uidentur.

D E . A R R I O

COMMODA dicebat, si quando Commoda uellet

Dicere, & Hinfidias Arrius Insidias:

Et tum mirifice sperabat se esse locutum,

Cum, quantum poterat, dixerat Hinfidias.

Credo sic mater, sic Liber auunculus eius,

Sic maternus auus dixerat, atque auia.

Hoc misso in Syriam, requierant omnib. aures:

Audibant eadem haec leniter, & leuiter:

Nec sibi postilla metuebant talia uerba,

Cum subito affertur nuntius horribilis,

Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,

Iam non Ionios esse, sed Hionios.

Et Hinfidias Arrius Insidias] Q. Arrij meminit

Pedianus in argumento Ciceronianae diuinationis.

Q. nimirum Arrius Praetor, qui cum L. Gellio

,, a Spartaeo acie uictus est, de quo Linius in Epito-

,, me lib. XCVI. ab. V. C. Arrium uero per duplex.

,, RR. proferendum, ac scribendum, censeo. Confirmat

,, hoc & Festus in uerbo Torum. Nam antiqui, in-

,, quit, nec mutas, nec semiuocales litteras, gemina-

AA 4 ,, bant.

» bant. ut fit in Ennio, Arrio, Annio. Et uetus in-
 » scriptio Romae apud Rufinum Episcopum.

SOLI
 INVICTO
 L . ARRIVS
 RVFINVS
 D . D

Et in uetustissimo marmore, in quo Centuriarum incisa nomina ad Capitolini Montis radices, eodem modo, L. ARRIVS. HELIVS. Sed eodem tamen in saxo, & in templo Ludouici Gallorum Regis sacra-
 to, ubi nunc aqua Lustralis, & ARRIVS per du-
 plex. RR. & per simplex ARIA.

D . M
 TIMOTEO . CANTABRIO
 QVI . VIXIT . ANNIS
 DVOBVS . MENS . DVOBVS . DIEB
 XV . ARRIVS . SEVERVS . ARIA
 FELICISSIMA . PAREM
 TES . DVLCISSIMO
 FILIO . FECERVNT

Hoc misso in Syriam] In manuscr. Hic. legendū
 forte, Hinc. - requierant omnib. aures]

» Quas ille tot aspirationib. ἐκκεκώφωκε, καὶ ἐμπέπλη
 » κε, ut ait Plato in Lyside. - postilla] Postilla,
 » id est,

» id est, Postea. Terent. Phorm. Eam compressit, un-
 » de haec nata est, neq. postilla umquam attigit. Cor-
 » nel. Fronto in Exemplis elocutionum. Et Ennius,
 » Postilla germana soror errare uidebar. Et Plaut. in
 » Cur. Sed eum, qui mihi uendit illam, numquam
 » postilla uidi. Ultima longa, ut in Postea. Comperio
 » autem, veteres Post praepositionem sic trib. modis
 » composuisse, Postea, Postilla, Postinde, ut apud Suet.
 » de illustrib. grammat. in. Q. Caecilio, Postinde
 » damnationem, ut est in libris iam olim impressis,
 » non Postdeinde.

IN. LESBIAM

ODI, & amo. quare id faciam, fortasse requiris:
 Nescio: sed fieri sentio, & excrucior.

IN. QUINTIAM. ET. LESBIAM

QUINTIA formosa est multis, mihi candida, longa.
 Recta est. haec ego sic singula confiteor.
 Totum illud, Formosa, nego. nam nulla uenustas,
 Nulla in tam magno est corpore mica salis.
 Lesbia formosa est: quae cum pulcherrima tota est,
 Tum omnib. una omnes surripuit Veneres.

Quintia formosa est.] Quintium veteres dixif-
 se, antiqua monumenta declarant. Sed &, non
 interposito C, Quintiam eosdem pronuntiasse, ue-

tus inscriptio demonstrat, quae hodie exstat Romae
ad S. Marci.

C. FVL. QVINTIA. C. FVLVINA
C. FVLVINIVS . C. L. EROS

Nescio, an eadem de *Quinctia* in *Iusib.* in *Priapum*,
„ *Deliciae populi, toto notissima circo, Quinctia,*
„ *uibratas docta mouere nates. Et quae sequuntur.*

„ *Longa est] Ouid. in. III. Amorum Eleg. III. Lon-*
„ *ga, decensq. fuit, longa decensq. manet.*

- *mihicandida, longa Recta est] Horat. in. I.*
„ *Serm. Sat. II. Candida, rectaq. sit, munda haec-*
„ *nus, ut neq. longa, Nec magis alba uelit, qua dat*
„ *natura, uideri. Recta est] Propert. in. II.*

„ *Despicit & magnos recta puella deos. Nonnullam*
„ *formae laudem esse, etiam Cic. pro Muræna signi-*
„ *ficat, Solos, inquit, sapientes, esse, si distortissimi sint,*
„ *formosos. Totum illud, Formosa, nego.*

„ *nam nulla uenustas] Sueton. in Nerone Claudio,*
„ *Pulchrum a Venusto secernens, Vultu, inquit, pul-*
„ *chro magis, quam uenusto. Ut ex his eius uerbis in-*
„ *tellegatur, aliud Pulchrum, aliud esse Formosum.*

„ *Totum illud, id est, τὸ ὄλον, siue τὸ σῶλον.*

„ *Nulla in tam magno est corpore mica salis] Lucret. in. IIII. eodẽ in genere - Charitonia, tota,*
„ *merum sal. Quem uersum Honoratus Fascitellus*
„ *ab erudito homine legi dicebat, Χαρίτων ἰα, tota me-*
„ *rum sal, ut ea Gratiarum esse una dicatur. de quo*

tamen

tamen considerandum etiam atq. etiam puto. Octavianus Pantagathus legendum putabat, Charis omnia, tota merum sal. auget autem uim boni magnitudo. Id se quoq. multis locis probatum a ueterib. animaduertisse, Corbinellus aiebat. apud Arist. in Rhetoricis. Θηλειῶν δὲ ἀρετὴ, σώματος μὲν, κάλλος καὶ μέγεθος. Et Sappho idem quoq. sensisse, ὅτι μικρὰ μοι παῖ ἔμμεναι φαίνεαι, κ' ἄχαρις. Et, quod Micam salis dicit in corpore, hoc cuiusmodi sit, e Plutarchi uerbis in. V. Sympos. intellegitur, Διὰ τοῦτο δὲ ἴσως καὶ κάλλος γυναικὸς τό μῆτε ἀργόν, μῆτε ἀπίθανον, ἀλλὰ μεμιγμένον χάριτι, καὶ κινητικόν, ἄλμυρόν, καὶ δριμύ καλοῦσιν. Hunc interpretans locum Quinctilianus in. IX. Nam & Cicero, inquit, omne, quod salsum, ait esse Atticorum, non quia sunt maxime ad risum compositi. Et Catullus cum dicit, Nulla in tam magno est corpore mica salis, hoc dicit, nihil in corpore eius esse ridiculum. Salsum erit igitur, quod non erit insulsum. Et quae sequuntur. Lesbiā itaq. sic laudat suam Catullus, ut Helenam Zeuxidis ueteres laudauerunt, quam pinxit ille τὸ τῶν ἄλλων κρεῖττον ἀπανθίζων, ut ait Dionysius Halicarn.

D E . S V O . I N . L E S B I A M
A M O R E

NULLA potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum a me Lesbia amata mea est.
Nulla

Nulla fides ullo fuit umquam foedere tanto,
Quantum in amore suo ex parte reperta mea est.

Quantum in amore suo ex parte reperta mea
est] In manuscriptis omnibus. In amore tuo. Sic uero
significat τὸν ἔρωτα τὸν ἀμοιβαλῆ, & bene mutuis,
ut Flaccus ait, Fidum pectus amoribus. Sed, si de
Lesbia, non cum Lesbia, loquitur, illud sequen-
dum.

IN. GELLIVM

QVID facit is Gelli, qui cum matre, atq. sorore
Prurit, & abiectis peruigilat tunicis.
Quid facit is, patrum qui non sinit esse maritum.
Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris.
Suscipit o Gelli, quantum non ultima Tethis,
Non genitor Nympharum abluat Oceanus.
Nam nihil est quidquam sceleris, quo prodeat ultra,
Non si demisso se ipse uoret capite.

- qui cum matre, atq. sorore Prurit] Prurire
sic feminas dixit obsceni auctor carminis. Oro,
nam quis erit modus, Quirites, Aut praecidite se-
minale membrum, Quod totis mihi noctibus fati-
gant Vicinae, sine sine prurientes, Vernis passeribus.
salaciores. Ecquid scis, quantum susci-
piat sceleris] Sic Cic. Philipp. XI. Miserior igitur,
qui suscipit in se scelus. Et in Pompeiana, De-
lenda

22 lenda est uobis illa macula, Mithridatico bello su-
 23 periore suscepta. - quantum non ultima
 Tethis, Non genitor Nympharum abluat
 Oceanus] Genus expiationis hoc fuisse uidetur,
 eamq. uim non mare tantum, sed ipsos etiam flu-
 uios habere credebant. Ex hoc genere uidetur esse,
 quod saepe apud Obsequentem de Prodigijs legi-
 24 mus. Lunae Androgynus natus, praeepto haru-
 25 spicum in mare deportatus. Atq. alibi, Puer ha-
 26 ruspicum iussu crematus, cinisq. eius in mare de-
 27 iectus. Item alibi, In Etruria Clusi materfamiliae
 28 uiuum serpentem peperit, qui iussu haruspicum in
 29 profluentem deiectus aduersa aqua natavit. Et
 30 apud Iuuenalem Sat. VI. Ut quidquid subiti &
 31 magni discriminis instat, In tunicas eat, & to-
 32 tum semel expiet annum. Hibernum fracta glacie
 33 descendat in amnem Ter matutino Tiberi mer-
 34 getur, & ipsis Verticib. timidum caput abluet. Et
 35 apud Persium, Haec sancte ut poscas, Tiberino
 36 in gurgite mergis Mane caput. Pausanias in Boeo-
 37 ticis, idem de mari significans, Ο μὲν δὴ σεμνότε-
 38 ρος ἐς αὐτὸν λόγος. τὰς γυναῖκας φασὶ τὰς Ἰαναγρῶν
 39 πρῶτας Διονύσου τὰ ὄργια μυνδείσας ἐπὶ θάλασσαν
 40 καταβῆναι καθαρῶν εἴνεκα. νηχομέναις δὲ ἐπιχει-
 41 ρῆσαι τὸν τρίτον. Et quae sequuntur. De flumi-
 42 nib. Sophocles in Oedypo Tyranno, Οἶμαι γὰρ ἔτ'
 43 ἀνίστρον οὔτε φάσιν ἀν Νίλαι καθαρῶ τὴν δετὴν σέ-
 44 γνη, ὅσα Κεύθει, Et reliqua. Mari eluendi uim ma-
 45 ximam Lucretius tribuens in. VI. alio quidem in
 genere

» genere idem prope dixit, Non si Neptunus fluctu
 » renouare operam det, Non mare si totum uelit elue
 » re omnib. undis. Ultimam uero Tethin dicit, to-
 » tum mare, ad extremos usq. eius fines.

Non genitor Nympharum] In manuscriptis,
 Nec genitor Nympharum. Non si demisso
 se ipse uoret capite] Haud scio, an eandem obse-
 nitatem Cicero significet in Clodio, in oratione pro
 » domo. Quaere, inquit, hoc ex Clodio, scriptore
 » legum tuarum. iube adesse. latitat omnino. Sed, si
 » requiri iusseris, inuenient hominem apud sororem
 » tuam, occultantem se, capite demisso. Nam, si Sex.
 » ille Clodius cunnilingus, hic Gellius iuuenis inru-
 » mator, par est utriusq. obscenitas.

IN . EVNDEM

GELLIUS est tenuis. quid ni. cui tam bona mater,
 Tamq. ualens uiuat, tamq. uenusta soror,
 Tamq. bonus patruus, tamq. omnia plena puellis
 Cognatis, quare is desinat esse macer
 Qui ut nihil attingat, nisi quod fas tangere non est,
 Quantumuis quare sit macer, inuenies.

Gellius est tenuis] Etenim, qui veneri dediti sunt,
 eos macie confectos uideri necesse est. Lucret. in.
 » III. Ἰχθὺς ἐρωμαῖον tum sit, cum uiuere non quit.
 » Prae macie παδ' ἰν. - cui tam bona mater]
 tam pulchra. Qui ut nihil attingat] Io-

cus esse videtur παρὰ τοσοδοξίαν . id enim sequi videbatur , ut hic , ea , quae liceret , non attingens , multo minus , quae non liceret , attingeret . eoq. minime macresceret . nunc tantum sese polluens nefaria libidine , sat caussae tamen est , cur sit idem macer .

I N . E V N D E M

N A S C A T U R magus ex Gelli, matrisq. nefando
Coniugio, & discat Persicum haruspicium .
Nam magus ex matre & gnato nascatur , oportet .
Si uera est Persarum impia religio ,
Gnatus ut accepto ueneretur carmine diuos ,
Omentum in flamma pingue liquefaciens .

Nascatur magus ex Gelli, matrisq. nefando Cō
iugio] Magum lingua Persarum Sacerdotem
dici, testatur Appuleius . Persas uero ipsos cete-
ris gentib. odio esse , propter haec nefaria cum pa-
rentibus, sororibusq. coniugia , tradit Eusebius .
Nam magus] Idest sacerdos . eiusmodi ergo ma-
trimonijs sacerdotes suscipiebantur , non item alij .
Significare enim hoc Catullus uidetur .
Gnatus ut accepto ueneretur carmine di-
uos] Accepto, sibiq. per manus tradito a paren-
tib. incestuosis . nisi Acceptum carmen, dis gratum
malis intellegere . Omentum in flamma pin-
gue liquefaciens] Positis in ignem uiscerib. uicti-
marum .

*marum . In Liquefacio, E, produxit, ut & saepe
 ,, Lucret. ut in. IIII. Ac rarefactum detracto sangui
 ,, ne uenis. Et in. III. Expergesfactiq. sequuntur ina-
 ,, nia saepe. Et Ouid. in. VII. Metam. Tura lique-
 ,, faciunt.*

IN . GELLIVM

*NON ideo, Gelli, sperabam, te mihi fidum
 In misero hoc nostro perduto amore fore,
 Quod te cognossem bene, constanterq. putarem,
 Haud posse a turpi mentem inhibere probro:
 Sed neq. quod matrem, nec germanam esse uidebam
 Hanc tibi, cuius me magnus edebat amor.
 Et, quamuis tecum multo coniungerer usu,
 Non satis id caussae credideram esse tibi.
 Tu satis id ducti. tantum tibi gaudium in omni
 Culpa est, in quacumq. est aliquid sceleris.*

*In misero hoc nostro perduto amore fore] In ue-
 terib. omnib. haud paulo melius, In misero hoc no-
 stro, hoc perduto amore. Quod te cognos-
 sem bene] Ponam duos hos uersus, ut nonnullis in
 libris manuscriptis rectius, mea quidem sententia,
 leguntur. Quod te cognossem bene, constantem ue pu-
 tare, Aut posse a turpi mentem inhibere probro.
 Sed neq. quod matrem] Hic quoq. uersus in ex-
 emplo Guarini aptius legitur, Sed quod nec ma-
 trem, nec germanam esse uidebam.*

- cuius

2) - cuius me magnus edebat amor] Sic Verg. Est
 2) mollis flamma medullas - Interea. Atq. alibi.
 2) - & caeco carpitur igni. Et alibi, Hic quos durus
 2) amor crudeli tabe peredit. Edax amor etiã ab A-
 2) pollonio in. III. Argonaut. dicitur, Μάργος ἔρως. &
 2) ut citat eius interpres, ab Anacreonte, Τακερός δ' ἔ-
 2) ρως. Idē significans Sophocles de Venere, Εντὴ κεταί
 2) γὰρ πλάμῳνων ὅσοις ἐνι ψυχῇ, τίς ἔτι τῆς δὲ τῆς θεοῦ
 2) βορός. Magnus amor, δεινός. Sic Plato. Οψίς γὰρ ἡ-
 2) μῖν ὄξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰδήσεων,
 2) ἢ φρόνησις ὄυχοράται. δεινὲς γὰρ ἂν παρείχεν ἔρω-
 2) τας, εἴτι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἶδωλον παρείχετο
 2) εἰς ὄψιν ἰόν. Tu satis id duxti] Ita prorsus
 legendum uidetur. tametsi est in omnib. fere manu
 scriptis, Induxti. - tantum tibi gaudium
 in omni Culpa est, in quacumq. est aliquid
 sceleris] Eadem prope sententia apud Cic. in. XI.
 2) Philip. Deinde ea libidinum turpitude, ut in hoc sit
 2) semper laetatus, quod ea faceret, quae sibi obici ne
 2) ab inimico quidem possent uerecundo. Et pro Milo
 2) ne, Ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam
 2) fas esset, aut per leges liceret.

IN. LESBIAM

LESBIA mi dicit semper male, nec tacet unquam
 De me. dispeream, me nisi Lesbia amat.
 Cui ego quasi eadem totidem mox deprecor illi
 Adsidue. uerum dispeream, nisi amo.

BB - dispeream

- dispeream, me nisi Lesbia amat] *In manu-*
scriptis, Lesbia me dispeream nisi amat.

Cui ego quasi eadem totidem] *Incidi in vete-*
res libros. A. Gelli. in. VI. uero eius libro, ubi hic Ca-
» *tulli uersus legitur, sic erat scriptum, Quo signo qua-*
» *si totidem mox deprecor illi. itaq. coniecturam fe-*
ci legendum, Quo signo, quasi enim totidem mox de-
precor illi. Fuerat, opinor, sic scriptum. Quo signo,
quasi. n. totidem. Simili errore factum, In, quoq. opi-
» *nor in Proemio, quo Hieronymus, Eusebij. Chroni-*
» *con interpretis, utitur, in illis eius uerbis, Nec igno-*
» *ro, multos fore, qui, solita libidine detrahendi omni-*
» *bus, quod uitari non potest, nisi qui omnino nil scri-*
» *bit, huic uolumini genuinum dentem infigant. ca-*
» *lumniabuntur in tempora, conuertent ordinem, res*
» *arguent, syllabas uentilabunt. & quae sequuntur.*
Quibus in uerbis In mutandū omnino in Enim, fue-
rat enim scriptum. n. Deprecari autem sic di-
» *xit, ut & Ennius in Erechtheo, Quibus seruitutem*
» *mea miseria deprecor. Et Cresphonte, Ego, cum*
» *meae uitae parcam, letum inimico deprecor.*

IN. CAESAREM

NIL *nimum studeo Caesar tibi uelle placere.*
Nec scire, utrum sis albus, an ater homo.

Nec scire, utrum sis albus, an ater homo] *Idē, opi-*
» *nor, Plautus significans in Pseudolo, Quem ego ho-*
» *minem*

20 ~~minens~~ nulli coloris noui. Eiusdem quoq. sententiae
 21 est ironia Ciceronis in. XIII. Philipp. Magnum
 22 crimen senatus. de Theopompo summo homine ne-
 23 gleximus. qui ubi terrarum sit, quid agat, uiuat de-
 24 nique, an mortuus sit, quis aut scit, aut curat.

Quintilianus in. x. dissimulato Catulli nomine, ne
 Caesarem suū uidelicet offenderet, huius loci memi-
 25 nit. Negat, inquit, se magnifacere aliquis poetarū,
 26 utrum Caesar ater, an albus homo sit; insania. Ver-
 27 te, ut idem Caesar de illo dixerit: arrogancia est.

Sunt, qui desiderari ceteros uersus putent huius
 epigrammatis.

IN. MENTVLAM

MENTVLA moechatur, moechatur Mentula certe.
 Hoc est, quod dicunt, ipsa olera olla legit.

Mentula moechatur] Locus uideri posset ex pa-
 ronomasia, si similia essent initia uerborū, Men-
 tulam moechari, ut Ollam olera legere. Festus Pom-
 28 peius in uerbo Legere, Legimus aut scriptum, aut
 29 olera. Cum Mentulam igitur ipsum adulterij insi-
 mularet, sic Mentulam moechari dicit, ut, Olera
 ollam legere, Prouerbio dicitur. Sententia uero e-
 iusmodi est, ut, cum Mētulam hunc, siue quis alius,
 adulter esset insignis, cū Catullus aut se ipse sic ex-
 cusare fingatur, se non moechari, sed mentulam
 ipsam, in suamq. mentulam sic culpam conferat, ut

uulgo dici etiam solet, non olera aliquem furatum,
 sed ollam ipsam. at eius furtum fuisse constat, cuius
 etiam sit olla, ut adulterum etiam esse eum du-
 bitandum non sit, cuius illae sint obscenae partes.
 Legere autem, Furari est. quo uerbo Horat. ceteriq.
 sic sunt usi. Hinc Sacrilegium. De furto olerum, in
 obscenis lusibus. Fur ab eas poenam, licet indigne-
 re, feramq. Propter olus dices, hoc ego propter olus.
 Quod expressum uidetur ex illo, Ἀλλ' ὡς ἐν τέταρται,
 φῶρ' ἐμβλεπε, τοῦτο δ' ἐρωτᾷς τῶν ὀλίγων λαχάνων εἰ-
 νεκα τῶν λαχάνων.

IN. SMYRNAM. CINNAE

SMYRNA mei Cinnae nonam post deniq. messem,
 Quam coepta est, nonamq. edita post hiemem:
 Millia cum interea quingenta Hortensius uno

*

Smyrna cauas Atracis penitus mittetur ad un-
 Smyrna incana diu saecula peruoluit. (das:
 At Volusi annales *
 Et laxas scombris saepe dabunt tunicas.

Smyrna mei Cinnae] Commentario Smyrnae
 edito, L. Crassitium Tarentinum inclaruisse scri-
 bit Tranquillus, aut quisquis alius auctor est libel-
 li de inlustrib. Grammaticis. Et Smyrnam Cin-
 nae puto intellegit. Carisius in. I. Huius tabis, Cin-
 nam in Smyrna, nullo auctore, dixisse, tradit.
 - nonam

- nonam post deniq. messem, Quam coepta est, nonamq. edita post hiemem] *Vergil. eodem modo aestiuum tempus significans, Messem dixit: hibernum autem, Frigoris nomine. Ante focum si frigus erit, si messis in umbra. Millia cum interea*] *Ἀνακτόλου δὸν mihi uidetur. itaq. aut aliquid ante hunc uersum desit, aut hic suo loco positus non est. quod mihi eo probabilius uidetur, quod Volusi annales breui tempore perituros esse significet, nisi quis & Hortensium & Volusium simul esse reprehensos contendat. Suspiciabar tamen sic legendos hos uersus, Smyrna mei Cinnae, nonam post deniq. messem, Quam coepta est, nonamq. edita post hiemem. Smyrna cauas Atracis penitus mittetur ad undas, Smyrna incana diu saecula peruoluet. At Volusi annales - Et laxas scombris saepe dabunt tunicas. Smyrna cauas Atracis] Aut Atracis, aut Atacis legendum uidetur. Utriusq. enim meminerunt auctores optimi. Propert. in. 1. Et dicam, Atracis licet haec considat in oris. Et Tibullus, Cum tremere fortis milite uictus Atax. Cauam undam dixit etiam Ouidius in Ibin, Qua caua de Stygijs fluxerat unda uadis. Et Verg. in. 1. Georg. Caua flumina. Implentur fossae, & caua flumina crescunt. Et idem alibi Catullus, Cauam paludem dixit. Smyrna incana diu saecula peruoluit] Sic est in plerisq. manuscriptis. Si, Peruoluet, feceris, uersum reddideris haud paullo meliorem. Cana saecula & Martialis di-*

,, xit, in. VIII. Nec pateris Caesar saecula cana mo
 ,, ri. Ac, si Martialis Catullū in eo est imitatus, quod
 mihi quidem uerisimile fit, dubium non est, quin Ca
 tullus uersus, ut in quibusdam manuscriptis est, ita
 legendus sit, Smyrnā cana diu saecula peruol
 uent. etenim quod ante, M, fuit, mutatum est in In,
 praepositionem. uerbo autem Peruoluet apex detra
 ctus, qui N. ualet. At Volusi annales] reli
 quus huius uersus deest. nisi, Paduam, in manu
 scriptis libris male legitur, ac pro eo fuit aliud in
 optimis libris, quod cum scribae librarij foedissime
 corruperint, cuiusmodi fuerit, coniectura adsequi
 non possumus. Et laxas scombris] Hac
 mali poetae poena adficiuntur. de qua saepe Mar
 tialis, alyq. auctores.

*

Parua mei mihi sunt cordi monumenta sodalis.
 At populus tumido gaudeat Antimacho.

Parua mei mihi sunt cordi monumenta] In li
 bris manuscriptis, & Sunt, & Sint. ab omnib. au
 tem quos uiderim, abest uerbum ultimum. Quin ue
 ro hoc aliud sit epigramma, aut pars potius epigrā
 matis, ne dubitandum quidem uidetur.

At populus tumido gaudeat Antimacho] Acron, uetus Horati interpres, illis Horati uerbis,
 Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim Fortunā
 Priami cantabo, & nobile bellum. Aut nomen pro
 prium, inquit, Cyclicus, & significat Antimachum
 poetam.

poetam . mali uero poetae imperitae multitudinis
 aurib. esse solent fere iucundiores. Euripid. in Hip
 polyto Coron. Εχει δὲ μοῖραν, καὶ τόδ' οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς
 φαῦλοι, παρ' ὀχλῶ μουσικώτεροι λέγειν .

AD. CALVVM. DE. QVINCTILIA

SI quidquam mutis gratum, acceptumq. sepulchris
 Accidere a nostro Calue dolore potest,
 Quom desiderio ueteres renouamus amores,
 Atq. olim missas flemus amicitias,
 Certe non tanto mors inmatura dolori est
 Quinctiliae, quantum gaudet amore tuo.

Si quidquam mutis gratum, acceptumq. se-
 pulchris Accidere a nostro Calue dolore po-
 test] Eodem modo Cicero in. I. Epist. ad. Q. fratrem.
 Sed certe a te mihi omnia semper honesta, & iucun-
 da ceciderunt. In eandem sententiam Isocrates in Eua-
 gora, ἡ γησαμην Ευαγόραν, εἴ τις ἐστὶν αἰδοῦσι τοῖς
 τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων, ἀμενῶς
 μὲν ἀποδέχεσθαι καὶ ταῦτα, καὶ χαίρειν ὁρῶντα τὴν
 περὶ αὐτοῦ ἐπιμέλειαν, καὶ τὴν σὴν μεγαλοσφρέπειαν.
 Et Sophocles in Electra, ὡς ἐτῶ τεθνεότι τιμὰς
 προσάπειν, εἴ τις ἐτ' ἐκεῖ χάρις. Itaq. veteres, an ui-
 ta functis eorum, quae hic agerentur, sensus esset, ue-
 hementer dubitarunt. eaq. de re disputat Aristote-
 les in. I. ἡθικῶν Νικομαχείων. Atq. olim
 missas flemus amicitias] In manuscriptis ali-

„ quot, *Amiffas*. Sic *Verg. in. III. Georg.* - *Tū quos*
 „ *amiffit inultus amores.*

IN. AEMILIVM

NON ita me di ament, quidquam referre putavi,
 Vtrum os, an culum olfacerem *Aemilio*.
 Nil immundus hoc, nihil est immundius illo:
 Verum etiam culus mundior, & melior.
 Nam sine dentib. est, hoc dentes sesquipedales,
 Gingivas uero *Ploxemi* habet ueteris.
 Praeterea rictum, qualem defessus in aestu
 Meientis mulae cunnus habere solet.
 Hic futuit multas, & se facit esse uenustum,
 Et non pistrino traditur, atq. asino,
 Quem si qua attingit, non illam posse putemus
 Aegroti culum lingere carnificis.

Non, ita me di ament] I. longum in extremo, in-
 cipiente etiam dictione, quae a uocali quacumq. in-
 ciperet, fere non elidebant, idq. nunc corripuere,
 nunc uero etiam produxere. Obseruatum hoc mul-
 tis in locis apud *Vergilium*. Vtrū os an cu-
 lum] Sic omnes libri manuscripti. *Guarinus* legit,
 Vtrum ne os. Nil immundius hoc, nihil
 est immundius illo] Dupliciter hic versus in li-
 bris manuscriptis legebatur. primū sic. Nihilo mū-
 dius hoc nobisq. immundius illud. Deinde etiam
 sic, Mundius haec nihil est, nobisq. immundius il-
 lud.

lud. quod rectius iudico, si Haec tantum in Hoc mu-
tetur. Nobis, inquit, nihilo mundius est hoc, id est
ipsum os Aemili, quā illud, quod immundius habe-
ri solet, Culus nimirum ipse. Prior etiam lectio stare
possit, si, *Que*, tantum mutaris in, *Quam*. nam Ni-
hilo contracte non minus legi potest, quam Nihil,
quod factum a veterib. poetis nonnumquam inue-
nio.

Nam sine dentib. est, hoc dentes]
In libris manuscriptis, Hic dentes. quod est ipsum
probabilius. - Ploxemi] Quid hoc uerbi sit,
declarant Quintilianus, & Fest. Pomp.

Praeterea rictum, qualem defessus in aestu
Meientis malae cunnus habere solet] *Legen-*
dum forte sit Diffissus, pro Defessus.

- atq. asino] *Ovovs, opinor, uocat Xenophon etiam*
molas, quib. frumenta teruntur. Aegroti
culum lingere carnificis] *Cur aegroti. itaq. ue-*
bementer suspicor nomen proprium fuisse, atq. scri-
ptum, Agroti, aut, Argoti, aut quouis alio modo nō
dissimili. corruptum deinde in, Aegroti.

IN . V I C T I V M

IN te, si in quemquam, dici pote, putide Victi,
Id, quod uerbosis dicitur, & fatuis.
Ista cum lingua, si usus ueniat tibi, possis
Culos, & crepidas lingere Carbatinas.
Si nos omnino uis omnes perdere, Victi,
Dicas. omnino, quod cupis, efficies.

In

In te, si in quemquam, dici pote, putide Vi-
 Et] In manuscriptis etiam libris Vecti. quod si pro-
 babilius iudicamus, legendum omnino Vetti. Vet-
 tium enim & Vettiam scribebant. Namq. ut cete-
 ra uetustatis monumenta praeteream, in hortis Ro-
 dolfi Pij Cardinalis Carpensis uetustum marmor
 huiusmodi litteris incisum legitur.

A. BAEBIVS. A. F. OVP

VETTIA. A. F. VXOR

Culos, & crepidas lingere Carbatinas] Ego ue-
 ro in Politiani sententiam lubens eo, praesertim cū
 grauissimis veterum auctorum testimonijs, ijsq. fir-
 mamentis nitatur, quibus isti, qui reprehendunt, ni-
 hil afferunt aut grauius, aut melius, praeter inanif-
 simas rationes. Obscenitatem eiusmodi Euno cui-
 dam obiciens Ausonius, sic scribit, Eune quod uxo-
 ris gaudae patria inguina lambis, Festinas glos-
 sas non natis tradere natis. Atq. alibi, Inguina
 quod calido leuas tibi dropace, Caussa est, Inritant
 uolsas leuia membra lupas. Sed quod & elixo plan-
 taria podice uellis, Et teris inclusas pumice clazo-
 menas, Caussa latet, bimarem nisi quod patientia
 morbum Adpetit, & tergo femina, pube uires.
 Dicas] Aut loquere, aut caussas age.

A D . I V V E N T I V M

SURRIPVI tibi, dum ludis, mellite Iuuenti,
 Suauiolum, dulci dulcius ambrosia.
 Verum id non impune tuli: namq. amplius horam
 Suffixum in summa me memini esse cruce,
 Dum tibi me purgo, nec possum fletib. ullis
 Tantillum uestrae demere saeuitiae.
 Nam simul id factum est, multis diluta labella
 Absterse guttis omnib. articulis:
 Ne quidquam nostro contractum ex ore maneret,
 Tamquam commixtae spurca salina lupae.
 Praeterea infesto miserum me tradere amori
 Non cessasti, omniq. excruciare modo:
 Ut mi ex ambrosia mutatum, iam foret illud
 Suauiolum tristi tristius helleboro.
 Quam quoniam poenam misero proponis amori,
 Numquam iam posthac basia surripiam.

Suauiolum, [dulci dulcius ambrosia] Horat.
 in. I. ode. XIII. Speres perpetuum dulcia barba
 re laedentem Oscula, quae Venus Quinta parte
 sui nectaris imbuit. - namq. amplius ho-
 ram] Amplius cum accusandi casu, ut Cic. opti-
 miq. alij Latinitatis auctores. Suffixum in
 summa me memini esse cruce] Quo modo in cru-
 ce suffigi, atq. suspendi solerent, quos eo supplicio ad-
 ficerent, Manilius in. V. Astro. declarat. At si-
 mul

„ mul infesti uentum est ad litora Ponti, Mollia per
 „ duras panduntur bracchia cautes. Astrinxere pe
 „ des scopulis, iniecta q. uincla, Et cruce uirginea mo
 „ ritura puella pependit. Tantillum uestrae
 demere saeuitiae] Vestrae, de uno. ut & Ouid.
 „ in. 1. Fast. Pax erat, & uestri Germanice caussa
 „ triumpho Tradiderat domitas iam tibi Rhenus
 „ aquas. Et Verg. Crimen amor uestrum. - ab
 sterfi guttis] In veterib. libris, Guttis absterfi. fa
 ciendumq. Absterfisti. quod est aptius. Tam
 quã commixtae spurca saliuã lupae] In libris
 quibusdam, Comminctae. in alijs, Cõiunctae. ex quo
 factum opinor, Comminctae. itaq. legendum forte,
 Coniunctae. Lupã uero meretricem intellegit. Pla
 „ ciades in Glossis. Lupã, meretricem, a rapacitate,
 „ uel a libidine huius animalis, unde & Lupanar di
 „ citur. Cic. pro Milone, Illo, qui semper secũ scorta,
 „ sēper exoletas, semper lupas ducebat. Sic Martial.
 „ in. 1. Abscõdunt spurcas haec monumenta lupas.
 Sunt, qui Commixtam retineant, & Lupam com
 mixtam sic a Catullo dictam existiment, ut a Plau
 to etiam in Mostellaria Capra commixta dicitur,
 i. foeda. Sed hoc illi uiderint. Inamabile suauium
 „ significans, Statius comicus argute dixit, Sed tua
 „ morosa ne uxor quaeso est. quam rogas. Qui tan
 „ dem, taedet mentionis, quae mihi Vbi domum ad
 „ ueni ac sedi, extemplo sauium Dat ieiuna anima.
 „ nil peccat de sauiio, ut deuomas uult, quod foris pu
 taueris. Ut mi ex ambrosia] In manuscri

ptis, Ambrosio. *Vi Osculum sic Ambrosium dicitur, ut etiam Vergilio Comae dicuntur ambrosiae.*

-tristi tristius helleboro] Amarius. Sic Verg.

Media fert tristes succos. Et alibi, *Tristesq. lu-*

pini. *Amarius autem elleboro, Prouerbio dicitur,*

ut in illo, ἀδὺ τὸ βινεῖν ἐστὶ, τίς ἔ λέγει; ἀλλ' ὄ-

ταν αὐτῆ χαλκὸν, πικρότερον γίνεται ἐλλεβόρου.

DE . COELIO . ET . QVINCTIO

COELIUS *Aufilenum, & Quinctius Aufilenam,*

Flos Veronensum depereunt iuuenum,

Hic fratrem, ille sororem. hoc est, quod dicitur, illud

Fraternum uere dulce sodalitium.

Cui faueam potius. Coeli tibi. nam tua nobis

Perſpecta exigitur unica amicitia,

Cum uesana meas terreret flama medullas,

Sis felix Coeli, sis in amore potens.

Coelius Aufilenum] Et Coelium per, Oe, et per Ae

diphthongos legimus in vetustissimis monumentis,

ijs scilicet, quae Romae sunt in amaenissimis Card.

Carpensis hortis, & in ea basi, quae hodieq. in Vr-

be ad Arcū Septimio dicatum cum Centuriar. ex

stat nominib. & diuersas quidam esse uolunt fami-

lias. Ego uero dubito Aufidena ne, pro Aufile-

na, legendum sit. Romae enim apud Episcopum

Ferratinum monumentum exstat eiusmodi.

IVNONI
 IVLIAE
 AVFIDENAE
 CAPITOLINAE
 SACRVM

*Nam, de antepenult. eius uerbi quid statuam.
 non habeo. Flos Veronensium deper-*
eunt iuuenum] Flos, ἄωτος, uerbum Pindaro
» frequentatum in hoc genere, et Theocrito, Τῆμος ναυ
» τιλίης μῆμνάσκε θεῖος ἄωτος ἠρώων. Iuuenal. Sat. v.
» Flos, Asiae ante ipsū pretio maiore paratus. In Ve-
» ronensium uero Synizesis eadem, quae in uerbo O-
» mnia apud Vergil. in VI. - Quin protinus omnia
» Perlegerent oculis. itaq. est in illo optimo uetustissi-
» moq. libro, quo Romae magno Card. Carpenfis
» beneficio sum usus. Iam, quia & Nicolaus Ery-
» thraeus, & Pierius Valerianus accurate de eo,
» atq. erudite multa tradiderunt, addam ad illa uer-
» sus Lucretij, qui colligentes illos alia fugerunt e.
» v. libro, Sed sic quodq. suo ritu procedit, ut omnia
» Foedere naturae certo - Et, Ignis enim superauit,
» & ambiens multa perussit. Et Ouidij illud, Ca-
» tullini huius simillimum, e. v. Fast. Cum tua sint,
» cedantq. tibi confinia mensium. Fraternalum
» uere dulce sodalitium] Simillimum illud Ho-
» rat. - hac in re scilicet una Multum dissimiles, ad
» cetera paene gemelli. Nisi sic turpitudinem atq.
» absce-

obscenitatem τῆς ἐταυρώσεως significare uoluit. Sed illud rectius, quod & Corbinello uidebatur ob similem, aut eandem potius Menandri sententiam,
 ὡς ἡ δ' ὕψ' ἐν ἀδελφοῖς ὁμοιοῦσ' ἔργω.

Perspecta exigitur unica amicitia] In manuscriptis etiam, Perfecta est igitur. in alijs, Perfecta, atq. exigitur, utrumq. mihi tralatum uideatur ab operibus, quae ad regulam fiunt, ac libellam. itaq. amicitiam perfectam illius, ac sanctam significat. Plin. in XXXVI. cap. XXV, uerbo Exigere de pauimentis sic utitur. Deinde spissa calcatis carbonib. inducitur sabulo calce ac fauilla mixtis. materia crassitudine semipedali ad regulam, & libellam exigitur. Indidem translatum uideri possit & Ouidianum illud in. III. Fast. Non habet exactum, quod agat.

INFERIAE . AD . FRATRIS

T V M V L V M

MULTAS per gentes, & multa per aequora uectus,
 Aduenio has miseras frater ad inferias,
 Ut te postremo donarem munere mortis,
 Et mutum nequiquam adloquerer cinerem:
 Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum.
 Heu miser indigne frater adempte mihi.
 Nunc tamen interea, prisco quae more parentum
 Tradita sunt tristes munera ad exsequias,
 Accipe, fraterno multum manantia fletu,
 Atq. in perpetuum frater haue, atq. uale.
 Ad uenio

Aduenio] Legendum pato, Adueni . concin-
 nius enim est, Adueni, ut donarem, quam, Ad-
 uenio, ut donarem . Vt te postremo dona-
 rem munere mortis] Et Vergil. *suprema haec*
 » uocat munera in. XI. *Ite, ait, egregias animas,*
 » *quae sanguine uobis Hanc patriam peperere suo,*
 » *decorate supremis Muneribus -*, Et Ouid. in.
 » III. *Eleg. Hic certe manib. fugientis pressit ocel-*
 » *los Mater, & in cineres ultima dona dedit. In*
 » *Hispania Citeriore monumentum eiusmodi exstat.*

C. IUL. FABIAN

ANN. XIX.

FABIA . PAULA

AMITA

MVNVS

SVPREMVV

Ambrosius eodem uno verbo Suprema uocat. Mi-
 » *nus autem hoc etiam Graeci dicunt. Hom. Τοῦ-*
 » *τονυ καὶ γέρας οἶον οἰζυροῖσι βροτοῖσι Κεῖράδαι τεκό-*
 » *μην, βαλέειν δ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν. Atq. alibi, Πα-*
 » *τροκλον κλαίωμεν. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ δανόντων. Verg.*
 » *Et fungar inani Munere. Et mutum ne-*
 » *quiquam adloquerer cinerem] Huiusmodi*
 » *adlocutiones προσφθέγματα dici ab Euripide, Cor-*
 » *binellus obseruauit, apud quem est in Troad.*
 » *Πρὸς Ἰάφρον δ' ὀμπλίκων κόμους ἀπάξω φίλα διδούς*
 » *προσφθέγματα. In Achillis Maffei libro, alteroq.*
 » *Patanino,*

Patauino, Mutam. Vtrumq. per veterum licet au-
 2) ditoritatem. Tibullus, Et mea cum muto fata que-
 2) rar cinere. Auson. eodem modo, Non nomen, non
 2) quo genitus, non unde, quid egi, Mutus in aeternum
 2) sum cinis, ossa, nihil. Similiter Propert. in. II. Ta-
 2) liaq. illacrimans mutae iace uerba fauillae. Hoc e
 2) genere est, quod est apud Vergil. in. v. Vinaq. fundebat
 2) pateris, animamq. uocabat Anchisae magni, ma-
 2) nesq. Acheronte remissos.

Quandoquidem
 fortuna mihi tete abstulit ipsum] In scriptis
 libris omnibus, Te abstulit, quod stare etiam po-
 test. Heu miser indigne frater adempte
 mihi] sunt, qui legant, Misero, non suffragantib. li-
 bris. More igitur Graecorum rem eandem ἐπιθέ-
 τοις cumulat. Ouid. in. IIII. Fast. in eandem senten-
 2) tiā, Osculaq. adplicuit posito suprema feretro, Atq.
 2) ait, Inuito frater adempte mihi. Ademptum uero
 2) uita defunctum intelligunt optimi poetae, Ouid.
 2) Iure igitur lacrimas celso libamus adempto.

Tradita sunt tristes munera ad exsequias] In
 scriptis est, Tristi. itaq. legendum, Tristis.
 - frater haue, atq. uale] salutandi sitos, etiā Grae-
 2) cis mos erat. Theocritus in Epigram. Χαίρω ἔτος
 2) ὁ τύμβος ἐρεῖ. ἐπεὶ δὲρυμέδοντος κείταε τῆς ἱερῆς κοῦφος
 2) ὑπὲρ κεφαλῆς. Hauiere autem, et ualere eos fere iube-
 bant, quos amplius uisuri non erant. Hoc, opinor, &
 Plautus significans in Curg. Ego, inquit, abeo. uale,
 2) atq. salue. Et Verg. Salue aeternū mihi maxime Pal-
 2) la, Aeternūq. uale. sic in ueteri quoq. monumento,

Romae, in aedibus Ioannis Zabreræ Saouonensis.

D . M
V I R I A E
P R I M I T I V A E
V I X . A N N . X V I I I
M E N S . I . D I E . X X I V
L . V I R I V S . H E L I V S
C O N I V G I . D V L C I S
H A V E . D O M I N A . V A L E . D O M I N A

A D . C O R N E L I V M

*Si quicquam tacite commissum est fido ab amico,
Cuius sit penitus nota si des animi,
Me unum esse inuenies illorum iure sacratum,
Corneli: & factum me esse puta Harpocratem.*

Si quicquam tacite commissum est fido ab amico] in omnib. manuscriptis, Tacito. utrumq. uero mihi non probatur. Tacitum enim latine, non qui tacet, sed quod tacetur ipsum, dicimus. Tum durū etiam illud uidebatur, subintellegere, Ei, cuius sit penitus, Et quae sequuntur. Itaq. legendum putabam, Si quoiquam tacitum commissum est. & cetera. Tacitum autem dicit id, quod Ἀπόρρητον Graeci. Sin datiuum Ei, uelis omnino legi, legi possit, Si quidquam taciti. Sunt qui Tacito, pro Tacite dictum uelint, ut Certo, pro Certe. quod non placet. Tacita uero τὰ ἀπόρρητα sic dicta, ut ab Horatio, Tacenda. Dicenda tacenda

*raecenda locutus. Me unum esse inuenies il-
lorum iure sacratū] Est in manuscriptis , Meq.
esse inuenies. Et, Atq. esse inuenies. conabar igitur i-
ta restituere, Me, quem ipse adiures. uel, Aut quem
ipse adiures. uel, Me quem ipse inuenias. Illo cum iu-
re sacratum, Corneli. & quae sequuntur. Neq. uero
impedio, quo minus etiam, qui uolet, priorem illam
lectionem sequatur, et sententiam. Sic se sanctum ho-
minem, ac fidei plenum significat. probabiliorem le-
ctionem facit, quod, Ius, idest Religionem interponit,
et Sacratum dicit. Sic enim Iusiurandum dicitur et
apud Cic. in. II. de legib. Poena uiolati iuris esto.*

AD . SILONEM

*Aut sodes mihi redde decem sestertia, Silo,
Deinde esto quamuis saeuus, & indomitus :
Aut, si te nummi delectant, desine quaeso
Leno esse, atq. idem saeuus, & indomitus.]*

*Aut sodes mihi redde decē sestertia, Silo] Vno in
libro, non Decem, sed Tuo. Faernus. Duo, facie-
bat. Aut, si te nummi delectant] In Pa-
tauino, At, si te nummi. In nonnullis etiam libris,
pro, Nummi, Nimum. Interminari, ac ferocire le-
no, ut eiusmodi homines solent, ne pecuniam redde-
ret. cuius se minis minime terreri Catullus signifi-
cans, Nihil, inquit, moueor tua ista ferocia, reddas
modo decem, quae debes, sestertia.]*

AD. QVENDAM. DE. LESBIA

CREDIS, me potuisse meae male dicere uitae,
 Ambob. mihi quae carior est oculis.
 Non potui, nec, si possem, tam perditae amarem.
 Sed tu cum caupone omnia monstra facis.

Sed tu cum caupone omnia monstra facis] In ma-
 nuscriptis, Cum tappone, itaq. est in Maffei libro.
 Cum tapone, ut in Zanchi exemplo. In tripone, ut e-
 rat in Patavino. itaq. legendum suspicabar, Sed tu
 cum turpi ore omnia monstra facis: idest, turpissi-
 ma quaeq. atq. incredibilia confingis, & loqueris i-
 sto impolluto ore. Translatum autem uidetur ab
 Haruspicina, atq. augurijs. Sic enim apud Diome-
 dem grammat. L. Cassius Hemina in. II. Monstrū
 fit, sus parit porcos. xxx. Plautus in Mostell. Quae
 hic monstra fiunt. Et Terent. idem significans, ali-
 quid monstri alere, sic dixit, Cic. ad Att. Venerat ho-
 ris duabus ante Cberippus. mera monstra nuntia-
 rat.

IN. MENTVIAM

MENTVIA conatur Pimplaeum scandere montem:
 Musae furcillis praecipitem eiciunt.

Mentula conatur] Ineptum hominem, ac peni dedi-
 tum, uersus etiam facere temptantem, inridet. Pim-
 plaeum

placem montem, sic, ut est Sororum montem, Propert. in. III. Sed, quod pace legas opus hoc de monte sororum. nisi quid significatur, quale illud Laberij apud Nonium Marcellum in uerbo, Eugium. Quare tam arduum ascendas. an concupisti Eugium scandere.

D E . P U E R O . E T . P R A E C O N E

CUM puero bello praconem qui uidet esse,
Quid credat, nisi se uendere discupere.

Cum puero bello] In manuscriptis omnibus, Obelid. Si nomen forte id pueri fuit. locus a uenditione puerorum petitus. pueros enim mangones uendere erant soliti. Martial. in. I. Millia pro puero centum me mango poposcit. Aut praeco igitur puerum, aut se puer ipse uendere discupicbat, sed ad tempus. In Maffaei libro erat. Praeconem qui uidet ipse. Eiusmodi credo puerum Cato intelligit apud Gellium, Sed nisi qui palam, inquit, corpore pecuniam quaereret, aut se lenoni locauisset. & quae sequuntur.

A D . L E S B I A M

SI quidquam cupido, optantiq, obtigit unquam
In speranti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum, nobis quoq, carius auro
Quod te restituis Lesbiam cupido,
CC 3 Restituis

Restituis cupido, atq. insperanti ipsa refers te:

O mihi cara magis candidiore nota.

Quis me uno uiuit felicior, aut magis hac est

Optandus uita, dicere quis poterit.

Si quidquam cupido, optantiq. obtigit umquā]

In manuscriptis. Si quidquid. in Patauino, pro Obtigit, Obtulit. legendū forte, Si quis quid cupido, optantiq. obtulit umquam. Insperanti, hoc est

gratum animo proprie] Arist. in. II. Rhetor.

» ὡς περ καὶ τέρπει τὸ πολὺ παρὰ δόξαν. ita uero dispen-
go, ut insperanti animo gratum id esse proprie intel-
legatur. Quare hoc est gratū, nobis quoq.

carius auro] Durius, quam Catullinae conueniat

elegantiae, Nobis quoque. legendum forte, Nobisq.

hoc carius auro. tametsi ἐνικῶς ante dixerit, Cupi-

do, optantiq. Sic uero Auro carius, quasi prouerbio,

dicebant, quod sibi gratissimum, carissimumq. esse si-

gnificabant. Tibullus in. I. Carior est auro iuuenis,

cui lenia fulgent ora, nec amplexus aspera barba te-

» rit. O mihi cara magis candidiore nota]

» In manuscriptis, Nobis o luce. Et, Nobis o lucem.

Mihi quidem suspicari in mentē uenerat, deesse uer-

sus, qui sequerentur. Martialis imitatus in. IIII.

» Hāc lucem lactea gemma notet. Quis me uno

uiuit felicior, aut magis hac est optandus ui-

ta, dicere quis poterit] In manuscriptis omni-

bis, Aut magis me est, siue, Mage me est. Ego uero

scriptum fuisse suspicor, Aut magis mi esse optandū

in uita, dicere quid poterit. est enim planior, & concinnior sententia, nec longe a uestigijs ueteris, quaecumq. fuit, lectionis discedit. Plautus autem in Capt.
 ,, in eandem sententiam, Quoi hominum adaeq. ne-
 ,, mo uiuit fortunatior. Ut contra in Amphitr. Quis
 ,, nam me Thebis alter uiuit miserior.

I N . C O M I N I V M

SI, Comini, arbitror populi tua cana senectus
 Spurcata impuris morib. intereat,
 Non equidem dubito, quin primum inimica bonorū
 Lingua exsecta auido sit data uulturio,
 Effossos oculos uoret atro gutture coruus,
 Inestina canes, cetera membra lupi.

Siconi arbitrio] In manuscriptis, Sic homini populari
 arbitrio. in alijs, Sic horum. Emendauit Hierony-
 mus Auantius, Si Comini arbitrio populi. incertum,
 ,, an uetus exemplar secutus. Sed causam, cur suo loco
 ,, uerba moueantur, non uideo. Legendum igitur, Si
 Comini populi arbitrio. - quin primum ini-
 mica bonorū] Loci similes sunt. apud Horat. in. v.
 ,, Carm. ode. v. Post insepulta membra different lupi,
 ,, Et esquilinae alites. Et apud Ouidium in Ibin, Siue
 ,, per immensas iactabar naufragus undas, Nostraq.
 ,, longinquus uiscera piscis edet. Siue peregrinae car-
 ,, pent mea membra uolucres, Siue meo tingent sangui-
 ,, ne rostra lupi. Ac post, Ipsae te fugient, quae carpunt
 ,, omnia flammae, Respuet inuisum iusta cadaver hu-

» *mus. Unguib. & rostro tardus trahet ilia uultur, Et*
 » *scindent auidi perfida corda canes. Lingua*
exsecta] In manuscriptis omnibus, Exserta.
Effossos oculos uoret atro gutture coruus] In
Patauino, pro Guttire, Gurgite legebatur.

AD . LESBIAM

IUCVNDVM, mea uita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuumq. fore.
Dy magni, facite, ut uere promittere possit,
Atq. id sincere dicat, & ex animo,
Vt liceat nobis tota producere uita
Aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.

Atq. id sincere dicat, & ex animo] Sic Terentius
 » *in Eunucho loquitur, Si istuc crederem sincere dici,*
 » *quiduis possem perpeti. Ex animo autem dicere, id*
 » *Graece est, ἀπὸ καρδίας. Sic uetus poeta ἢ μὴν ἐρεῖν*
 » *σοι τ' ἀπὸ καρδίας. σαφῶς, καὶ μὴ πίνδεις μὴδ' ἐν, ἀλλ'*
 » *ὅσον φρονῶ. Vt liceat nobis tota perducere*
uita Aeternum] In manuscriptis, Tota producere
uita Aeternum. &c.

AD . AVFILENAM

AVFILENA, bonae semper laudantur: amice
Accipiunt pretium, quae facere instituunt.
Tu quod promisti, mihi, quod mentita inimica es,
Quod

Quod nec das, & fers, saepe facis facinus.
 Aut face re ingenua est, aut non promisse pudicae,
 Aufilena, fuit. sed data corripere
 Fraudando, efficitur plusquam meretricis auarae,
 Quae sese toto corpore prostituit.

Tu quod promisti, mihi quod mentita inimica
 es] Quod promissisti, & quod mentita es. primum
 scelus. Quod nec das, & fers]. Alterum fla-
 gitium. In manuscriptis est, Nec das, nec fers. Gua-
 rinus illo modo legit, nec tamen, librum ne ueterem
 sit secutus, exprimit. Auctor carminis in Priapum
 uerbo Dandi sic utitur, Quaedam si placet hoc tibi
 Priape Ficosissima me puella ludit, Et nec dat mi-
 hi, nec negat daturam. Sic χαρίζεσθαι Graecis xu-
 πῖως τὸ σπουσιάζειν λέγεται, ut scribit interpres Pin-
 dari. - saepe facis facinus] sic Plautus in
 Mostel. loquitur. Habeo, Neptune. Non dici potest,
 quam indignum facinus fecisti, & malum. Et in Au-
 lul. Hei, Megadore, haud decorum facinus tuis fa-
 ctis facis. Et ante illum Ennius in Annali. VII. Ut
 faceret facinus, leuis haud malus idem. Plin. in.
 XXXIII. nat. histor. cap. III. alijsq. in locis, Scelus
 facere sic dixit. - data corripere] id est do-
 na. Sic opinor Ouid. de amore, Nullis flectitur ille
 datis. - efficitur] In manuscriptis legitur et,
 Efficit, & Effecit. itaq. legendum, Efficitur.

AD . AVFLENAM

AVFLENA, viro contentam uiuere solo,
 Nuptarum laus est laudib. eximijs.
 Sed cuius quamuis potius succumbere fas est,
 Quam matrem fratres efficere ex patruo.

Nuptarum laus est laudib. eximijs] Sic omnino est
 in ijs, quos uidi libris. Mihi legendū uidebatur, Nu-
 ptarum est laus e laudib. eximijs. Nuptas quoq. abso-
 lute dixit Horat. nihil addens in. 1. serm. Hic nup-
 tarum insanit amoribus. Egregiam laudem nescio
 an hanc significarit Ausonius in Epicedio in patrē,
 „ Matronale decus possedit filia, cuius Egregia et nu-
 „ ptae laus erat, & uiduae. Sed cuius quam-
 „ uis potius succumbere fas est] sic Horatius, eo-
 „ dem usus uerbo - Iuuet ut tigres succumbere cervis.

IN . NASONEM

MULTVS homo es, Naso, neque tecū multus homo, sed
 Descendit Naso, multus es & pathicus .

Multus homo es, Naso, nec tecum multus ho-
 mo] Multum: corpulentū intellegit, hūc autem pro-
 stratum ac libidinis alienae patientem. id enim di-
 cit, Descendere, non secum, sed ut H rat us loquitur,
 cinaedo geminatum, multū esse dicit. Quidam Mul-
 tam dicere uidetur longam, in. II. Elegiarum. apud
 „ eum sic est. Tu quia tam longa es, ueteres heroidas
 „ aequas,

aequas, Et potes in toto multa iacere toro. Nisi sic
intellegamus, eam quantumuis longam, esse tamen
aptam ueneri. uel, quod tanta sit, totum lectum corpo
re suo occupaturam.

A D . C I N N A M

CONSULE Pompeio primum duo Cinna sedebant
Moechilia, facto consule nunc iterum
Manserunt duo, sed creuerunt millia in unum
Singula. foecundum semen adulterio.

Consule Pompeio primum duo Cinna sedebant
Moechilia, facto consule nunc iterum] *Quam*
multorum ingenia locus hic exercuit. Quam parum
etiamnum inter eruditos homines conuenit. Ego ue-
ro, cum ueteris lectionis, quamuis corruptae, rationem
semper habendam existimo, tum conandum etiam
cuiq. ut ab illa, emendans, quam minime possit, lon-
ge discedat. itaq. cum in manuscriptis, quos uiderim,
omnibus, legatur, Moechilia, leuiter muto, distinguoq.
Moechi, illo facto consule nunc iterum. Et quae se-
quuntur. Sed isdem in libris erat, Solebant, non Se-
debant. Sedebant, duco rectius. estq. in obscenis uer-
bis Sedere. de quo iam dictum.

I N . M E N T V L A M

FIRMANO saltu non falso Mentula diues
Fertur, qui tot res in se habet egregias
Aucupia omne genus, piscis, prata, arua, feresque.
Necquicquam

*Necquicquam fructus sumptib. exsuperat.
Quare concedo sit diues, dum omnia desint,
Saltum laudemus, dum tamen ipse egeat.*

Firmano saltu non falso Mentula diues Fertur] *Guarinus legit, Firmani saltus. Aldus pridem impressit, quo modo posuimus. In scriptis libris est, Firmanus Saluus, et, Salius. Ego primum illud, Firmano saltu, retinendum censeo. ut Mentula Firmano saltu diues intellegatur. Cic. in. II. de Diuin. L. Tarutij Firmani meminit; cuius is forte saltus fuerat. L. quidem, inquit, Tarutius, familiaris noster, in primis Chaldaicis litteris eruditus. & que sequuntur. - qui tot res in se habet egregias] In manuscriptis, Qui quot res in se habet egregias. Verab admirante haec dici intellegas. Deinde enumeratio sequitur. Aucupia omne genus, piscis] In manuscriptis, Aucupia, distinctum ab, Omne genus piscis. sic. L. Pomponius ante eum, omne piscati genus. Piscis autem, pro, Pisces, more etiam antiquorum, dicit. Nec quidquam fructus] Nec enim quacustus potest consistere, ut ait Plautus, si eum sumptus superat. In manuscriptis, Ne quidquam fructus. illud probabilius. Saltum laudemus, dum tamen ipse egeat] In manuscriptis omnibus, Dum modo. & retinendum puto.*

IN . EVNDEM

MENTULA habet instar triginta iugera prati,
Quadragesimi

*Quadraginti arua, cetera sunt maria.
 Cur non diuitijs Croesum superare potis sit,
 Vno qui in saltu tot bona possideat.
 Prata, arua, ingentes siluas, saltusque, paludesque,
 Usq. ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.
 Omnia magna haec sunt. tamen ut sint maxima, &
 Nō homo, sed uere mērula magna nimis. (ultra,*

Mentula habet instar triginta iugera prati] *Est etiam in manuscriptis libris, Instar, & ferri possit. quae fuit & aliorum poetarum licentia, tamen, ab ea lectione non longe abiens, suspicabar legendum, pro, Instar, Iusti. - cetera sunt maria] In Zanchi libro erat, Extera sunt maria. Vno qui in saltu tot bona possideat] In manuscriptis alijs, Moda; in alijs, Modo, ut in Zanchi, quod sit ipsum tolerabilius. nec enim plane satisfacit. Omnia magna haec sunt. tamen ut sint maxima, & ultra, Non homo, sed uere mentula magna nimis] At in manuscriptis aliter. Sic nempe. Omnia magna haec sunt, tamen ipse si maximus ultor, Non homo, sed uero mentula magna minax. Credo ego, hunc Catullo, in se iocāti, grauiter minatum, cū suas opes efferret. Hic igitur, inquit, ultor grauis, non homo, sed uero est minax mentula. Hic non, ut homines, telo, sed aliorū probitati ac pudicitiae mentula minatur. Sed lego pro, Tamen ipse si, Tamen ipse hic, nec enim a prae scripta lectione longe disceditur. Vergil. in. VIII. Herculem maximum ultorē
 » eodem*

etiam refellens. Ομοια δ' ἔρηται τούτοις ἐν τῷ τρίτῳ

93 πειθεῶν. ἔτι γὰρ οἶμαι φησι τοὺς ἐπαίνους ἀλλοτριώ-
 94 σεῶσαι. κατὰ τὰ λοιπὰ τὰ ἑξ' συμβαινόντων ἀπ' ἀρετῆς,
 95 οἶον δυσθανάλωτης γραῆς ἀποχέσθαι, καὶ καρτερίσαι
 96 μύας δηγρὸν. *Ac paulo post,* εἰ γὰρ ἴσον ἐστὶ τῷ ἀν-
 97 δρείῳ, δῆγμα μύας ἐνεγκεῖν καὶ τὸ σωφρῶνος ἀπο-
 98 χέσθαι τῆς γραῆς, εἰ δὲν οἶμαι διαφέρει τὸν σπουδαῖον ἀ-
 99 πὸ τούτων ἢ ἀπ' ἐκείνων ἐπαινεῖσθαι.


*Hunc uideo mihi nunc frustra sumptum esse labo-
 rem]* *Nunc, aduersatiua. Sic Metellus ad Cic.*

93 *Nunc uideo illum circumuentum, me desertum a
 94 quibus minime conueniebat. Praecedunt haec ipsa,
 multa alia.*

*Contra nos tela ista tu euita-
 mus amictu]* *Leuia scilicet. Sic Anacreon* Κούφα
 93 βέλεμνα. *est enim apud illum,* Φιλολοιδороῖο γλώπης
 94 φάγω βέλεμνα κούφα.

*Adfixus nostris tu
 dabis supplicium]* *Nostrum, inquit, enim magis
 erit, ut ait poeta, penetrabile telum. Et posterior
 etiam Manilius. s. ipsum sic elisit, Formosos Phoe-
 bus geminos, Cyllenius cancrum. Ut Cicero ante,
 Delphinus iacet haud nimio lustratus nitore. Vetu-
 stiores autem fere semper elidebant.*

F I N I S.



Praetermissa eiusdem Statij.

Fol. 14. Omne aeuum tribus explicare chartis] ἐν ἐπιτομῇ. Legi aliquid Graece scriptum eiusdem sententiae, inscriptum sic, Ερμύλια ἐν ἐπιτομῇ τῶν χρόνων.

Fol. 19. Cui primum digitum dare adpetenti.] Theocritus, - ἀκρα δὲ χειρῶν Δάκτυλα. -

Fol. 20. Et tristes animi leuare curas.] Tristes: amaras. Horat. in. iV. - amaraq. curarum. Namq. Triste, amarum dicitur. Idem alibi, de Venere: Quae dulcem curis miscet amaritiam. Leuare: κερῖζεν. Theocritus in Δυσέρωτι: Οὐ λόγος, ἐχὶ φίλαμα τὸ κερῖζον τὸν ἔρωτα.

Fol. 38. Nec quae fugit, sectare.] Theocritus in Cylope: Τι τὸν φεύγοντα διώκεις.

Fol. 44. At certe tamen inquirunt.] Sententia postulare uidetur, & dialogi ratio, ut Hadriani Turnebi, eruditi uiri, coniecturam sequamur, At certe tamen, inquit, id quod illic &c.

Fol. 131. Iam uer egelidos.] Columella quoq. de cultu hortorum dicit, Egelidum uer.

Fol. 138. Vt conuenerat esse delicatos] Delicatos: amantes otij. Sic enim etiam posse uidemur interpretari. Namq. eodem prope modo Quintilianus in. xii. Ne illas quidē tulerim delicias eorū, qui doceri amicos suos iubent.

Fol. 157. Num te leaena montibus Libyffinis.] Theocritus in Δυσέρωτι: Αγριε παῖ, καὶ σηγνὲ κακᾶς ἀνάδρεμμα λεαίνας.

Fol. 199. Sed micante labello.] Theocritus in Δυσέρωτι: - ἐκ ἀμάρυγμα χείλεος. -

Fol. 206. Aequales.] Pindarus in Pyth. eadem multa. ἐκ ἔμειν' ἐλθεῖν πρᾶπεζαν νυμοιδίαν, Οὐδὲ παμφάνων ἰαχὰν Ὑμεναίων, ἀλικες οἶα πάρθενοι φιλέεσιν ἑταῖραι Εσπερίαις ὑποκέρζεσθ' ἀοιδαῖς.

Fol. 207. Mutato comprehendis nomine.] Columella. - aut ore cornusco Hesperus, eoo remeat cum lucifer ortus.

Fol. 208. Vt flos in saeptis.] Columella: Talis humus uel DD ,, parietibus.

» parietibus, uel saepibus hirtis claudatur, neu sit pecori, neu
» peruia furi.

Fol. 209. Sic uirgo, dum intacta manet, tum cara suis.]

» Sed Quintilianus in. ix. Dum, utrobique legit, & interpreta-
» tatur. & pro, Intacta, legit, Innupta. Catullus, inquit,
» in Epithalamio, Dum innupta manet, dum cara suis est.
» Sed prius Dum, significat, Quoad: sequens, Vsq. eo.

Fol. 258. Haec uestis:] Locus insignis, & quem fortasse
in hac ecclasi sibi propositum Catullus haec scribens habe-
bat, apud Apollonium in. iv. cuius initium, Οἷς μέτα
καὶ πέπλον.

Fol. 309. Quis te mutauit tantus deus.] Eodem prope

» modo Theocr. in Διπέρωτι: Ἀρα τίς ἐξαπίνας με θεὸς
» ἔρωτὸν ἄλλον ἔταξε.

Fol. 338. Tecum una perierunt.] Similiter Theocr. in

» ἐρωτικῶ: Πάντα τοι ὦ βέτα ζυγκάθανε δῶρα τῆ
» μοισαῦ.

» Fol. 320. Reiecta ueste.] Deposita. Verg. in. v. - dupli-

» cem ex ungeris reiecit amictum. Et Ouid. in. ix. Meta-
» morph. - reieci uiridem de pectore uestem.

Fol. 330. Magnas cui lites.] Terent. in Andria: - lites
sunt inter eos factae manumae.

Fol. 372. Sic certe est.] Eodem prope modo Horat. in. v.

» Sic est, acerba fata Romanos aouunt.

E R R A T A.


Fol. 17. ἀενάων, ἀεννάων. 19. ἔξετ', ἔζετ'. 20. dolet, do-
 cet. 35. Eretii, Eretrii. 36. ἀσερόματων, ἀσεροόμα-
 τον. 47. & 50. Gallicumq., Gallicum. 73. interpret.
 r., interpretari. 75. collata, collatas. 81. dicitur, du-
 citur. 82. dente, olente: temperat, temperet. 83. a-
 sculentarum, esculentarum. 87. haec, hic. 88. perdi-
 disti, perdidistis. 95. Apollonius, Apollonii. 96. χθο-
 νοί, χθονός. 98. auditas, additas. 106. uouere se, uo-
 uere. 109. σιγματίξεν, σιγματίξεν. 110. mala, ma-
 gna: ἀρχαῖσμός. ἀρχαῖσμός. 112. ἀκοιπῖς, ἀκοιτῖς.
 113. est, es. 121. dicebat, dicebant. 122. μόνος, μόνον.
 130. Hunc, huic. 132. eadem, etiam. 133. aestulosae,
 aestuosae: reddeutes, redeutes. 137. Licinius Maur,
 C. Licinius Macer. 138. uis, ius. 142. uincit, Infidens
 pallor moriens, uincit Infidens pallor, moriens. 143.
 ὀρθώσει ἐν, ὀρθώσειεν. 144. philosophiae, philosophi-
 cae. 146. Caesorem, Caesarem. 148. finite, finite.
 150. gemini, genuini. 157. ἔτεκω, ἔτεκε. 159. auditus,
 audiens: optimus, optimis. 165. Tucidaci, Tucidae.
 166. Anhelospanopae, Anhelos panopae. 176. ἐπιφω-
 νηζικῶς, ἐπιφωνητικῶς: optimus, optimis. 178. δωρίδ^δ
 ἰνάσῳ, δωρίδ^δ ἰνάσῳ. 191. uidendi, indendi. 197. cor-
 reptam, productam: I in E, E in I. 199. labello, labella.
 208. quod proximus, quod proximus umor alebat. 211.
 in, ite. 213. sale, sole. 214. Πάλλος, Γάλλος. 216. ea, ab.
 223. ἀηχέσι, ἀηχέσι: cecinis, cecinit: agens, egens. 323.
 quin, qui. 327. hinc, huic. 331. possem, possim. 333.
 esset, isset. 336. Scleria, Scleria. 341. Πηραλέων, Πηρα-
 λέων. 342. lafusq., laesusq. 344. dicore, dicere: tuta,
 tura. 349. ξατέας, ζατέας. 350. In cano, incano.
 356. ὄξων, ὄζων: nae, ne. 363. Spartaeo, Spartaco.
 367. subrepisti, subrepisti. 370. clamans, clamāt. 371.
 clamans, clamant. 372. sede, a sede. 373. coenas, ce-
 nas. 375. Spartieo, Spartaco. 398. μιμνάσκε, μιμνά-
 σκετο.


REGISTRVM


ABCDEFGHIJKLMN O P Q R S
T V X Y Z. A A B B C C D D.

Omnes sunt quaterniones, præter DD,
qui est duernio.

V E N E T I I S. ∞ D L X V I









09322


275


18











Aldina

566

C369C

C. 2.

